

















IOH. BEVEROVICII

DE

CALCVLO

Renum & Vesicæ


Liber singularis.

Cum epistolis & consultationibus magnorum virorum.



LVGD. BATAV.
Ex Officina Elseviriorum.

cIↃ IↃC XXXVIII.





Magnifico & Illuſtri viro,

D. IACOBO CATSIO I.C.

Equiti &c. magno Ordinum Bataviæ Conſiliario, & Academiæ Curatori,

IOH. BEVEROVICIVS, S. D.

NOn eram neſcius, patriæ decus & præſidium Catſi, *quum ab iis, quæ ſummis ingeniis exquiſitaque doctrina tum veteres, tum recentiores de Calculo literis mandaviſſent, non parum diſſentiremus, fore ut hic noſter labor in varias reprehenſiones incurreret.* Nam *quibuſdam, & iis quidem non indoctis, totum hoc diſplicet, libere philoſophari. Sunt qui cum hoc, vel illo, quod de Platone dicebat Cicero, errare malint, quam cum aliis vera ſentire.*

Vidi, qui ſe Galenicos dici amarent, & extra Galenum nihil ſapere. Hi certis quibuſdam deſtinatiſq; ſententiis quaſi addicti & conſecrati ſunt; eaque neceſſitate constricti, etiam quæ non probant, ea coguntur conſtantiæ cauſſa defendere. Vnde plurimi, ut recte Quintilianus, cum in hos inexplicabiles laqueos inciderunt, omnem etiam, quem ex ingenio ſuo potuerant habere conatum, velut aſtricti certis legum vinculis, perdiderunt, & magiſtrum reſpicientes, naturam ducem ſequi deſierunt. Homines, ut de aliis dicebat Tiberius, ad ſervitutem nati.

O imitatores, ſervum pecus, ut mihi ſæpe
Bilem, ſæpe jocum veſtri movere tumultus!

Certe receptæ de omnibus opinioni abſque ullo examine paßim aſſentiri, inertiſsimæ ſegnitiæ eſt: ab ea vel latum unguem diſcedentes reprehendere, faſtidii delicatiſsimi. Veriſsimum eſt illud Iſo-

cratis in Euagora: Τὰς ἐπιδόσεις ὁρῶμεν γιγνομένας, καὶ τῶν τεχνῶν, καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων, οὐ διὰ τοὺς ἐμμένοντας τοῖς καθεστῶσιν, ἀλλὰ διὰ τοὺς ἐπανορθοῦντας, καὶ τολμῶντας ἀεί τι κινεῖν τῶν μὴ καλῶς ἐχόντων. Et artes, & omnia cætera eſſe aucta videmus, non per eos, qui uſitata retinuerunt, ſed eorum opera, qui correxerunt, locoq; movere prava omnia non dubitarunt. *Quid Ariſtoteles? nonne à præceptore Platone, philoſophorum Ciceroni principe, & alii ab illo ſæpius diſſentiunt? Quid Hippocrates? nonne præter aliorum, qui ipſum præceſſere, mentem, ad arbitrium ſuum ſcripſit? An non Galenus ſæpe totus in explodendis veterum ſententiis? Et quis non è ſegete (ut cum Varrone loquar) ad ſpicilegium reliquit ſtipulam?*

Nunquam ita quiſquam bene ſubducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, uſus ſemper aliquid apportet novi,

Aliquid moneat; ut illa, quæ te ſcire
credas, neſcias,
Et quæ tibi putaris prima, in expe-
riundo repudies.

Neque hoc ſeculo, quod ferreum vulgo habetur, deſinunt artium & ſcientiarum limites proferre magna ingenia, ut vel laudata hoc opere ſanguinis Circulatio luculenter oſtendit. Optime ſapiens Romanus: Patet omnibus veritas, nondum eſt occupata: qui ante nos fuerunt, non domini, ſed duces ſunt: multum ex illa venturis etiam relictum eſt. *Quare cum optimum quemque auctorem habeam, & ego pro modulo ingenii, quod exiguum eſſe ſentio & fateor, non addictus in ullius verba jurare, ſolo inveſtigandi veri ſtudio, quæ tot ſeculis doctiſſimi medici de renum & veſicæ Calculo memoriæ conſignarunt, cum iis, quæ multiplex apud Calculoſos obſervatio, & in eorum cadaveribus αὐτοψία me docuit, diligenter conferre*

cona-

conabor. Et quemadmodum inter initia veteres, non ab obſcuris cauſis, quæ apud eos diverſæ erant, ſed ab experimentis, prout cuique reſponderant, medicinam deduxerunt, repertis deinde jam remediis homines de eorum rationibus diſſerere cœperunt; nec poſt rationem medicina fuit inventa, ſed poſt inventam medicinam ratio fuit quæſita; ſic neque hic, quæ ratione aut opinione nobis probarentur, perſequi animus eſt, ſed à certis potius & exploratis, id eſt, his, quæ experientia in ipſis curationibus docuit, medendi vias trahere, eorumque cauſſas exquirere. Recte Craſſus apud Ciceronem: omnes artes aliter ab iis tractantur, qui eas ad uſum transferunt: aliter ab iis, qui ipſarum artium tractatu delectati, nihil in vita ſunt acturi. *Ita videre eſt quamplurimos, qui nullo experimento ſuffulti, pedibus eunt in aliorum ſententiam, & quicquid à prioribus traditum, ἀβασανίστως arripiunt;*

quia (ut olim bene dictum) nemo non didicisse mavult, quam discere. At vero, cum usus & experientia dominentur in artibus, neque sit ulla disciplina, in qua non peccando discatur; nam ubi quid perperam administratum, *inquit Columella,* cesserit improspere, vitatur quod fefellerat; illuminatque rectam viam docentis magisterium; *cumque hominis sit, etiam eruditi & prudentis, errare, labi, decipi, nullius authoritas tanta esse cuiquam debet, ut non majorem fidem habeat oculis suis, quam Aristoteli, vel Galeno. Nec* ἀστόχως *Lucretius:*

Invenies primis à sensibus esse creatam
Notitiam veri, neq; sensus posse refelli,
Qui nisi sint veri, ratio quoque falsa fit omnis.

Veteribus certe, qui tot præclaris inventis institutisque posteritati præluxere, primæ sine controversia authoritatis deferendæ sunt. Et ut sciolorum est, qui nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum putant,

tant, ab eorum ſcitis, non uno ſeculo probatis, temere & ſine gravi cauſa deſciſcere, cum magnam vim magnumq́ numen eſſe dicat Tullius, quando multi unum & idem ſentiunt: ita quoque inſuper habita veritate, erroribus, eo quod veteres ſint, paſſim ſubſcribere, eorum eſt, qui, quod apud Platonem de Athenienſibus dicebat ſacerdos Aegyptius, ſemper pueri ſunt. Vetus eſt, Amicus Socrates, amicus Plato, ſed magis amica veritas. Non enim, *ut recte Cicero,* tam authoritatis in diſputando, quam rationis momenta quærenda ſunt. Quinetiam obeſt plerunque iis qui diſcere volunt, authoritas eorum qui ſe docere profitentur. Deſinunt enim ſuum judicium adhibere: id habent ratum, quod ab eo, quem probant, judicatum vident. Nec vero probare ſoleo id, quod de Pythagoricis accepimus, quos ferunt, ſi quid affirmarent in diſputando,

 cum

cum ex iis quæreretur, quare ita esset, respondere solitos, Ipse dixit. Ipse autem, erat Pythagoras. tantum opinio præjudicata poterat, ut etiam sine ratione valeret authoritas. *At nobis magis observandum videtur Ciceronis praeceptum, quod castissimus adolescens Michaël Verinus Hispanus disticho hoc expreßit:*

Nec te dicentis moveat reverentia: sed quod
Dixerit, attendas, qua ratione probet.

Num ego id recte atque ordine præstiterim, tui, Vir magne, incomparabilis judicii facio. Quod si nostræ de Calculo opellæ album calculum adjecerit, satis uberes mihi videbor hujus laboris fructus retulisse. Id ut sperare audeam, facit incredibilis benignitas, qua me beare soles, ex quo primum in amicitiam tuam admissus sum. Neque enim modo mecum de studiis conferre familiariter,

*riter, sed & ea quodammodo com-
unia mecum habere dignatus es, cum
nnumeris versibus meos de sanitate
enda libros exornatos redderes. quod
nunc absens, & majoribus implica-
s negotiis, in medendi, quam ador-
o, arte præstare pergis. Equidem nun-
uam cogitassem nostra lingua aliquid
onscribere, nisi Suada & Musæ tuæ eo
ne invitassent. Cum illam patriæ pro-
eres, has Phœbi colant alumni, utras-
que universa admiretur Belgica, nec
poteram, nec volebam publico invidere
versus, quos sæpe secula aliquot frustra
requirerent. Videbam iis doctarum
præmia frontium, hederas, scriptis meis
rudibus & impolitis suspendere non
modo nostræ poëseos, sed & senatus
principem,* cujus humeris, *quod Bau-
dius ad literatæ nobilitatis decus, My-
lium, de socero ejus, cui successisti, scri-
bit,* ut Atlante cœlum, nititur sa-
lus Belgicæ libertatis. *At cum du-
rabile non sit, quod caret alterna re-
quie;*

quie; omne tempus hoc, quod multi luxum, ebrietatem, vel vetitam legibus aleam conferunt, & ita feriarum laxamenta curarum vitiorum contentione supplent, tu, nobilissime temporis dispensator, si vel tantillum tibi otii à republica, totum id amœnioribus Musis consecras; & dum fessum publicis patriæ rebus animum reficis, ipsam quoque requiem publico impendis, miscendoque utile dulci, dum delectas, doces, nec facis carmina, sed, quod sæpius non sine stupore vidi, fundis. Quare minus mirum, te, licet summis patriæ negotiis occupatissimum, Musarum tamen pomœria extendere. Vix credent posteri, te primum urbi primariæ Mattiacorum, deinde nostræ Batavorum, tandem (quod apud nos supremum) universæ Bataviæ, consilio & prudentia præfuisse, cum videbunt tot divina ingenii tui monumenta sibi relicta. Et certe major eos caperet admiratio, si juxta mecum scirent, hæc

modo

odo πάρεργα *esse, & occupatæ mentis verticula, ac veluti animi laßi lu-, qui gravioribus curis nihil detra-unt.* Equidem cum ex hoc fonte mea *n prolueris, sed imbueris, omnia tibi beo, & cum libenter (invitus qui de-t, Senecæ ingratus est) debeam, hunc oque libellum in clientelam tuam ommendo.* Te *siquidem, qui reip. & terariæ columen merito audis, patro-o, minus verebor, ne iniquus ei censor*

—allinat atrum
Transverso calamo signum.—

Quanquam satis sciam, ut alios non mnia sua mihi, ita neque me omnia nea aliis probaturum. Vnicuiq; suum udicium. Recte Euenus Parius:

Σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ' ἐστὶν, ἐμοὶ δὲ τάδε.

Patere igitur, Illustrißime Domine, *me lucem tenui scripto mutuari à luce tua, ut splendore tanti nominis illustratum non modo splendeat* τοῖς νῦν ἐπὶ χθονὶ ἑρπομένοις*, sed & (quod alias spe-randum*

randum non eſſet) cum aliis, quæ pr
ferunt hoc τηλαυγὲς πρόσωπον,

Plus uno maneat perenne ſeclo.

Sic de me, de literis, de republica ben
ut mereri pergas, Neſtoreos annos viv
patriæ Neſtor. Dordrechto III *Kal*
Decembr. cIↃ IↃc XXXVII.

In

In librum de Calculo viri Ampliss.

IOANNIS BEVEROVICI,
Senatoris & Medici Dordrechtani eximii.

Εἴδεα πολλὰ λίθων· τοίγε μὲν φύει αἶα μέλαινα,
Ἄλλα δὲ πόντος ἔχει, ἄλλα ῥοαὶ ποταμῶν·
Οὔτ' ἄλιθον μερόπων γένος ἐστίν· μάρτυρες ἡμῖν
Κύστις καὶ νεφροί, ἄλγεα οὐροδόχα·
Μάρτυς δ' ἡ βίβλος, τὴν γράψεν φέρτατος ἀνδρῶν,
Ὧι κλέος ἐκ μουσῶν ἔκ τε ἀκεστορίης.
Ἄλλος γοῦν τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ τέρποιτο λίθοισιν,
Ἥδομ' ἐγὼ μούνῃ τῇδε φίλης κεφαλῆς.

ADOLFVS VORSTIVS.

In

In librum Amplissimi doctissimique viri

IOHANNIS BEVEROVICII,
Senatoris & Medici Dordrechtani,
de Calculo vesicæ & renum.

TRaximus è saxis rigidæ primordia vitæ,
Istaque nascendi semina Pyrrha dedit.
Hinc documenta damus, qua simus origine nati,
Et præfractum aliquid quilibet intus habet.
Quid mirum, occultis rigeant si viscera saxis,
Et medio lateat plurima ventre silex?
Principiis duris nati, succrescimus iisdem,
Suppliciumque ferox mens truculenta parat.
Non satis est vitiis irasci sidera. de se
Ipse capit pœnam, qui sibi peccat, homo.
Dic lapides, Beverovici, describe lapillos.
Dic quibus hos gignat flamma calorque locis.
Forte malis poteris tantis, vir docte, mederi,
Et minus à medica sæviet arte malum.
At lapides causasque simul tunc crede repelli,
Cum sibi peccator desinet esse lapis.

C. BARLÆVS.

IOH.



JOH. BEVEROVICII

DE

CALCULO RENUM ET VESICÆ

Liber singularis.

CAP. I.

Calculorum in variis corporis partibus generatio: frequentissima in renibus & vesica. Renum humanorum situs. in eo error Aristotelis, Plinii, Galeni, Fernelii, Picolominei, Vesalii. Situs inaequalis caussa. in ea dissensum à Galeno. Cur gemini, non reddiderunt veram caussam Anatomici. Picolominei redargutio confirmata. Hippocratis locus explanatus. Vera cur gemini ratio. Eorum figura. in ea erratum ab Aristotele, & Plinio. Eorum substãtia. Nova hydropis ascitidis caussa in renibus. Mercati caussa suppressionis urinae refutata. De renum usu nova authoris opinio.

opinio. Laurentius notatus. Ab Aristotele dissensum. Modus urinæ in renibus excipiendi, secernendi & excernendi. Bauhini ratio notata. Ruffi Ephesii, Fernelii, & aliorum lapsus. Hippocrates explicatus. Nova de circulatione sanguinis Harvei doctrina comprobata.

QUamvis apud veteres non fiat aliorum Calculorum mentio, quam qui in Renibus & Vesica generantur, neque alios agnoverit Galenus, quem in Colo eos quandoque nasci auritum potius, quam oculatum testem esse videmus è libris de locis affectis: tamen à posterioribus Medicis observatum est, in variis procreari corporis partibus, quas dispersas apud diversos authores diligēter collegit Schēckius in Observationibus, & breviter in doctissimis Institutionibus sub uno aspectu posuit celeberrimus Sennertus. Attamen rarius in illis locis coagmentari solent: frequentissime vero in renibus & vesica. Quod malum, quia patriæ nostræ nimium frequens, & summopere calamitosum, nec satis accurate ejus generatio,

ratio, quamvis quamplurimi jam diu hoc ſaxum volvunt, explanata ſit, operæ pretium facturus videor, ſi & ipſe tortorem meum celebrem, & veterum atque recentiorum placita incudi reddam, ſi forſan è colliſione tot calculorum veritatis ſcintillæ exiliant. Quod ut recte atque ordine fiat, ſedem, poſitum, numerum, figuram, ſubſtantiam, & uſum laborantium partium prius exequar.

Renes ſub hepate & liene, cavitate ſua ad magnas venas, (ait Hippocr. de Glandulis,) hoc eſt, venam cavam, & arteriam aortam ſiti, ſummis adhærent lumbis. Hi non ex diametro ſibi invicem opponuntur, ſed unus altero fere ſemper elatior; non dexter ſiniſtro, ut cum Ariſtotele, Galeno, Plinio, è recentioribus inter alios Fernelius, Picolomineus, &, quod miror, Veſalius, quoque ſentiunt: ſed ſiniſter dextro, quia magnum eſt in homine hepar, lien vero parvus. At in brutis (quorum renes tãtum obſervaſſe videntur veteres: ut & in Veſalio & Columbo notat Picolomineus) deorſum magis vergit lien. Horum igitur viſcerum inæqualis magnitudo, cauſſa eſt, cur renum ſitus ſit inæqualis; non, ut voluit Ga-

lenus v. de uſu part. vi. ne mora afferatur tractioni. Nam ſi illa cauſſa eſſet, in quorundam corporibus, quibus æqualis renum ſitus, hæc tractio impediretur. Sed eam ipſam nullam eſſe, ſtatim probare conabimur. Nec melior altera ratio; ne ſeri quædam portio præterfluat. nam ea neceſſario præterfluere debet. Neque enim humor aquoſus neceſſarius tantum fuit, ut hujus tenuitate alimentum in meſenterii aut hepatis venis fluxile redditum, facilius pervaderet, ut plerique ſentiunt: ſed & portio quædam neceſſario in ſanguine remanere debuit, ut per tenuiſſimos vaſorum ſurculos ad habitum corporis deferatur. Ab utroque uſu, ſerum hoc ὄχημα τροφῆς *vehiculum alimenti* vocat Hippocrates, ſimul cum appellatione uſum oſtendens, ut ſcribit Galenus iv. de uſu part. v.

Renes uno ore profitentur Anatomici naturam ideo condidiſſe geminos, ne uno præpedito, aut obturato, eorum functio impediretur, ejuſq; ceſſaret humoris profuſio, qui copioſiſſimus eſt in nobis. Sed hanc rationem meritò non admittit Picolomineus; quod natura nihil molita ſit contra cauſſas maleficas, fortuitas,

tuitas, & ſpontaneas. *Eam enim*, ut optimè Mercatus, *ſortiuntur renes inter ſe connexionem, eam etiam in ſubſtantia ſimilitudinem, ut facile ſit conjicere, altero affecto, alterum quoque eundem affectum paſſurum. Actio autem communis eſt utriſque ſimul, non alteri. Nam licet duo renes eidem muneri facti ſint, non ob id eſt, quod alter eorum efficere ſufficiat, ſed quod ambo neceſſario exiſtant ad tam validam actionem perficiendam.* Mihi quidem videtur natura, quando duo facit ejuſdem functionis organa, eum inter illa conſenſum, eamque ſervare ſocietatem, tanquam unum, ſitus ſeu loci tantum cauſſa, diviſiſſet. Hoc & in oculis manifeſtum.

Καὶ γὰρ δέξιον ὄμμα κακούμενον, ὄμματι λαιῷ
Πολλάκι τοὺς ἰδίους ἀντιδίδωσι πόνους.

Namque oculus ſano læſus dat ſæpe dolores,
Alter & alterius noxia damna capit.

Non ſemel vidi uno rene obſtructo, alterum inutilem ac vietum reddi, propriaq; facultate deſtitutum, urinæ fluxum intercipere: quod etiam à Dureto Comm. in Hipp. IV. Coacar. prænot. XLV. Foreſto

sto XXIV. Observat. XXVI. Riolan. V. Anat. XIX. & aliis sæpius observatum est. Putabam aliquando renes hac de caussa ὁμοιορυσμοὺς appellatos ab Hippocrate. Νεφροὶ, inquit libr. De Anatome, ὁμοιορυσμοὶ, τὴν χροιὴν δὲ, ἐναλίγκιοι μήλοισιν. Vertit Cornarius, *Renes colore consimiles, malorum speciem præ se ferunt.* Fœsius, *Renes inter se colore similes, malorum, &c.* Ac ita citatur à Bauhino, & aliis. Ὁμοιορυσμὸς & ὁμορυσμὸς (qua voce Hippocr. paullo ante usus) est similes, vel eosdem habens ῥυσμοὺς. Ῥυσμὸς autem exponitur Eustathio de situ orbis, σχῆμα, τύπος. quare non incommode hic transferri posse videbatur: *Renes inter se forma similes*, vel servando vocis proprietatem, *simile, aut idem attrahendi munus obtinent*, (namque id iis tribuit libro de glandulis) *colore vero mala referunt.* Sed posteriorem interpretationem usus non recipit.

Duos autem fecit renes Natura, loci & situs caussa. Nam si unus foret, necessario ob usus necessitatem magnitudine ambos æquare debuisset, ut in jecore, liene, aliis αἱματώσεως instrumētis videmus. At sic corpus in æquilibrio non fo-

ret,

ret, niſi mediæ ſpinæ imponeretur, cavæ & aortę reſima facie incumbens: hic vero ſitus ſanguinis per ea vaſa fluxum liberiorem, compreſſione impediviſſet. Quare natura loco unius magni, duos parvos creavit, ne aut venter eminentior eſſet, aut animal in alterutrum latus inclinaret.

Renum figura Galeno lib. v. de uſu part. cap. v. & lib. VI. Anat. adm. cap. III. oblonga & lata. Author lib. de renum affect. Galeno adſcripti cap. I. Græco C ſimilem facit. Non ſemper autem eandem figurã in hominibus ſervant, quanquam aliquo modo phaſeolorum ſpeciem imitentur, perfectius tamen in brutis: planam vero ſuperficiem folia aſari non inepte exprimunt. Quare male Ariſtoteles lib. I. hiſt. animal. cap. XVIII. & lib. III. de part. animal. cap. IX. eumque ſequutus Plinius lib. XI. cap. XXXVII. hominum renes bubulis ſimiles faciunt, velut è multis renibus exiguis compoſitos. Sunt tamen, qui ex renum carunculis, poſtea explicandis, inſtar racemi conglobatis, infantium renes efformari, inſtar renum vitulorum, velint: dein ætatis progreſſu ex ſanguinis affuſione, carnoſum integumentum circumjici, quod

renis ſuperficiem æqualem reddat: propterea in rene per dorſum diſſecto carnem ſublividam renis corpus ambientem obſervari: alteram internam rubicundiorem, ex glandulis illis ſimul unitis concretam, quibus ren pueruli conſtabat. Sic urſi renes ex pluribus quaſi glandulis, ceraſorum magnitudine, coagmẽtantur, quæ tenuis membranæ beneficio invicem junguntur & alligantur, quarum diviſiones copioſum pingue replet, ut notat Euſtachius; qui etiam aliquando renes humanos bubulis ſimiles ſe vidiſſe teſtatur. Sed hæc rara & præter naturæ inſtitutum.

Subſtantia renum caro eſt, ut ſcribit Galen. II. ad Glauc. II. denſiſſima & compacta, ne (idem V. de uſu part. VII.) immodica laxitate exceptam urinam ſinerent fuſius elabi: tum etiam ne facile ab urinæ acrimonia eroderẽtur. Hunc uſum me docuit Hydropicus quidam, in cujus cadavere inveni novam, & à nemine, quod ſciam, obſervatam aſcitidis cauſſam. Militis cujuſdam, cui abdomen & crura valda intumuerant, ſecto poſt obitum cadavere, miratus hepar, & lienem optime conſtitutos; juſſi, renes exhibe-

ret

ret Chirurgus. Vix admota manu reni sinistro, è foramine, quod extrinsecus in parte gibba minimum fere digitum recipiebat, copiosa aqua exiluit. Dexter inferius in parte sima nondum plene perforatus, sed leviter admoto ferramento aquam quoque reddebat. Uterque colore & substantia sanis similis, intus nec pus, nec ulcus, nec arenulæ, nec calculus, nec quid aliud præter naturam: ita ut aliam imaginari caussam non potuerim, quam ab acrimonia urinę paullatim erosos. Hoc sæpius ab acuto calculo fieri solet. Cujus rei luculentum exemplum habemus apud Mercatum IV. de morb. int. XII. in viro apud historicos nostros celebri, quod dignum judicavimus, ut huc etiam transferretur. *Hieronymus à Rhoda*, inquit, *Pincianæ Cancellariæ præses, cum Flandriam ut præfectus totius exercitus adiret, calculo dextri renis affectus, quadraginta diebus dolore incredibili cruciabatur, qui sane adeo fuit intolerabilis & pertinax, ut nullis cesserit præsidiis: tandem post dies prædictos, lapidem nucleo dactyli persimilem & æqualem projecit, evasitque superstes, & sine dolore trium annorum spatio. Postea tamen in*

Hispaniam reversus, iterum sinistrum renem apprehendit consimilis dolor, vehementia & duratione, tandem consimilem lapidem projecit post quadraginta dies, multis adhibitis præsidiis. Evasit quidem à dolore, sed non à graviori malo: nam transactis tribus diebus à lapide projecto, suppressa est omnino illi urina. tandem iterum convocatis Medicis, conventum est inter omnes, nullam aliam esse caussam, præter obstructionem ab arenulis, aut calculo & pituitosis succis, quibus profecto vir ille plurimum abundabat. Quod equidem videbatur rationabilius, in homine calculoso, pituitoso, & admodum cibis & potibus intempestive utente: tandem affectio nullis cessit præsidiis, & post trigesimum diem obiit. Facta tamen dissectione, invenimus renes grandi foramine perforatos à cavitate usque ad dorsum, nihil tamen pituitæ, neque arenularum, neque alterius rei, cui tribui posset urinæ suppressio, neque in renibus, neque in ureteribus repertum fuit. Vbi necessum & rationi consonum erat conjicere, illa foramina relicta fuisse à lapidibus illis, quos tanto labore projecit, quod in carne renum geniti fuissent, & ea magni-

carne

tudine creverint, qua renes ipsos undique perforare valuissent. Postea tamen ob prædicta foramina renes non potuisse suctionem & tractionem moliri. Potuisse tamen uno rene perforato, altero urinam allicere, tribus illis annis intermediis inter unam & alteram lapidis projectionem, jam vero utroque aperto non potuisse. Hæc Mercatus. Cui certe, alterum renem tribus annis perforatum fuisse, altero interim officio, cui duo tantum pares, fungente, assentiri non possum: imo id repugnat ipsius Mercati verbis, quæ paullo ante adduximus. Cum enim, ut statim ostendemus, sanguis cum sero ab arteria emulgente in renes pellatur, ibique sanguis à sero inutili expurgetur, si perforati fuissent à cavitate sive sinu usque ad dorsum, necessario serum, ut in exemplo jam allato, in abdomen effluxisset. Quod proculdubio in isto, triginta illis diebus factum, ita ut idcirco urinam non redderet; & urina, quæ in aliam viam diverterat, pro suppressa Medicis habita.

Scribit author de renum affectibus cap. I. renibus peculiare quoddam corpus esse ex fibris & carne constitutum. Sed nullæ iis fibræ, nisi vasorum. Neque enim

enim ſe dilatando & contrahendo, veluti cor, quod ideo muſculum vocavit Hippocr. lib. de Corde, attrahendi & expellendi, muſculorum inſtar, qui ex carne & fibris nervoſis conſtant, facultate valent: & tantum inter glandoſa corpora, videntur ab Hippocrate relati lib. de glandulis. Galenus eos inter viſcera & parenchymata numerat. Quæ ſententia quam maxime placet. Non modo, quoniam hepati, quod primus Eraſiſtratus παρέγχυμα dixit, tum carnea ſubſtantia, tum vaſorum diſtributione ſimiles ſint, ſed & quoniam eundem uſum habent. Quod quia novum, paullo fuſius probādum eſt.

Veteres παρεγχύματος ſeu carneæ hepatis ſubſtantiæ hunc modo uſum agnovere, ut vaſis affunderetur, ne cohærerent, eademque fulciret ſtabiliretque. Ita etiam ſtatuit Ariſtoteles naturam animalibus renes tribuiſſe, ut ſimul ad venas continendas iis uteretur, & ad humorē ſupervacuum iis abuteretur. Qui philoſopho abuſus eſt; medicis ſolus renum uſus habetur. Equidem ut hunc negare non poſſum, ita nec uſu nobiliſſimo renes defraudare. Si enim urinę modo cauſſa facti, quorſum tanta venarum & arteriarum

arum propago? quorſum parenchyma? ſufficiſſet forte ductus ab emulgente in ureterem, ubi nunc arteriarum & venarum ſurculos videmus per univerſum renum corpus, & ad extimas partes diſperſos. Si nutriendis renibus id factum dicas, idem de jecore reponam. Quinetiam videmus naturam purgandis & continendis excrementis mēbraneo corpore contentam fuiſſe, ut patet in folliculo fellis, veſica, & inteſtinis; quæ & ipſa tamen concoquendi vi non plane privant Medici. Nam, ut ſcribit Gal. lib. IV. de uſu part. licet coquendi chyli gratia conſtructa non ſint, ſed continēdi & diſtribuendi tantum; tamen quia nunquam iners & otioſa eſt natura, in ipſo per inteſtina tranſitu elaborationem perfectam conſequitur chylus, non ſecus ac in majoribus venis vis eſt quædam αἱματοποιητικὴ, quam in Hepate inprimis collocant Medici. Quod ſi Aretæus, vetus medicus, quem ſequuntur author lib. de uſu reſpirationis Galeno adſcripti, Aphrodiſæus, Veſalius, Picolomineus, Platerus, Horſtius, Bauhinus, Riolanus, & alii, Lienem quoque, qui reliquis expurgando tantum craſſiori ſanguini dicatus erat, ſanguifi-
cationis

cationis organũ agnoſcant: quidni idem de renibus ſtatuere liceat? Et quemadmodum Lien non modo craſſiorem ſuccum ad generationem ſanguinis parum idoneum avertit, ut melior fiat ſanguificatio, unde dictum Platoni in Timæo, Lienem proximum hepati ad ſiniſtrum locatum, ut purum hepar ſemper, clarumque reddat, & inſtar ſpeculi nitens atque perſpicuum; ſed etiam ſanguinem ſui generis conficit, quo nomine eleganter Ariſtoteli III. de partib. animal. VII. appellatur ἧπαρ νόθον καὶ ὥσπερ ἀντίζυγον: ſic ſtatuo & Renes non modo expurgare ſanguinem à ſeroſo humore, ſed etiam poſt hepar & lienem, ſanguinis, quem accipiunt, coctionem juvare. Hinc videmus in cadaveribus eorum, qui morbo interierunt, plerunque renes mutatos. Et qui in ſanis rubri, clari, ſolidi, pro morbi ſpecie, modo obſcuri & ſubnigri, modo ſubalbidi inveniuntur: interdum laxi, fragiles, & quaſi putres, interdum duri & aridi; quod etiam notatum eſt ab Euſtachio libello de Renibus cap. XLV. & à me ac aliis ſæpius obſervatum. Idem comprobant crudæ calculoſorum urinæ, non diſſimiles eorum, qui jecoris aut lie-

nis

nis imbecillitate affliguntur. Huc etiam referendum, quod scribit Fernelius VI. Patholog. XII. sæpius se animadvertisse, quasi ex leucophlegmatia calculosos tumere ac pallescere. Quod profecto satis frequens. Nec me movet clarissimus Laurentius, qui sanguificandi facultatẽ duabus partibus, hepati & lieni, concedere se posse negat. *Quomodo*, inquit, *Natura non supervacanea fuisset, si plura sanguinis conficiendi instrumenta condidisset, cui unum sufficere poterat & debebat?* Sed audiat præceptorem Galenum, pro cujus doctrina ibi pugnat, VI. de placitis Hippocr. & Platonis, ubi, dum in Erasistratum, de venarum origine & usu, atque sanguinis concoctione, invehitur, *respondebitis*, inquit, *ita effectum, ut in jecore sanguis præparetur, atque inde ad cor deferatur, ibi postea reliquam formæ perfectionem absolutam accepturus. Quod profecto ratione vacare non videtur. Nullum enim perfectum & magnum opus repente una aggressione fieri, totamq; suam expolitionem ab uno instrumento acquirere potest.* Quid? quod & majoribus venis, ut jam diximus, inesse vim quandam αἱματοποιητικὴν Galenus agnovit, nec negat

negat Laurentius. Sive igitur cum Vesalio & Jouberto solis venis sanguificandi facultatem tribuas, sive soli parenchymati cum Argenterio, sive utriq;, cum Galeno; non possis renes, quibus & numerosa venarum series, & ipsam cōplectens parenchyma, ab *αἱμαλώσεως* officio excludere.

Nostra igitur sententia, Renum munus est, sanguinem coquere, eumque ab inutili sero segregare. Suscipiunt enim, quod nemo negat, sanguinem sero mixtum. Quare nescio quid philosophum moverit: hæc scribere I. de hist. animal. XVIII. & III. de part. animal. IX. Φέρουσι δ' εἰς αὐτοὺς πόροι ἔκ τε τῆς μεγάλης φλεβὸς, καὶ τῆς ἀορτῆς, πλὴν οὐκ εἰς τὸ κοῖλον. ἔχουσι γὰρ οἱ νεφροὶ ἐν μέσῳ κοῖλον, οἱ μὲν μεῖζον, οἱ δ' ἔλαττον. οἱ δὲ πόροι, οἱ τείνοντες εἰς αὐτοὺς, εἰς τὸ σῶμα καταναλίσκονται τῶν νεφρῶν· σημεῖον δ' ὅτι οὐ περαίνουσι, τὸ μὴ ἔχειν αἷμα, μηδὲ πήγνυσθαι ἐν αὐτοῖς. *Ferunt ad eos* [renes] *meatus à magna vena, & aorta, non tamen in cavum, quod ipsi habent in medio, aliqui majus, aliqui minus. Quos diximus, meatus, qui ad renes tendunt, in corpus ipsorum absumuntur. Argumentum, quod non penetrent, est: quia neque sanguinem intus habent, neq; concretionem.*

Meatus

[du]ctus illi ſunt à vena magna ſive cava [ve]næ emulgentes, ab arteria magna ſive [ao]rta arteriæ emulgentes. In arteriarum [ra]mculis ob continuum pulſum, quo in[de]ſinenter expellunt in venas, parum [se]rtaſſis invenies: at de venulis id neuti[q]uam admittẽdum. Et ipſe alias ſummus [A]riſtotelis admirator J. Scaliger in Com[m]ent. ad loc. cit. *Vtinam*, ſcribit, *hoc nun[q]uam dixiſſet tantus vir. Nam ea vena, [q]uam emulgentem vocant, ab latere ve[n]æ magnæ exit, atque intra renem demit[ti]t ſeſe, ut delatam eo cum ſanguine per[c]olet urinam: quam fiſcellæ modo tranſ[m]ittit, tanquam ſerum. Nos in diſſectis [c]orporibus ſanguinem, & thrombos, & [a]renas, & lapides invenimus.*

Humor vero iſte ſeroſus tripliciter [c]olligi poſſet. Vel propria natura ad re[n]es ferri, vel à vaſis tranſmitti, vel à reni[b]us attrahi. Eraſiſtratus ſucceſſione ad id, [q]uod vacuatum eſt, ſive fuga vacui, ad [r]enes fluere ſtatuit. Averroës voluit ſua [ſ]ponte ferri, quemadmodum & alimen[t]um ad membra feratur, non autem à [m]embris attrahatur. E contrario Hippo[c]rates, Diocles, Praxagoras, Galenus, re[n]es incognita proprietate (Bauhinus 1. Anat.

Anat. xxii. totius ſubſtantiæ ſimilitudinem dicit, quam profectò inter ſeroſum humorem & renes nullam video) ſerum ad ſe allicere volunt. Ac venas ad renes non mittere, probare conatur Galenus ii. de nat. facult. i. & vi. de locis affect. iii. Item ix. de medic. ſec. locos ii. Et alibi ſimpliciter ſcribit, venas atque arterias per renis corpus diſtribui, & per ſpiſſam duramque ſubſtantiam, retento ſanguine, urinam cum bilis, quæ ſanguini adeſt, portione tranſmitti, inq; urinarium meatum effluere. Ruffus Epheſius lib. ii. cap. xii. collocat in intimis caviſque renum partibus membranulas inſtar cribri foraminibus multis pertuſas: per quæ ſcilicet, ſerum percoletur. Quam opinionem plurimi recentiores φήμῃ potius, quod de Medicis nonnullis dicebat Hippocrates, quam ἔργῳ Anatomici, ſequuti ſunt. Miror magis de accuratiſſimo ſcriptore Fernelio, qui cum i. Phyſiolog. vii. rectè negaret, membranam in rene ſinum medium dirimere, tamen ſcribit ſerum in intimam capacitatem per incerniculi membranam colatum excidere. Sed ipſa αὐτοψία hoc figmentum redarguit. Equidem exiſtimo, ſeroſum humorem

em ſanguini permiſtum motu arteriarum emulgẽtium, quem à corde habent, ndeſinenter in renes pelli, ibique parte anguinis roris modo fuſa, mox aſſimila-a, in renis ſubſtantiam faceſſere; ſerum ero jam inutile ſecerni primum, mox ob tenuitatem per carunculas papillarum modo extuberantes deſtillare. De nis intelligendus videri poſſit Hippocrates, niſi grandiores faceret. Reliqua vero non male conveniunt. Afferam ipſa magni autoris verba ex lib. de glandulis: Ἔχουσιν οἱ νεφροὶ ἀδένας, καὶ γὰρ οὗτοι κρείσκονται πολλῆς ὑγρασίης. μείζους δὲ αἱ ἀδένες ταύτῃ, ἢ αἱ ἄλλαι ἀδένες ἔασιν. οὐ γὰρ ἐμπίνεται τοῖσι νεφροῖσιν τὸ ὑγρὸν τὸ ἐπιρρέον, ἀλλὰ διαρρέει ἐπὶ κύστιν κάτω. ὥστε ὁπόσον ἀποκερδαίνουσιν ἀπὸ τῶν ὀχετῶν, τοῦτο ἕλκουσι πρὸς σφέας. *Renes glandulas habent, hi ſiquidem multa humiditate redundant. Sunt autem hac parte majores, quam aliæ quævis glandulæ. Neque enim qui influit humor, in renes imbibitur, ſed infra ad veſicam defluit. Quare quicquid è ductibus lucrifaciunt, id ad ſeſe attrahunt.* Per carunculas has ſerum porro in fiſtulas quamplurimas ureterum propagines, ab his in ſinum membranoſum, tanquam ciſter-

nam,

nam, corrivatur, & ab eo per ureteres in vesicam. Reliquum vero sanguinem ab inutili sero jam secretum, & à renum nutrimento superfluum, & arteriarum systole in venas expulsum, effluere statuo per venas emulgentes iterum in venam cavam, attractum diastole cordis. Hanc sentẽtiam superstruo doctrinæ novæ quidem, sed qua veterum nulla elegantior, de circulatione sanguinis, cujus author & inventor Gul. Harveus, magnæ Britanniæ regis medicus dignissimus. Quandoquidem vero absque ea hæc nostra intelligi non possunt, proponam hic breviter incomparabilis Anatomici dogma ex libro de motu cordis, ubi eum hoc modo fieri docet: Primum sese contrahit auricula, & in illa contractione sanguinem contentum (quo abundat tanquam venarũ caput, & sanguinis promptuarium) in ventriculum cordis conjicit, quo repleto cor sese erigit, cõtinuo omnes nervos tendit, contrahit ventriculos & pulsum facit, quo pulsu immissum ab auricula sanguinem continenter protrudit in arterias, dexter ventriculus, in pulmones per venam arteriosam, unde continuo in ventriculum sinistrum attrahitur,

qui

ui eum continuo protrudit in aortam, & per arterias (quarum pulſus, quem ſentimus in illis, nihil ſit niſi ſanguinis è corde impulſus) in totum corpus. Sic ſcribit Ariſtot. III. de part. anim. IV. *Sanguinem a corde in totum corpus diſtribui per venas*, quo nomine etiam arteriæ vocantur antiquis. Mox vel immediate per anaſtomoſin, vel mediate per carnis poroſitates, vel utroque modo tranſit ab arteriis in venas, indeque rurſus per venam cavam remeat in dextram cordis auriculam, à qua in ventriculum dextrum impellitur, ut jam diximus. Quem motum, circularem eo pacto nominare liceat, quo Ariſtoteles in aëre & pluvia circularem ſuperiorum motum æmulatus eſt. Terra enim madida ab ſole calefacta evaporat, vapores ſurſum elati condenſantur, condenſati in pluvias rurſum deſcendunt, terram madefaciunt; & hoc pacto fiunt hic generationes, & ſimiliter tempeſtatum & meteororum ortus, à ſolis circulari motu, acceſſu & receſſu. Sic veriſimiliter contingit in corpore, motu ſanguinis, partes omnes ſanguine calidiori perfecto, vaporoſo, ſpirituoſo, & (ut ita dicam) alimentativo nutriri, fo-

veri,

veri, vegetari: Contra in partibus ſanguinem refrigerari, coagulari, & quaſi effœtum reddi; unde ad principium, veluti Cor, tanquam ad fontem, ſive ad lares corporis, perfectionis recuperandæ cauſſa, revertitur: ibi calore naturali, potenti, fervido, tanquam vitæ theſauro, denuo colliquatur, ſpiritibus, & veluti balſamo prægnans; inde rurſus diſpenſatur: & hæc omnia à motu & pulſu cordis dependere.

Vix refragari poterit huic dogmati, qui cordis fabricam, perpetuum ejus & arteriarum pulſum, artificioſam valvularum ſtructuram, ſitum, & uſum diligenter conſiderabit.

Clariſſimus Fabritius ab Aquapendente primus in venis membraneas valvulas delineavit, figura ſigmoïdes, vel ſemilunares, portiunculas tunicæ interioris venarum eminentes tenuiſſimas. Sitæ ſunt diſtantibus in locis, vario modo in variis hominibus ad venæ latera connatæ, ſurſum verſum venarum radices ſpectantes, & in mediam capacitatem venæ, ambæ (ut plurimum enim duæ ſunt) invicem reſpicientes, atq; ſe invicem contingentes, & in extremitatibus ita cohærere, ita

copu-

opulari aptæ, ut ſi quid è radice vena-
rum in ramos, vel è majoribus in mino-
res permearet, omnino impediant, &
ita ſitæ ut ſequentium cornua præceden-
tium convexæ medium (& ſic alternatis
vicibus) reſpiciant.

Harum valvularum uſum rectum in-
ventor non eſt aſſequutus, nec alii addi-
derunt: non eſt enim, ne pondere deor-
ſum ſpectantes, & ſanguinem ſurſum
prohibentes ferri, & non ubique ſurſum
ſpectantes, ſed ſemper verſus radices ve-
narum, & ubique verſus cordis locum.
Videre eſt in diſſectione venarum, ſi à
radice earum initio facto, verſus exiles
venarum ramos ſpicillum mittas, ob im-
pedimentum valvularum longius impel-
li non poſſe: contra vero forinſecus è
ramis radicem verſus facillime, & pluri-
bus in locis valvulæ binæ ad invicem ita
poſitæ & aptatæ, ut ad amuſſim, dum ele-
vantur, in media venæ cavitate cohæ-
reant & uniantur, extremitatibus con-
vexis invicem; ut neque viſu cernere, ne-
que ſatis explorare rimulam aut coitum
liceat: contra vero forinſecus immiſſo
ſtilo cedunt, & ope valvularum (quibus
curſus fluminum in morem inhibentur)
facil-

facillime reclinantur, ut motum ſanguinis profectum à corde, & vena cava, intercipiant, & ad amuſſim pluribus in locis elevati invicem dum clauduntur, omnino inhibeant & ſupprimant, &, ſive id ſurſum ad caput, ſive deorſum ad pedes, ſive ad latera brachii, ſanguinem à corde moveri (ita ſunt conſtitutæ) ut nuſquam ſinant, ſed motui omni ſanguinis, qui à majoribus venis auſpicatus in minores deſinat, adverſentur, & obſiſtant: ei vero, quæ à venis exilibus incipiens in majores deſinat, obſecundent, liberamq; & patentem viam expediant.

Cum autem in venis emulgentibus quandoque ab Harveo & aliis hæ valvulæ deprehenſæ ſint: corruit communis opinio, renes per eas ſeroſum humorem è vena cava prolectare: & confirmatur noſtra, ſanguinem è renibus per eas derivari in venam cavam. Hoc enim valvularum ſitus non impedit; uti fluxum à vena cava ad renes.

CAP. II.

Vrinæ ex renibus per ureteres in vesicam derivatio. Vasorum emulgentium in renes insertio: amplitudinis eorũ caussa. Vreterum officium, in renes divaricatio, figura, obliquus in vesicam ingressus: nec ullæ, ut quidam putant, ibi valvulæ. Vesicæ duplicis exempla: etiam in Casaubono. Vesicæ figura, & situs. Ejus nimia distentio urinam cohibet: ut & obtusus sensus, in quo Galenus contra Fernelium & Augenium defensus. Vrinæ suppressio à vesicæ paralysi; in eo Pauli & Aëtii opinio contra Galenum exemplis comprobata. Riolani error.

QUod renes serum cum sanguine per arterias, ut diximus, emulgentes expiunt, id mox ab eo jam segregatum er οὐρητῆρας profundunt in vesicam. Ingnis de his locus apud Aristotelem lib. I. de part. animal. cap. IX. Ἐκ δὲ τοῦ κοίλου νεφρῶν, φέρουσι πόροι ἄναιμοι εἰς τὴν κύν δύο νευρικοί, ἐξ ἑκατέρου εἷς, καὶ ἄλλοι ἐκ τῆς ρτῆς ἰσχυροὶ καὶ συνεχεῖς. Ταῦτα δ' ἔχει τὸν όπον τοῦτον, ὅπως ἐκ μὲν τῆς φλεβὸς τὸ πε-

ρίττωμα τῆς ὑγρότητος βαδίζῃ εἰς τοὺς νε-
φρούς. ἐκ δὲ τῶν νεφρῶν ἡ γιγνομένη ὑπόστασις,
διηθουμένων τῶν ὑγρῶν διὰ τοῦ σώματος τῶν νε-
φρῶν, εἰς τὸ μέσον συῤῥέῃ, οὗ τὸ κοῖλον οἱ πλεῖ-
στοι ἔχουσιν αὐτῶν. *Meatus vero de cavis re-*
num exangues (venas colore albas, di-
cit Celſus)*duo inſignes ad veſicam ferun-*
tur, ſinguli ex ſingulis: atque etiam alii
ex vena aorta validi, frequentesque eo-
dem deveniunt. Quæ ita natura inſtituit,
ut ex vena humoris excrementum ad re-
nes veniret: in renibus autem ſedimen,
humoribus per corpus renum colatis, in
medium conflueret, ubi plurimi cavum
continent. Quo loco φλεβὸς nomine ar-
teriam intellige. Sic & apud Latinos Ve-
na, tam venam proprie dictam, quam
arteriam deſignat; & recte. Utriuſque
enim idem officium, ſcilicet deferre ſan-
guinem, arteriis à corde in corporis ha-
bitum, venis rurſum à corporis habitu in
cor. Neque tamen venas emulgentes
Philoſopho ignotas fuiſſe liquet ex iis,
quæ ponit circa finem capitis; ubi ſcri-
bit, omnium animalium oves celeri re-
num obeſitate oppletas, humore flatu-
que intercluſo celeriter præ ſyderatione
interire. Rationem hanc addit: διὰ γὰρ τ
ἀορτῆ

ἀορτῆς καὶ τῆς μεγάλης φλεβὸς εὐθὺς ἅπαντα τὸ πάθος πρὸς τὴν καρδίαν. οἱ δὲ πόροι συνεχεῖς ἀπὸ τούτων τῶν φλεβῶν εἰσι πρὸς τοὺς νεφρούς. *Namque per venam aortam & majorem, ſtatim vitium ad cordis ſedem tranſvehitur. Meatus enim ex iis venis ad renes continui pertendunt.* Duo videlicet ad utrumque, vena & arteria; quod dilutiorem per eas ſanguinem veluti ſugere & emulgere renes crederentur ex vena cava & arteria aorta, Emulgentes vulgo dictæ: ſed cum facultatem hanc renibus negaverim, equidem malim Renales eas appellare. Utraque omnium vaſorum, quæ ex cava & aorta originem ducunt, maxima. Galenus lib. & cap. v. de uſu part. ex amplitudine arteriæ hujus renalis argumentum capit, ſanguinem in ea contineri. Addo, ut & hinc uſum renibus aſſignatum ſtabiliam, tam ampla vaſa naturam non condidiſſe, ut modo ſanguinem deferrent nutriendis renibus, quibus pauciſſimus ſufficit, neque ut ſeroſum modo humorem efferrent. Renes enim revera ſanguinem, qualis in toto corpore, per arterias recipiunt, & qui, utpote jam à ſero ſecretus, multo craſſior, per venas exit in cavam. Vena hæc, &

arteria, utrimque reſimæ renum parti ſe inſinuant. Sed in his naturam aliquando ludere obſervarunt Anatomici. Vidi nuper alteram emulgentem inferiori parti renis dextri à vena cava inſertam. Statim ab ingreſſu vaſa hæc in tres aut quatuor ramos, horum deinde quilibet in alios, omnes demum in quamplurimos diſperguntur, donec in minutiſſimos & capillares abeant, quorum alii ad gibbam partem excurrentes in renum carnem oblitescunt, alii ad carunculas papillis ſimiles progrediuntur, ſerum tranſcolaturi. Hoc excipiunt fiſtulæ ureterum, & deorſum ad veſicam devehunt. De his proſequitur Ariſtoteles. Ἐκ δὲ τοῦ μέσου, διὰ τούτων τῶν πόρων ἤδη μᾶλλον εἰς τὴν κύστιν ὡς περίττωμα ἀποκρίνεται. *Tum deinde ex medio per eos meatus in veſicam jam magis magisque tanquam excrementum ſecernitur atq; rejicitur.* Ab hoc officio meatus hos Græci Οὐρητῆρας, καὶ οὐρανὰς, ἢ πόρους οὐρητικοὺς, Latini urinaria vaſa appellant. Simplici, ut venæ, conſtant tunica, ſed denſa, villis tantum obliquis texta: ita namque hi ductus diſtendi ac contrahi facile poſſunt, injuriisq; melius reſiſtunt. Ubi ureter renem ingreſſus eſt, latior paulo

paulo redditus in duas, quandoque in tres partes dirimitur, quarum una ſurſum, altera deorſum tendit; ambæ vero in alios ramos, interdum quatuor, ſæpe quinque dividuntur: quo fit, ut eorum propagines octo, vel ad ſummum novem, aut decem ſint, quæ in latum os terminantur, quo ſingulæ carunculam mamillarum papillæ ſimilem è renum carne pronatam excipiunt; & ita ſerum è papillis in ſingulas colatur fiſtulas, ac per eas in veſicam profunditur. Sæpe etiam quidam ex his ramis in medio quoque perforantur, ubi &, non ſecus ac in extremis oſculis, carunculas admittunt.

Emergunt ex reducta renum parte Ureteres, figura teretes, palmum circiter longi, paleam latitudine æquantes, literæ S inſtar obliqui, in mulieribus vero lati, recti, & breves, hinc minore cum dolore calculos extrudunt. Adhærentes peritonæo, à quo communi veſtiuntur tunica, protenduntur à renibus, ſuper lumborum muſculos, ψόας vocant, in coxarum regiones, unde mox in veſicæ latera retorquentur, eaque ſubeunt, non quidem directo, ſed oblique: ne ſi directus pateret ingreſſus, qui in veſicæ ca-

pacitatem inciderat humor, retro compelli regeriq; facile posset. Hoc membranulis transversis valvularum instar, ureteribus, ubi vesicæ insinuantur, appositis, plurimi adscribunt: quarum etiam usus sit, urinæ in vesicam fluenti cedere, & ne eadem, quoties vesica aut venter admodum distenditur, remeare possit, ureterum meatus occludere. Et hi sane tam arcte clauduntur, ut ne flatum quidem, ut videmus in pueris suillas vesicas inflantibus, & ad collum arctissime colligantibus, erumpere sinant. Quod Galenus argumentum dicit esse excellentis cujusdam sapientiæ conditoris nostri, simul & providentiæ in animalibus condendis. Sed impropriam esse hanc membranulæ sive valvulæ appellationem, quemvis docere potest αὐτοψία, cui in Anatomicis, & operibus naturæ cõtemplandis omnino fidem habendam esse monet Galenus II. de usu part. III.

Urinam igitur per ureteres manantem, ut diximus, tandem excipit Vesica; τὸ τῆς ὑγρᾶς περιττώσεως δεκτικὸν μόριον, *humidi excrementi conceptaculum*, ideo dicta Aristoteli I. de hist. animal. Ibi tanquam in laguncula quadam ea asservatur,

tur, dum ratio & arbitrium jubeat extrudere. Unica eſt naturaliter. Coiterus duplicem obſervavit in virgine. Et inſignis anatomicus Caſpar Bauhinus (qui me olim ex Italia reducem Baſileæ ſua humanitate, diligentia & eruditione omnes ubique ſibi obſtrinxit) vidit veſicam geminam, veluti ſacco inferius protuberante, in quo calculi grandiores. Sic memini clariſſimum præceptorem Petrum Paavv nobis olim oſtendiſſe quaſi duplicem veſicã ex Anglia ad ſe miſſam ſummi viri Iſaaci Caſauboni. Veſicæ ſacculus quidam appenſus conſpiciebatur, qui calculum continuerat. Fortaſſe diſtento à mole calculi membranoſo veſicæ corpore, ut peritonæum in hernioſis ſolet, ſacculi iſti paullatim oriuntur, & augeſcunt.

Ne autem homo, quem non oportebat eſſe, ut dicebat Plato, ἄμουσον καὶ ἀφιλόσοφον, frequenti mictioni mancipatus, à rebus agendis avocaretur, ampla veſicæ eſt capacitas, ſimulque figuræ ſpecies globoſa, quo fieret humoris capacior, at nihilominus, ne venter nimium promineret, in modicam longitudinem ſe diffundit. Sub os pectinis in coxarum an-

trum dejecta reconditur, recto intestino innixa affixaq;. Hanc ea tantum animalia, quibus pulmo sanguineus, obtinuerunt, & quæ inter illa calidiore sunt pulmone, capaciorem aliis nacta. Idcirco hominis vesica, proportione cæterorum animalium amplior; cujus capacitatem videre licet, dum inflatur, aut impletur. Quod si in viventibus, urinæ copia nimium distendatur, ejus suppressionem infert: quod ita dilatata fibras suas, quas Aquapendens inter musculos refert, contrahere non possit. Hoc qui negant, experientia convincendi. Juveni cuidam apud Pareum XVI. Chirurg. XLVIII. in summa mejendi necessitate, quod cum domina equo veheretur, urinam reddere non audenti, ita suppressa est, ut ab itinere domum relatus, nullo eam conatu expellere valuerit. Interim, quia acerbissimo hypogastrii & peritonæi dolore opprimebatur, torminibus & sudore universali comitante, sic ut animo propemodum linqueretur, vocatus Pareus, immisso fistuloso cathetere, & compresso hypogastrio (quod & Galeno probatum) urinæ excretionem procuravit, duabus ex tempore libris profluentibus. At non

omnibus

omnibus hic ſucceſſus. Refert Guillemæus lib. II. de partu Gallice ſcripto, cap. XI, fibras veſicam contrahentes, in parturientibus ſæpe adeo debilitari à diſtentione ob nimiam urinam, ut vel patente meatu excerni nequeat. Et non raro talis ſuppreſſio ipſam mortem infert. Vir quidam nobilis, cum aliquando largiter apud comitem Hohenloënſem invitatus eſſet, ibique præter conſuetudinem pluſculum vini ingurgitare cogeretur, & de menſa, ne aliis moleſtus eſſet, ſurgere vereretur, mox domum reverſus peſſime habuit. Nam luctator doloſus, qui primum pedes captare ſolet, veſicam ita invaſerat, ut nullis machinis exturbari potuerit. Ita ſubſequente ἰχωρίαν febre, & aphthis, mors miſerum paullo poſt occupavit. Sic ſcribit Galenus VI. de loc. affect. IV, urinam cuidam cohibitam, torpente ob affectos nervos veſicæ ſenſu. Quum itaq; inter dormiendum non ſentiret homo veſicam impleri, ipſa extenſa nihil excernere potuit. Quemadmodũ etiam ſanis quibuſdam, inquit, aut urgentibus negotiis, vel in concionibus, vel in ſenatu, vel foro, vel convivio. Tum enim retenta diutius uri-

na, diſtenditur veſica, atque urina ſupprimitur, contractrice facultate lęſa propter immodicam tenſionem. Num vero obtuſus veſicæ ſenſus urinã excerni prohibeat, Medici digladiantur. Galenum ejus eſſe ſententiæ jam vidimus. Sed ipſa maximi præceptoris verba huc afferamus. Ἡ κύστις ἐνέργειαν ἔχει μίαν, τὴν περισταλτικήν. ὁ δὲ τὸν οὐρητικὸν πόρον, ἐν κύκλῳ περιέχων μῦς, ἐν ἀρχῇ τοῦ τραχήλου τῆς κύστεως τεταγμένος, ὄργανόν ἐστι προαιρετικὸν ἔργον ἔχον, σφίγγειν ἐν κύκλῳ τὸν αὐχένα τῆς κύστεως, οὕτως ἀκριβῶς, ὡς μηδὲν εἰς τὸν πόρον αὐτοῦ, τῶν ἐκ τῆς κύστεως ὑγρῶν ἐξιέναι. τὴν δ' αὐτὴν ἐνέργειάν τε καὶ χρείαν ἔχει καὶ ὁ ἐπὶ τῷ πέρατι τοῦ ἀπευθυσμένου μῦς. καὶ διὰ τοῦτο, παραλυθέντων αὐτῶν, οὔτ' οὖρον ἴσχεται κατὰ τὴν κύστιν, οὔτε κόπρος ἐντὸς τῆς ἕδρας. ἀλλ' ἐκρεῖ καθ' ὀλίγον ἀμφότερα, χωρὶς τῆς ἡμετέρας προαιρέσεως. *Veſicæ unicum officium eſt contractio. At muſculus, qui urinæ meatum in circuitu ambit, in origine cervicis veſicæ extenſus, inſtrumentum eſt, cujus opus ab electione excitatur: utpote, qui ambiens veſicæ cervicem, eam ita exacte ſtringit, ut nihil humoris ex veſica in meatum ingredi poſſit. Atque ſimilem quoque & actionem, & utilitatem habet muſcu-*

muſculus, qui recti inteſtini extremam partem ambit. Proinde ipſis reſolutis, neque urinam veſica, neque ſtercora alvus retinere poteſt, ſed præter voluntatem paucis omnino intervallis utraque effluunt. Et paullo poſt. Ὅταν μὲν οὖν τὰ νεῦρα πάθῃ, δι᾽ ὧν ἡ ψυχικὴ δύναμις ἐπὶ τοὺς εἰρημένους ἀφικνεῖται μῦς, ἢ καὶ τὸ νωτιαῖον αὐτὸν βλαβῆναι συμβῇ παραλυθέντων τῆς ἐνεργείας τῶν μυῶν, ἀκούσιος ἔκκρισις οὔρου τε καὶ κόπρου γίγνεται. ὅταν δ᾽ αὐτὸ τῆς κύστεως τὸ σῶμα τοιοῦτο πάθοι πάθος, ὡς ἀδυνατεῖν ἐκθλίβειν τὸ περιεχόμενον ἐν αὐτῇ, κατέχεται τούτοις τὸ οὖρον, καὶ καλεῖται τὸ σύμπτωμα αὐτῆς ἰσχουρία. συμβαίνει δὲ καὶ διὰ δυσαισθησίαν αὐτῆς, γίγνεσθαί ποτ᾽ ἐπίσχεσιν οὔρων, ἄνευ τοῦ πεπονθέναι τὴν ἐκκριτικὴν δύναμιν. ἐὰν τὰ μὲν τῆς κύστεως ἴδια νεῦρα πάθῃ, τὰ δὲ τοῦ σφίγγοντος αὐτῆς τὸν αὐχένα μυὸς ἐναργεῖ, διασώζοντα τὴν ἑαυτῶν δύναμιν. ὡς ἐάν γε παραλυθῇ, σημεῖον ἴδιον τῆς παραλύσεως τούτου τοῦ μυός ἐστιν, ἡ τῶν οὔρων ἀκούσιος ἔκκρισις. *Quum itaque nervi, per quos animalis facultas ad jam dictos muſculos pervenit, afficiuntur, aut ubi dorſalis medulla ipſa læſa eſt, reſolvitur muſculorum actio, atque excernitur & urina, & ſtercus, vel laborante invito. Quum vero veſicæ corpus*

ita

ita fuerit affectum, ut quod in ea continetur, exprimere non possit, supprimitur urina, nominaturque hoc accidens ipsius Ischuria. Atque accidit interdum, ob obtusum ejus sensum, ut non reddatur urina citra expultricis facultatis læsionem, si proprii vesicæ nervi afficiantur, nervis, musculi ejus cervicem stringentis, munere suo fungentibus, ipsorum scilicet facultate servata. Nam, si resolvantur, proprium indicium, quod musculus hic resolutus sit, est urinæ præter voluntatem excretio. In quibus verbis duo veniunt examinanda. An scilicet urina supprimi queat ab obtuso vesicæ sensu, & ejusdem paralysi.

Quod ad prius attinet. Sensum vesicæ deducunt duo nervi, quorum alter à sexta conjugatione costali, alter à medulla ossis sacri originem trahit. Hos si νέκρωσις occupet, sensum amittit vesica, nec irritamento rei molestæ afficitur, atque ita urinam retinet. Hinc ab Hippocrate scriptum est sect. 1. lib. 1. prorrhet. nullum rei molestæ sensum excitari, atque urinam supprimi vesica plena. Vidimus etiam Galenum, manifeste Ischuriæ caussam refundere in obtusum vesicæ sensum,

ſum, ob quem illa ſe impleri non ſentiat, nec idcirco ad excretionem irritetur. Quam Galeni ſententiam Fernelius VI. Patholog. XIII. & ex eo Augenius, imaginariam vocat cauſſam IV. Epiſtol. II. Urina enim, inquiunt, quamdiu patentem liberamque viam habet (ut in iis, qui ob calculum ſecti ſunt) nullo propellente, aut excernente prolabitur, & ſuopte impetu foras excidit. Hujus controverſię ſolutio pendet à facultate, qua functiones ſuas expedit Veſica, hoc eſt, urinam retinet ac expellit. Utraque Galeno I. & VI. de locis affect. partim naturalis, partim animalis. Naturalis, quatenus retinetur urina in veſicæ fundo obliquarum fibrarum miniſterio, & expellitur ſtimulato veſicæ ſenſu ad excluſionem rei moleſtæ ac irritantis. Animalis, quatenus pro voluntatis arbitrio, beneficio ſphincteris muſculi, ſiſtitur, & ope muſculorum abdominis, qui hypogaſtrium premunt, excernitur urina. Miſta itaque actio, ſed magis animalis. Hinc modo tardius, modo celerius urina redditur, aut cohibetur, ad arbitrium noſtrum. Quod ſi ſponte & ſuopte impetu foras excideret, quando via patens & libera

eſt,

eſt, in homine ſano indeſinenter efflueret. Sed dicent, in his meatum claudi à muſculo ſphinctere, quem ſcribit Gal. v. de uſu part. ult. à natura conditum fuiſſe, ut meatui urinario, tanquam præfectus, exitum occluderet, ne quoties aut copia, aut prava qualitate homines gravat, præter voluntatem urina exiliret. Sed an non id indicat à ſenſu hanc functionem dependere? Adde, quod in ægris, licet nulla adſit aut adſtrictio vel obſtructio, quas unicas illi ponunt Iſchuriæ cauſſas, urina tamen ſponte non effluit, ſed nutu atque arbitrio eorum vel cohibetur, vel excernitur. Præterquam quod idem comprobent ea, quæ de diſtentione veſicæ urinam ſupprimente jam diximus. Quod vero affertur de Calculoſis, parum ad rem facit. Nam cum in iis diſſectus ſit muſculus ſphincter, retinendi facultate impedita, per apertum & declive vulnus urina ſponte elabitur. Nec penitus tamen ceſſat animalis facultas, fibris veſicæ & ſphincteris ab urinæ acrimonia ſtimulatis, ac proinde excretionem juvantibus. Quandoquidem igitur hæc ita ſe habeant, potior nobis videtur Galeni ſententia, ſenſum ſcilicet veſicæ adeo poſſe hebe-

hebetari, ut ipſa veluti ſtupore affecta, urinæ excernendæ immemor reddatur.

Sed an & à paralyſi ſeu reſolutione veſicæ (quod alterum erat) urinæ excretio impediri queat, nunc inveſtigandum. Negat Galenus VI. de locis affect. IV, & ſtatuit neque nervorum à ſpinali medulla prodeuntium, neque etiam ipſius medullæ affectus, veſicæ aliquam imbecillitatem afferre poſſe, ut urina propterea ſupprimatur: quemadmodum, inquit, nonnulli putaverunt, credentes, veſicæ officium à conſilio & electione procedere, quod ſcilicet urinam retinemus, quoad voluerimus, atque etiam pro voluntatis imperio excernimus. Concludit igitur, cum opus naturale ſit, reſoluto muſculo non urinæ ſuppreſſionem, ſed involuntarium exitum induci. Contra Paulus lib. III. cap. XVIII. utrumque fieri ſtatuit à veſicæ paralyſi. Idem docet Aëtius tetr. III. ſerm. III. In reſoluta nempe veſica rei moleſtæ ſenſus non excitatur, ac proinde non movetur ad urinæ excluſionem. Veritatem hujus doctrinæ ipſa experientia cõfirmat. Afferam exemplum, cujus ſum αὐτόπτης, & teſtis oculatus. Miles ſclopetario (ut vocãt) globo in lumbi

verte-

vertebris vulneratus, inciderat in paralyſin univerſalẽ partium loco læſo inferiorum, ita ut nec fæces, nec urinam retinere poſſet. Quę cum initio guttatim extillaſſet, mox veſica plus, quam elaberetur, continuo recipiente, paullatim ſuppreſſa eſt, ſic ut poſt tres hebdomadas à vulnere ingens tumor ſe circa umbilicum offerret. Vidi poſt obitum veſicam abſque ulla cauſſa obſtruente urina copioſa admodum diſtentam (è qua tamen nihil, neque in vita functo, effluerent) è propria ſede ad umbilici uſque regionem aſcendiſſe. Huic hiſtoriæ plane ſimilem ponit Trincavellius x. de ratione curandi part. hum. corp. affectus VIII. in patricio quodam Veneto, cui poſt reſolutionem utriuſque cruris, imo totius inferioris partis corporis à lumbis infra, ſuppreſſa eſt urina, & veſica adeo urina repleta intumuit, ut putarent nonnulli Medici, eum inflammatione, vel ſcirrho fuiſſe abreptum, ob paralyſin vero nullum percepiſſe dolorem. Cuidam, apud Hollerium I. de morb. intern. XLVIII, cum ſubita reſolutione veſicæ ſubitus dolor motus eſſet in oſſe ſacro & coccyge, urinæ ſuppreſſio ſequuta eſt, quam tamen red-

debat tuſſiens, & ſeſe comprimens manu admota pubi. Refert & Duretus annot. in Holler. cit. quendam iſchuria ex reſolutione interiiſſe.

Sit igitur ratum, & à ſtupore, & à paralyſi veſicæ, urinæ fluxum ſiſti: ita ut & Riolanus fruſtra ſit, dum III. de morbis II. XXXII. negat, quando à valde refrigerantibus veſicæ admotis aut injectis, ſenſus ejus obtunditur, urinam poſſe ſupprimi: quia, inquit, frigore immodico potius reſolvitur, & urina præter voluntatem excernitur. Utrumque enim à paralyſi fieri poſſe, jam demonſtratum eſt. Imo ſuppreſſio tanto facilius à frigore, quatenus conſtringendi munere fungitur. Id agnovit & damnavit Hippocrates I Prorrhet. I. Αἱ ἐκ καταψύξιος ἐν ὀξέσιν οὔρων ἀπολήψιες, κάκισται. *Vrinarum in morbis acutis ex perfrigeratione interceptiones, peſſimæ.* Fuſius Iſchuriæ cauſſas examinare viſum fuit, quod non poſtremum ſit Calculi Symptoma, uti ſuo loco videbimus.

CAP.

Cap. III.

Nephritidis & Calculi nomina. Ad quod genus præter naturam referri debeat. Non esse morbum, contra Galenum, Avicennam, & alios: nec morbum esse substantiam, contra Fernelium, & Fuchsium. Neque Calculum symptoma esse, sed morbi caussam. Quomodo tamen morbus quoque dici possit. Ejus definitio.

Cum Epicteto ἀρχὴ παιδεύσεως sit ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις, à propositi affectus nominibus ordiemur. Quamvis autem Νεφρῖτις, ut scribit author de renum affect., dici possit affectus omnis, quo οἱ νεφροὶ, renes laborant, sive is similaris sit, sive organicus, sive communis, peculiariter tamen pro renum Calculo plerisque sumitur: ut λίθος, λιθίασις, & λιθὶς Hippocrati IV. de morbis, pro Calculo vesicæ. Calculatio vocatur Cælio Aureliano V. Χρονιῶν IV. & qui hoc malo laborant, Græce appellantur λιθιῶντες, Latine, Celso & Plinio interpretibus, Calculosi. Plinio item, ut quibusdam videtur, lib. XX. cap. XXII. Lithanici: sed malo alteram

[v]eram lectionẽ, Tetanici, eo loco. Nam [v]oce λιθιαντικοῦ nemo, quod sciam, Græ[c]orum utitur. Vulgó Latinis hic affectus Calculus dicitur, Scribonio quoque, Lar[g]o & Marcello Empirico Lapis. Calcu[l]um equidem, omissis Isidori, & aliorum etymologiis dictum putem à calce, unde generatur. Apud Festum, & Priscianum [l]ib. VI. Calculus diminutivum est à calx, [i]d est, lapis. Plautus Pœnulo:

Profecto ad incitas lenonem rediget, si eas abduxerit.

Quin prius disperibit, faxo, quam unam calcem civerit.

Ubi calces ciere dixit, κινεῖν τοὺς πεσσοὺς, ut exponit Scaliger in Varronem, VI. de ling. Lat. Calx autem deduci videtur à Græco χάλιξ. Glossæ: χάλιξ, *silex, cæmentum.* Lapidis vocem quoque multi derivant à Græco λάας, unde & λαὸς, id est, populus quibusdam dicitur, eo quod post diluvium jactis in aversum lapidibus, Deucalion, & Pyrrha, humanum genus repararint.

Vnde genus durum sumus, experiensque laborum,

Et documenta damus, quâ simus origine nati.

ut canit Ovidius I. Metam. Sed Lapides, de quibus hic acturi ſumus, non ortum, ſed interitum ægris mortalibus afferunt.

De natura hujus affectus, & ad quod genus præter naturam referẽdus ſit, controvertuntur Medicorum filii: Galenus de morbor. differ. VIII. & XIV. Method. XVIII. item Avicenna I. Fen. II. doctr. I. cap. III. ea, quæ toto genere præter naturam ſunt, morbis exuperantiæ annumerant, nempe additum quid præter naturam, quod naturaliter abeſſe debebat. Itaque ſtatuunt Calculum, numeri morbum: quod etiam inter alios ſequuntur Vidus Vidius x. de curatione membratim xx. Capivaccius III. Pract. XXVIII. Manardus XVI. Epiſtol. III. Varandæus de affect. renum I. Alii Symptoma eſſe contendunt, retentum videlicet præter naturam. Plerique morbi cauſſam: eſt enim Calculus cauſſa obſtructionis; atque id quod immediate actiones lædit, ipſa eſt obſtructio. Poſtrema opinio reliquis præferenda videtur. Nam qui Calculum morbum eſſe dicunt, morbum ſubſtantiam eſſe aſſerũt, quod in Fuchſio reprehẽdunt Valleſius, Varandæus, Ranchinus, atque in eodem, & Fernelio Sennertus,

mertus, &, bene olim Bononiæ de me meritus, ὁ μακαρίτης Bartoletus. Nihil enim revera aliud eſt morbus, quam διάθεσις, ut Ariſtoteles vocat, ſeu qualitas, quæ functiones lædit. Minus adhuc exuperantiæ ſeu numeri morbus dici poteſt; quia talis morbi ſpecies tantum conſiſtit in partibus naturalibus, quæ materia vel etiam forma prorſus conveniunt, ſolo numero peccant, ut ſextus digitus, tertius teſticulus, &c. Calculus vero, lumbrici, verrucæ, & alia, quæ à Galeno afferuntur, cum nec partes corporis dici poſſint, nec cum iis forma, vel materia conveniant, ſed toto genere præter naturam ſint, nulla ratio eſt, cur morbis numeri adſcribantur. Et ſicuti Calculus morbus haberi non poteſt: ita neque ſymptoma. Nam ea ſolum præter naturam retineri dicuntur, quæ cum homo ſanus eſt, & bene valet, excerni neceſſario debent. Qualia ſunt quæ per alvum, veſicam, &c. quotidie expelluntur. Hoc autem in Calculo nō habet locum, quem in ſano corpore non reperimus. Reſtat igitur, ut Calculum morbi cauſſam agnoſcamus. Sic & Julius Scaliger comm. ad Hippocratem de Inſomniis contendit,

Calcu-

Calculum ad obſtructionem pertinere. Ita Fernelius cavitatis morbum repletionē eſſe dicit, ut veſicæ in Calculo: ipſum vero Calculum duntaxat morbi cauſſam. Nam ſi dolorem excitat, prius continuum ſolvit; ſi urinæ effluxum prohibet, meatum prius obſtruxit; eſt itaque morbi cauſſa. Obſtructio vero, & ſolutio continui immediate actiones lædunt. Scribit Turiſanus Comment. in artem parvam Galeni, licet Calculus, & ſimilia, partes corporis non ſint, videri tamen partes, non quidem intra membri organici ſubſtantiam collocatas, ſed ab ejus ſpatio comprehenſas. Quæ ſententia, ſi recte explicetur, ſatis commoda videtur celeberrimo Sennerto II. Inſtit. I. VII. Eſſe enim quiddam alicui parti præter naturam additum, & ob ejus præſentiam aliquid in parte præter naturam abundare, atque ita in talibus numerum vitioſum eſſe, ſi non ob partes conſtituentes, tamen ob ea quæ continentur. Non aliter quoque Steph. Caſtrenſis, Profeſſor apud Piſanos magni nominis, probare nititur III. de meteoris microcoſmi IX. Calculum Medicis pro morbo habendum. Si enim, inquit, interrogetur Medicus, quid

in

in humano corpore curare velit; curare se velle morbum, respondebit. Si autem quid agat consideres, nihil aliud agit, quam cum substantiis pugnare. Calculosis calculum extrahit. Febre laborantes evacuationibus adjuvat, &c. Tandem refutatis aliorum opinionibus concludit his verbis: *Particulas viventes dicimus esse subjectum vel inhæsionis, vel saltem attributionis omnium morborum, ita tamen ut morbus semper substantia sit, & vel inhæsive, vel attributive viventis esse dicatur. E.G. Vlcus est morbus, cujus subjectum inhæsionis est pars vivens, & nihil aliud est ulcus, quam substantia carnis corruptione affecta. Calculus vesicæ est morbus, cujus subjectum attributionis est substantia vesicæ. Vtrum vero istæ substantiæ sint morbus, an qualitates, quæ ad has substantias consequuntur, ab ægroto quærito, qui nihil aliud vult, quam sibi illam substãtiam vitiosam expelli, quæ si supervacua est, sola expulsione curatur, sin minus, post expulsionem postulat alterius substantiæ melioris repositionem. Vnde Calculum sola expulsione curamus, &c.*

Sed his omissis, ad magis seria progrediamur.

diamur. Placet igitur, quoniam omnis disputatio de Calculo futura est, ante definire, quid sit Calculus. Omnis enim, authore Tullio, quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à definitione proficisci; ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur. Calculum itaque definimus, corpus durum, ex humore terrestri & salso, in renibus potissimum ac vesica stupore affectis, in lapidis formam concretum, obstructiones & distentiones inferens. Diximus, corpus durum in lapidis formam concretum, ut distinguatur ab aliis rebus prçter naturam, quæ quamvis aliquam duritiem obtineant, ut tophi, calli, & verrucæ, non tamen illam formam referunt, quam in lapidibus conspicere est. Quod ad caussas & symptomata, de iis nunc ordine acturi sumus.

CAP. IV.

Communis veterum, & recentiorum opinio de Calculi caussa materiali & efficiente, atque generationis modo.

QUoniam nemo occurrere, vel mederi vitio potest, qui originem ejus ignorat, operæ pretium facturus mihi videor,

deor,

deor, si in assignando Calculi ortu pandam orationis vela, eumque disputationum remis postea propellam. Veteribus omnibus & plerisque recentiorum Calculi materia statuitur pituitosus, crassus, & viscosus humor, in renes pariter cum sanguine & sero excurrens. Efficientem vero caussam profitentur, immoderatum esse renum calorem, qui humores perurens, siccans, & obdurans, cogat in lapidem. Princeps Hippocrates scripsit lib. de internis affect. Calculum renum γίνεσθαι ἀπὸ τοῦ φλέγματος, *fieri à pituita.* Et lib. de natura hominis, ob caliditatem vesicæ calculos in pueris generari statuit. Γίνονται, inquit, καὶ οἱ λίθοι τοῖσι παιδίοισι διὰ τὴν θερμότητα τοῦ χωρίου τουτέου, καὶ τοῦ ὅλου σώματος· τοῖσιν ἀνδράσιν οὐ γίνονται λίθοι, διὰ τὴν ψυχρότητα τοῦ σώματος. *Pueris etiam Calculi innascuntur ob loci hujus calorem, totiusque corporis. Viris vero calculi ob algiosum corpus, non innascuntur.* Et Aristoteles x. Probl. XLII. dicit terrestrem materiam loci calore concrescere, atque ita calculum confici. Galenus III. de Aliment. facult. XVI. *Succus crudus, qualis ex oxygalacte, caseo, & omnibus crassi succi edulius provenit,*

nit, calculos in renibus ſolet gignere, cum hi calidiores juſto fuerint. Plures ex eodem locos afferre poſſem, ſed cum reliqui idem fere dicant, eos brevitatis cauſſa prætereo. Et certe ab uno ejus mens diſci poteſt. Alexander Trallianus lib. IX. cap. IV. *Calculi, qui in renibus generantur, à viſcidis craſſiſque humoribus igneo renum calore nimium aſſis gignuntur. Eſt itaque materialis Calculorum cauſſa, humor craſſior; efficiens autem, ignea caliditas, ſicut etiam in externis videmus. Nam ex igne, & tali materia idonea, figuli omnia vaſa conficiunt, ita ut ab aqua quidem nunquam diſſolvi poſſint.* Paulus Ægineta lib. III. cap. XLV. *Materialis Calculorum generationis cauſſa eſt craſſus ac terreus humor: efficiens vero, fervida renum aut veſicæ caliditas.* Oribaſius lib. IV. cap. CI. *Seroſum excrementū tenuiſſimo ſanguini in venis commiſtum, renes ſuapte natura in ſe trahunt. Vbi ergo meatus, per quod tale excrementum attrahitur, magis, quam par eſt, fuerint dilatati, veriſimile eſt cum tenui ſanguine craſſiorem quoq; materiam in renes importari. Sique renes magis igneam acremque temperaturam nacti*

ſunt,

unt, necesse est crassiorem illam materiam xcalefactam & siccatam in arenæ formam, lapillorumque tofi speciem referenium, concrescere. Aëtius tetr. III. serm. I. cap. IV. *Caussæ generationis Calculorum, assiduæ existunt cruditates, unde ateriæ incoctæ ac crudæ multitudo conregatur, & ardor circa renes & vesicam coritur, qui humores adassans eos cogit, r in lapidem indurat, ad modum tofoum, qui in aquis reperiuntur, quæ in neis præsertim balneorum vasis coquunr.* Actuarius IV. Method. VIII. *Vitana omnia, quæ manifesto calefaciunt, ut vehementior exercitatio: inde namq;, uod humores nimium assantur, ejusmodi menta conflantur: quæ temporis spatio ëuntia, ac admisto lento quopiam huore compacta, in tofos ac calculos abeunt, aut renes urgent, aut in vesicam delantur.* Arabum Medicorum coryphæus icenna ejusdem cum Græcis est senntiæ. Ita enim scribit lib. III. Fen. XVIII. ct. II. cap. XVI. *Communicant renes & sica in caussa generationis lapidis, & d est, quoniam lapidis generatio non pleretur, nisi ex materia patiente & tute agente. Materia vero est humi-*

ditas viscosa, grossa, phlegmatis, aut saniei, aut sanguinis aggregati in apostemate, & hoc est raro. Virtus vero agens, est caliditas egressa ab æqualitate. Loca ipsa ex authoribus hisce adducere volui, ut pateat omnes ab omni antiquitate quasi de compacto in utraque calculi caussa consentire. Eorum dogma plerique recentiores sequuntur, quorum loca, ne actum agam, huc afferre supersedeo. Eadem enim aliis subinde verbis essent dicenda. Et notum passim Græcorum proverbium, δὶς κράμβη θάνατος.

Occidit miseros crambe repetita magistros.

CAP. V.

Lapidum à calore & frigore coagmentatio. Ruffi, Aretæi, & Alemanni error. Communis de Calculi caussa efficiente & materiali opinio rejecta. Ejus opinionis caussa. Hollerius notatus. Vnde vesica carnosa, & humoris viscidi excretio in calculosis quibusdam: in aliis urina aquea. Fernelius contra Ioubertum defensus. Vterus unde carnosus caussa cur dilatatus, magis crassescat.

Cur arteria umbilicalis gemina, vena ſimplex.

ARiſtoteles IV. Meteor. II. corpora indurari ſcribit, vel à calido exſiccante humidum, vel à frigido illud exprimente. Vnde fortaſſe Cardanus VII. de Subtilit. lapides in animalibus ab iiſdem ſtatuit oriri cauſſis; à frigore, ut in limace, perca, cancris, &c. à calore, ut in veſica fellea, renibus &c. Sic in ſenibus, quibus totum corpus, præcipue vero partes iſtæ refrixerunt, ab intenſo frigore viſcidum illud & terreum congelante, Calculos fieri exiſtimant Ruffus, & Aretæus. Sed cum tantum frigus, quod lapidem coagmentare valeat, in vivo corpore non detur, ut recte dixit author de renum affect. II, neutiquam eſt admittenda hæc veterum medicorum ſententia, quamvis eam ſtabilire conatur Alemannus comment. in Hippocr. de aëre, aquis, & locis. Rurſum ſenes, & alii, quorum calor debilis, tum loca frigidiora, in quibus calculi generantur, abunde oſtendunt, calori eorum concretionem non eſſe tribuendam. Nec raro obſervavi, multos, quibus calidiſſimi

renes, plane immunes degere à calculo, & eos, qui frigidiores habebant, nephriticis doloribus frequenter cruciari. Calor ſiquidem renum, præcipue ſi copioſius ſit, tantum abeſt, ut calculorum coagulationem promoveat, ut potius impediat; & hinc pueri, quos calidiſſimos dixit Hippocrates, minus infeſtantur renum calculis, quod eorum materia à calore liquetur, & expellatur, uti poſtea fuſius dicetur. Patet idem in urina excreta, quæ ſi calida ſervetur, non tam cito ψαμμώδεα matulæ apponet, aut arenulas ſubſidere faciet, quam ſi refrigerari ſinatur. Hinc etiam fortaſſis Galenus comment. III. in VI. Epidem. XV. & Author de renum affect. cit. ſtatuunt Calculos in homine generari non tantum à vehementi calore, ſed etiam à tepido. Et ſi craſſa ſit materia, ſufficere poſſe tepidam & moderatam caliditatem, quæque naturalis eſt, ad firmandam & indurandam terræ modo craſſam hanc materiam: eſſe enim craſſitiem ad generandum lapidem ſingulariter accommodatam; ſin tenuior ſit, vehementiori tum plane indigere caliditate, ſive naturalis ſit, ſive præter naturam, qua dureſcat in ter-

terram: ſiquidem calore tenues materiæ partes evaporare, atque ita, ubi valuerit, lapidem fingi & conformari. Mox idem author de renum affect. cit. ſtatuit materialem Calculi cauſſam cum aliis, ut ex proxime præcedenti capite liquet, craſſum aut glutinoſum ſuccum, vel utroque modo vitiatum, quem Hippocrati pituitam vocari diximus. Sed ex craſſo, glutinoſo, aut pituitoſo humore non concreſcere Calculum inde patet, quod exſiccatus non dureſcat, ſed potius in mucum aut viſcum abeat. Adde, quod in partibus, ubi pituita maxime abundat, ut ventriculo, cerebro, ſæpiſſime Calculi generari deberent: quod non niſi rariſſime contingit. Preterea in renes, ubi frequens Calculorum procreatio, pituitoſi humores vix perveniunt, & ſi pervenirent, tamdiu minime ſubſiſterent. Videmus etiam lapillos veſicæ fellis, non ex pituita, ſed bile, ut color indicat, concretos. Et refert Cardanus, monachum quendam octuageſimum agentem annum, ſæpe tantum pituitæ concretæ in matula illi oſtendiſſe, ut ovum anſerinum magnitudine ſuperaret, quæ tamen lapidem nunquam produxerit. Et cum viſci-

dus humor generetur à frigore & cruditate, non poſſet niſi ab ardentiſſimo fervore exuri, & in lapidem coqui. At talis æſtus in corpore non datur: & in calidioribus locis Calculos ſæpius provenire non obſervatur. E contrario etiam videmus ex urina clara & limpida, ſi aliquamdiu ſervetur, arenoſam materiam vaſi adhæreſcere. Sed neque magis recipiendum, quod Medici plerique ſtatuunt, viſcidam materiam inſtar glutinis hic ad glutinandum requiri. Si enim talis adeſſet, calculi concretionem potius prohiberet. Nam neque in externis rebus viſcidum aquæ indureſcit, ſed potius emollitur ab aqua, in primis & citius, ſi calida ſit. Sic videmus ipſum glutinum, ſi aqua calida excoquatur, non indurari, ſed liqueſcere. Cum autem in renibus, ac veſica ſemper adſit ſerum calidum, craſſa & glutinoſa materia, cujus proprium eſt ab humido calido diſſolvi, lapideſcere nullo modo poteſt. Quare cauſſa, cur multi arenas excernant, neque tamen calculoſi ſint, non eſt, quod deſtituantur viſcido humore, tanquam glutine, ut ſtatuit Hollerius I. de morbis internis XLVIII. Sed longe alia, quam proxime ſequenti capite

capite asseremus. Objicies, quod nonnulli palmarium putant, in urinis calculo vesicæ laborantium viscosos sæpissime humores observari. Et ipse profecto reliquam urinæ quantitatem eos superare, non raro vidi. Hæc forte caussa est, cum viscidum & lentum humorem tam copiose, tanto tempore excernere animadverterent calculosos, ut eum existimarint Calculi materiam primi Medicinæ authores, quos postea, nullo quicquam agitante nisi quod acceperat, reliqui, tanquam pedarii senatores, sequuti sint. Verum enimvero hunc non esse materialem Calculi caussam, sed alimenti carnosæ vesicæ excrementum, demonstrare conabor. In eorum cadaveribus, qui obierant à calculo, & diu multumque mucosum & viscidum humorem excreverant, sæpius observavi vesicæ corpus præter naturam carnosum; semel in puero trienni à sectione mortuo minimi digiti, in majoribus sæpe pollicis crassitie, ita ut, nisi mors præoccupat, circa ipsum calculum tandem concrescat, eumque quamproxime amplectens, urinamque supprimens, ægros misere jugulet. In aliis, qui urinam tenuem, claram, & aquæ

ſimilem reddiderant, veſicæ ſubſtantiam membranoſam, qualis natura eſt, animadverti. Hujus diverſitatis cauſſam, ut inveniſſe me putem, facit divini ſenis oraculum ex lib. v. Aphoriſm. LXVI. Ἢν τρωμάτων πονηρῶν καὶ ἰσχυρῶν ἐόντων οἴδημα μὴ φαίνηται, μέγα κακόν. *Si in vulneribus pravis & magnis tumor non appareat, ingens malum.* Sic dixit Celſus lib. v. cap. XXVI. Nihil intumeſcere vulnus, periculoſiſſimum eſſe, quod indicium ſit emortui corporis. Rationem reddit Galenus comment. in Hippocr. cit. quia ſuſpicio oritur humores, qui, ob dolorem, ad vulnera defluunt, jam ad partes principaliores tranſmeare. Idem Galenus teſtatur lib. II. de differ. Febr. natura omni particulæ inſitum eſſe, ut quæcunque robuſtior eſt, propria quadam vi id, à quo læditur, ad debiliorem tranſmittat, nec ceſſet iſta tranſmiſſio, donec ad imbecilliſſimam ventum ſit. Quandoquidem igitur pars vulnerata non ſine cauſſa admodum debilis eſt, ac proinde ad excipiendos humores maxime parata, ſi illi ad alias curſum flectant, indicio eſt, vulnerata eas debiliores, quod merito malum pronuntiat Hippocrates. Idem

locum

locum habere volo in Calculoſorum veſica. Calculus, inprimis cum grandeſcere incipit, pungere fere ſolet (alia res eſt, cum quieſcit) membranoſum ac proinde ſenſile veſicæ corpus, inde dolor, & major partis imbecillitas. Quando igitur ſanguis ad illam non fluit, credas alias partes in corpore veſica debiliores. Cum vero affluentes humores in veſicam excipiuntur, hæc ſibi eos apponit, mutat, & agglutinat, unde paullatim carnoſa, indieſque craſſior redditur. Superfluum autem, quod jam veſicæ colore imbutum eſt, quotidie ſimul cum urina excernitur. Non colligi autem lentum & viſcoſum iſtum humorem in veſica, ibique coagmentando calculo retineri, inde patet, quod in veſica eorum, quibus uno die, vel biduo ante obitum, urina ſuppreſſa fuiſſet, non major ejus humoris quantitas inventa ſit, quam iſto temporis intervallo reddere antea conſueverant. Indicio aliunde ejus materiam, quotidie in veſicam corrivari. Sic ſcribit Fernelius talem à renibus profluere, & circum calculum concreſcere vitio veſicæ & imbecillitate: eo argumento, quod talis etiamnum plerunque maneat ac

per-

persistat exempto calculo. Hoc immerito taxat Ioubertus lib. de Vrinis cap. XXI. qui se in non paucis refert observasse, præsente calculo frequenter mucum rejici, qui mox à lithotomia profluere desinat. Quod minime, inquit, accideret, si is à partibus vesicæ superioribus manaret. At ego sæpius vidi, talem mucum aliquamdiu adhuc post exemtum calculum excerni, nonnunquam etiam, quod Ioubertus forte non animadvertit, per vulnus effluere. Quid mirum, vesicæ debilitate post calculi sectionem non sublata? Quinetiam aliquando conspexisse me memini in renibus viri à sectione calculi vesicæ mortui mucosam ejusmodi materiam, quam tamen vivus nunquam excreverat; quod tamen potuisset, si forte illi renes fuissent validiores, aut diutius vitam protrahere potuisset. Hoc nihilominus cum Iouberto fatendum est, non solere mucum illum plerunque è partibus superioribus descendere in vesicam: sed, ut equidem sentio, materiam fere habet vesicæ alimentum, quod, quia jam carnosa est, affluit copiosius, ideoque etiam multum viscidi excrementi relinquit. Hoc ii, quibus carnosum

ſum eſt veſicæ corpus, quotidie cum urina excernunt. At quibus aliæ partes veſica debiliores, ſanguinis fluxum intercipiunt, aut quibus quieſcens calculus dolorem non parit, hi claram fere & tenuem urinam, nec raro plane aqueam meiunt.

Quod de Calculo dixi, non videor plane ἐκτὸς τοῦ ἐλαιῶν ad uterum transferre. Igitur quod à calculo præter naturam in veſica fieri docui, non immerito fortaſſis id in utero à fœtu contingere dixerim. Subſtantiam utero largita eſt natura membraneam, ut veſicæ: at in prægnantibus, tota pœne carnea eſt, & dilatata, ut ſolent res aliæ, non extenuatur; ſed quanto magis diſtenditur, tanto magis craſſeſcit: ita ut poſterioribus menſibus, duorum fere digitorum craſſitiem æquet. Hoc pro miraculo ſemper habitum: cujus tamen cauſſam afferre non videtur difficile. Naturam ſcilicet toto graviditatis tempore multum ſanguinem fœtus nutriendi cauſſa ad uterum continuo mittere, qui cum non conſumatur univerſus à fœtu, partem ſemper aliquam utero apponi, & inde uſque ad partum augeri perpetuo cum

fœtu

fœtu atque craſſeſcere. *Vbi enim* (Hippocratis verba ſunt ex libro 1. de morbis mulierum) *mulier uterum gerit, ſenſim à toto corpore ſanguis in uteros defertur, & velut in orbem id, quod in uteris eſt, circumſiſtens, ipſum auget.* Et aliquanto poſt: *Cum uterorum oſculum ad laterum mollitudinem incumbat, caro ſanguinis fructum percipit, impletur, eoque oppleta in molem aſſurgit.* Hinc rationem reddere potuiſſent Anatomici, & qui de formatione fœtus ſcripſere, cur duæ ſint arteriæ umbilicales, ſanguinem ad uterum à corde deducentes, una tantum vena, per quam ſanguis crudior ab utero rurſus in cor regreditur, ea circulatione, quam capite primo explicavimus. Hinc & arteriæ rectæ ad uterum tendunt, ne quid delationi in mora eſſet, vena vero varicoſa & nodis referta, ut ſanguis diutius ibi ſubſiſteret. Sed, quod non minus miraculo eſſe videtur, mox à partu, uteri corpus rurſum decreſcit, & qui integrum ante fœtum complexus fuerat, paullatim ad priorem fere habitum revertitur, vix majorem, quam ut manu comprehendatur. Cauſſa eſt, ſanguis craſſior à partu cum lochiis exturbatus,

&

& tenuior ad ubera, aut alio jam translatus.

Quod igitur in vulneribus, contusionibus, fracturis læsa pars intumescat; & vesica in pluribus calculosis, & uterus in gravidis carnosus fiat, ratio est, quod sanguinem, quem copiosum ab arteriis recipiunt, præ imbecillitate retineant, qui crassior mora redditus, exiguas ingredi venas, & per eas ad cor remeare nequit. Ejus pars purior in Calculosis vesicæ, & in gravidis, utero (postquam scilicet ex eo, quod dulcissimum est, attraxit fœtus, ut docet Hippocr. libr. de natura pueri) apponitur, & affigitur; hinc corpora harum partium undique auctiora: superfluum vero quotidie è vesica, ut diximus, cum urina, ex utero post partum expellitur. At in vulneribus fit suppuratio, quæ coctioni proxima est, & redundans sanguis in pus conversus, expurgatur.

CAP.

CAP. VI.

Vera Calculi efficiens, & materialis causſa. A Platero, Saxonia, & Varandæo diſſenſum. Fernelii opinio de Calculi rudimento examinata. Ejus generationis modus.

CVm tanta ſit inter mundum, & hominem analogia, ut idcirco μικρόκοσμος, parvus mundus dici meruerit, eadem, quæ in mundo generationis lapidum cauſſa, etiam in humano corpore ſtatuenda. Vidi Neapoli apud Ferdinandum Imperatum, rerum naturalium promum condum, terram Puteolanam in lapidem commutatam. Teſtatur Strabo lib. III. contra Laodiceam Hierapolis, ubi aquæ calidæ ſcaturiunt, & ubi Plutonicum eſt, aquam in tophum ita indureſcere, ut qui aquæductus deducunt, integra ſepta ex eo aquis conficiant. In Ciconum flumine, inquit Plinius II. Natural. CIII. & in Piceno lacu Velino lignum dejectum lapideo cortice obducitur: & in Surio Colchidis flumine, adeo ut lapidem plerunque durans adhuc integat cortex. Hinc Ovidius XV. Metam.

Flu-

Flumen habent Cicones, quod potum
ſaxea reddit
Viſcera, quod tactis inducit marmora
rebus.

Quos verſus citat Seneca III. Natural. quæſt. XX. additque: *Medicamentum eſt, & ejus natura habet limum, ut corpora & agglutinet, & induret. Quemadmodum Puteolanus pulvis, ſi aquam attigit, ſaxum eſt: ſic è contrario hæc aqua, ſi ſolidum tetigit, hæret & affigitur. Inde eſt, quod res abjectæ in eundem lacum, lapideæ ſubinde extrahuntur. Quod in Italia quibuſdam locis evenit, ſive virgam, ſive frondem demerſeris, lapidem poſt paucos dies extrahis. Circumfunditur enim corpori limus, alliniturq; paullatim.* Narrat in Italica Italiæ deſcriptione Leander Albertus, ad Senam torrentem è ſaxo fontem prorumpere, cujus aqua XV. dierum ſpatio, quicquid immerſeris, in lapidem convertit, vel lapideo cortice tegit. Differentiæ hujus cauſſam aſſignavit Fallopius, ſi lapideſcens ſuccus cum aqua tantum confuſus ſit, & non commixtus, non tranſmutare res, ſed ſaxeo cortice obducere: idemque fieri, ſi ramenta lapidum, ac exiguæ eorum portiones,

tiones, aquæ commiſceantur. In Galliis prope Turonum urbem, in Germania Francofurti cis Viadrum, & apud Italos in agro Piſano,& antris quibuſdam montis S. Iuliani prælongæ concreta aqua ſtriæ, ut in Lucenſi juxta convallem, prægrandes columnæ ex aquis paullatim concreſcunt. Vidimus & olim Anienem & Albuneum ſupra Tybur, virgulta, ligna, folia, vel herbas, aliaque ſolidiora, quæ perfluere contingit, cortice lapideo ſenſim tegere. Et prope viam, quæ Roma Tybur ducit, generantur diverſis locis lapilli quidam candidi ea figura, ut plane referant confectiones illas ex ſeminibus aniſi, coriandri, cinnamomo,& ſimilibus ſaccharo incruſtatis. Et ob exactam hanc ſimilitudinem, vulgo dicuntur, *I confetti di Tiuoli.* Talia à viſcidis & craſſis humoribus non fiunt, cum in aquis naſcantur claris & limpidis: non à calore aut frigore, cum aliæ ejuſdem temperamenti aquæ nihil tale efficiant. Nec modo in aquis, ſed & in vino videmus lapideam materiam doliis adhæreſcere; Tartarum vulgo vocant. Ita etiam in pleriſque urinis, ſi paullum ſubſiſtant, ſabuloſa quædam matulis accreſcunt.

Refu-

Refutata jam, ut equidem arbitror, abunde Calculi caussa materiali & efficiente, quæ per magnæ contentionis disputationes à medicis sæpe tractata est, atque tractatur, ea, quam veram esse credimus, necessario subjicienda est. Cujus enim rei, inquit Celsus, non est certa nôtitia, ejus opinio certum reperire remedium non potest. Materialis itaque Calculi caussa statuatur, quæ non ab externo calore, aut frigore in lapideam duritiem concrescat, sed internum coagulationis habeat principium. Hoc & Galenus ipse fateri cogitur Comment. III. in Hippocr. VI. Epidem. XV. ubi agnoscit non ipsam præcipue caliditatem, sed materiæ, ex qua fit lapis, qualitatem ipsius compactionis caussam esse. Quandoquidem vero in renibus potissimum generentur, ac vesica, & morbus sæpe sit hæreditarius, cujus caussa excrementis adscribi nequeat, alia adhuc requiritur, quæ id agat, ut partes hæ magis sint injuriis obnoxiæ. Hanc dicit Aretæus, vetus Medicus, λίθων εὐφυῆ γένεσιν, *fœcundam calculorum generationem*, & ad illud exemplum fortasse Fernelius, insitam renum arenosam & calculosam constitutionem,

quam

quam ſi accurate, ut ſolet, elegantiſſimus Medicorum explicaſſet, & ipſe notas Capivaccii, Augenii, Caſtrenſis, ac aliorum potuiſſet effugere, & nos diſſentientes interpretantium opiniones. Eximius practicus Felix Platerus, Profeſſor Baſileenſis (cujus admiranda κειμήλια apud fratrem & ſucceſſorem Thomam V. C. ibidem vidi) conſtitutionem illam exponit, de ſiccitate & anguſtia renum, cui fere conſentientem legi Saxoniam, & Monſpelii olim audivi clariſſimum Varandæum. Sed ſiccitatem & anguſtiam non poſſe admitti pro cauſſa univerſali, oſtendunt loca ampliſſima & humidiſſima corporis, in quibus etiam calculos quandoque oriri apud Medicos in confeſſo eſt. Vidi nuper quendam ſub lingua è carne molli, fungoſa, & humida exemptum. Puellæ hic cuidam, quæ adhuc in vivis eſt, parum dextre à calculo ſectæ, dum vulnus non coaleſcit, labiis ejus jam aliquot annos accreſcit calculoſa cruſta, qua dempta, continuo renaſcitur alia. Idem vidiſſe ſe in puero teſtatur Kentmannus. Dentibus annaſci calculoſam materiam, parum à calculis renum differentem, quivis è vulgo in ſe ipſo experitur.

tur. Quæ autem ibi, aut ventriculo, intestinis, in quibus etiam Calculos aliquando procreari authores fide digni testantur, angustia aut siccitas? Adde, quod in omnium Calculosorum, quæ inspexi, cadaveribus, non siccos & compactos, sed humidos & flaccidos inveni renes. Qua vero ratione tantam siccitatem admittere possimus in locis, quos aquosi humores continuo permeant? Quod ad angustiam; ubi ea est, perpetuo manet, salsum etiam serum per eam indesinenter veluti colatur, & tamen sæpius observavi quamplurimos, qui diu multumque renum calculis fuerant cruciati, & non semel eos excreverant, postea annos aliquot, imo toto vitæ curriculo immunes vixisse. Certe si angustia hic locum haberet, pueri, ut inquit Galenus loco mox citando, quibus angusti meatus, calculo renum frequenter laborarent; quod tamen merito negat Hippocrates. Et ut angustia in renibus concedi posset, in vesica sane non habet locum. Si objicias ex Fernelio, omnes vesicæ calculos rudimentum aliquod traxisse à renibus, & in vesica tantum augeri: quamvis hoc negare possim authoritate clarissimo-

rum

rum Medicorum Rondeletii, Cardani, Vidii, Mercurialis, Augenii, Heurnii, Iulii Alexandrini, Saxoniæ, Dureti, Septalii, Valletii, Fontani, Varandæi, Castrensis, Liddelii, & aliorum; equidem cum plerisque sæpius id fieri agnosco: ut tamen nunquam in vesica primum generentur, aut generari possint, mihi non sit verisimile. Multos enim observavi ex vesicæ calculo laborare, qui antea nullis unquam renum doloribus fuissent divexati. Et si Nephritis, authore Hippocrate, ante pubertatem non oritur, ergo pueri, quorum Calculos idem VI. Epidem. III. coagmentari docet μετ᾽ οὔρησιν, perfecto urinæ ductu, qui fit in vesica, προϋπάρχον sive rudimentum non traxere ex renibus: namque alias nephritim passi fuissent ante pubertatem. Præterea Hippocr. libro de aër. aquis, & locis, conceptis verbis, quæ cap. VIII. adducemus, Calculos in vesica coagmentari author est. Idem docet Aristoteles loco ad finem capitis sequentis citando. Galenus Comment. in VI. Epidem. cit. scribit, crassamentum urinæ, quod est in pueris, cum in vesicam illapsum cunctatur, atque subsistit, nec exitum cito habet,
ini-

initium ibi capere concreſcendi atque coagmentandi; & tunc jacto eo concretionis initio ſive fundamento, quicquid deinde affluit agglutinari, ac ita calculum conſtitui. Quod ad nucleum, de quo Fernelius, qui plerumque in calculo reperitur; vidi cum calculus magno conatu è collo veſicæ extractus in terram procideret, effractis corticibus exhibuiſſe nucleum magnitudinis juglandis, qui è renibus per ureteres tranſire non potuit. Præterea, cum ab iiſdem cauſſis fiant accretio & generatio, atque calculus, fatente Fernelio, augeatur in veſica, quid prohibet ibidem etiam generari? Quinetiam, quibus adſtrictum eſt veſicæ oſtium, & tenues urinas emittunt, quales potiſſimum ſunt, qui carunculam patiuntur, aut prædurum in ea parte habent tuberculum, hi retinent in veſicæ capacitate materiam terreſtrem, quæ paullatim in calculum concreſcit. Aſſervo ſtipitem herbæ polygoni, quem puer calculoſus, cum ſentiret in reddenda urina obſtaculum, collo veſicæ intruſerat, unde urina dies aliquot ſuppreſſa, tandem vehementi impetu cum ſtipite erupit. Ipſi trunco oblongus adhæret calcu-

lus,

lus, & ſingulorum ſurculorum extremitates calculoſa materia obductæ, ſingulos & exiguos oſtendunt calculos. Eorum certe prima generatio, cum truncus virgæ inhæſerit, veſicæ negari non poteſt. Sic ſcribit Alexander Benedictus in Anat. virginem quandam deglutiiſſe acum crinalem, cui in veſica ſenſim lápis ovi gallinacei magnitudine accreverat. Videtur autem in calculi generatione neceſſarium fuiſſe corpuſculum, circa quod tartarea materia concreſceret, & paulatim augeretur. Rariſſimum enim eſt, in calculi effracti meditullio non inveniri nucleum, qui ejus generationi baſin præbuit. Ita teſtatur Garzias ab Horto I. de Aromat. XLV. lapidem Bezoar circa paleam quandam tenuiſſimam ſemper augeſcere; & veluti è multis tunicis contexi Quod & *αὐτοψία* demonſtrat. Idem plane modus generationis lapidis in corpore humano. Initio ſabuloſum rudimentum, ſive exiguum nucleum, qui plerunque in renibus, raro in veſica generatur, ſuccus quidam lapideſcens, ut Fallopius & Matthiolus appellant, ſeu materia quædam coagulationi natura ſua apta, ut Paracelſus nominat, in urina

latens, undique circumfluens, paullatim induratur, & in laminam concreſcit, mox iterum alius ſuccus, qui itidem cruſtam conſtituit, donec alio ſemper & alio ſuccedente lapis fiat ex multis laminis, veluti in cœparum putaminibus & involucris videre eſt, coagmentatus. Hunc modum auctionis Calculorum agnovit & Galenus VII. de compoſ. medicam. per genera IX. *Quemadmodum in exterioribus permulta corpora, quæ ignem contingunt, torrentur; ex aqua vero rurſus emolliuntur, ita in particulis inflammatis ex humore ipſo à calefacientibus & exſiccantibus valde deſiccato, relinquitur quippiam craſſum & viſcidum, tenui diſcuſſo. Et hac ratione in articularibus tophi ſeu calli proveniunt, in nephritide calculi. Nam cum renibus tenacius quid impactum ſit, & aliquid aliud ex iiſdem venis, & eadem materia ibidem ſuccreſcat, præexiſtenti adhæreſcens plus augetur: ſemper enim, quod recens fuit, priorem circumdat, & in grandem molem ſuccreſcit.* In quibus verbis modum augendi probo: generandi probare non poſſum. Vult enim, ut communis eſt opinio, viſcidos humores à calore renum

D coqui,

coqui, & indurari in lapidem, ut lutum sive argilla viscida in fornace ab igne. Sed docte respondet Bootius, absque aqua argillam viscidam non esse, cum visciditas absq; humido esse non possit, aquam vero consumi igne, nec prius argillam lapidescere; ignem præterea esse quidem caussam, sed non propter solum calorem id facere, sed propter materiam, quam exurit, & cætera quæ cum flamma & fumo secum fert, ac ut lutum vel argilla lapidescat, sunt necessaria. Deinde quia ea aufert, quæ impediunt, ne argilla lapidescat: aqueam enim humiditatem, quæ argillam viscidam facit, tollit, à corpore separat, & in auras resolvit. Fert autem secum ignis humiditatem oleosam, quæ ejus pabulum est, præterea salsos ac sulphureos spiritus, & exhalationes siccas cum terrestribus portionibus in minima resolutis; quæ omnia materiæ cōbustibili insunt, ut fuligo à fumi copia in massam redacta clare & perspicue docet. Ignis itaque pabulum suum, hoc est, terram, salem, spiritus, ac exhalationes, quæ in materia, quam comburit, continentur, in argillæ vel luti corpus (expulsa prius ipsius viscosa humiditate) defe-

rens,

rens, facile illam in lapideam formam vertere poteſt. Nam & ſine his argilla, vel lutum proprii ſalis beneficio, quod quævis terra in ſe continet, juvante intenſo calore, tanquam externo efficiente, parteſque ſuo motu conjungente, lapidis formam accipere poteſt. Eſt itaque vera interna efficiens lapidis cauſſa tum in materia ipſa, quæ lapideſcere debet, tum in ea materia, quæ, ut aliquid lapideſcat, accedere debet. Ac calor tantum externus efficiens, quia principium motus eſt: quem verum non appelles, ſed eum tantum, quo præſente effectus fit, & abſente non fit. Sed etiamſi verum eſſet, lutum à calore, tanquam efficiente cauſſa, lapideſcere; non tamen ideo ſequitur, in corpore humano ſimili modo calculum fieri. Quia lutum quamdiu humidum manet in lapidem abire non poteſt: ſed tum primum, cum ab igne hoc depulſum, aut abſumptum eſt. At in corpore humano cum lutoſa materia nunquam abſq; copioſo humore, præſertim in veſica, renibus, & ureteribus fit, quo pacto à calore, non potente depellere humidum, indurari poterit? Aliud itaque quippiam, quam calor, eſſe debet, quod

coagulet, & vere efficiat lapidem vel calculum. Hoc cum extra corpus humanum faciant ſalia, ita multo citius in corpore. Itaque ut calculus fiat, requiritur copia terreſtris materiæ, & ſalis in humido ſoluti. Hæc enim duo juncta humidi beneficio, tanquam medio, partes partibus apponendo facile glutinantur, ac glutinata tartari nomen Chymicis à vini lapillo, ſimili fere modo generato, obtinent. Terreſtrem hanc materiam non omnino latuiſſe veteres, ex Medicinæ, & Philoſophiæ principibus liquet. Hippocr. IV. de morbis, cum pravo lacti principium calculi tribuit, id requirit non modo φλεγματῶδες *pituitoſum*, ſed & γεῶδες *terrenum*. Et Ariſtoteles forte ſequutus, ut ſolet, Hippocratem, ſcribit x. Problem. XLII. Calculum fieri, quando συνθλίβεται τὸ γεῶδες εἰς τὴν κύστιν, *terrenus humor in veſicam contruditur*. Proportio autem quædam certa utriuſque requiritur. Terreſtris portionis quantitas tanta eſſe debet, ut impedire poſſit, ne ſal illi unitum ſolvi queat, ſaliſque tanta, ne terra fatiſcat, ac pulveris inſtar diffluat. Præter has cauſſas requiritur & alia, aptitudo ſcilicet ipſarum partium,

quam arenoſam calculoſamque renum conſtitutionem dixit Fernelius, eamque nec in ſiccitate eorum, nec in anguſtia præcipue conſiſtere demonſtravi. Reſtat nunc, ut quæ mea ſit, aperiam, ſententia. Succus lapideſcens (hoc eſt, terreſtris materia juſta proportione ſali mixta) cum urina ad renes delatus, niſi mature expellatur, ſed ibi diuturnam moram trahat, ob ſtuporem, ſive obtuſum eorum ſenſum, quem & in veſica ſuppreſſæ urinæ cauſſam eſſe ſupra probavimus, primum in exiguum, quem diximus, nucleum abit, majoris calculi rudimentum. Sic dixit Hippocr. de int. affect. *Renis calculus ex pituita oritur, cum eam ren in ſe receptam non rurſus dimittit, ſed illic in tophum indureſcit, fiuntque calculi parvi, velut arena.* Vt altius repetam, Lapideſcens hic ſuccus in omni paſſim terra invenitur. Hunc cum alimento attrahunt, & per plantas, quæ animalium alimenta ſunt, in ea transferunt. Sive igitur plantæ, ſive animalia homini in cibum cedant, tartarum ſimul cum ſale haurit. Si itaque vel ob coctricis, ſeparatricis, vel excretricis facultatis debilitatem, vel ob ejus ſucci in alimento co-

piam, omnis in ventriculo ſecerni & expelli non poſſit, cum chylo tranſit in hepar, & inde cum ſanguine per cordis ventriculos in arteriam aortam, unde per emulgentem pellitur in renes, tandemque in minutiſſimis arteriæ emulgentis ramulis extremis, aut carne iis proxima hæret, ibidemq; continuo ſanguinis appulſu rotatus, arenularum formam paullatim induit. Quod ſi renum ſenſus ſcabritie earum irritatus, ſtimulum ſentiat, expellit cum ſeroſo humore arenulas. Omnibus enim partibus à cerebro ſpirituum animalium beneficio indita eſt quædam ſentiendi facultas; qua, quod ſibi moleſtum eſt, expellere valeant. In cerebro ipſo id videmus, cum vel morbo comitiali corripitur, vel ad ſternuendum impellitur. Idem demonſtrant in pectore tuſſis; in ventriculo nauſea, ſingultus, vomitus. Et quiſque id in ſe ipſo percipit irritamentum, quoties in inteſtino recto fæces, aut in veſica urinam diutius retinere cogitur. Idem de renibus judicium eſto. In eo, qui perfecte ſanus eſt, terreſtris materia cum fæcibus fere excernitur antequam ad renes perveniat: quod ſi forte quid tartarei acci-

piant

piant renes, cum sero id prompte expellunt, nec vel minimum stagnare apud se, ut in arenulas abeat, permittunt. Quæ ab hac paullum deficit constitutio, arenulas quidem generari, prohibere non potest: sed irritamento earum excitata, antequam in calculum coëant, excernit. Galenus id confirmat Comment. in VI. Epid. I. text. VI. *Meatibus*, inquit, *serum in renis ventriculum percolantibus latius patefactis, aliquid etiam ex crassioribus succis simul illabitur. quando igitur illud calefactum in renis cavo ad tophi consistentiam redactum fuerit, si renum vis expulsoria omne id una cum lotio extruserit, arenosæ in ipso subsidentiæ fiunt. quod si renis cavo tenacius impactum inhærescit, aliquid aliud ejusdem materiæ ex vena cava suscipiens, sibique apponens, plus augetur.* Quotidie videre est multos continuo, & tota pœne vita urinam reddere, qua matula intus tartarea obducatur superficie, & tamen perpetuo immunes vivere à calculo. Ita refert Cardanus Comm. in Hippocr. IV. Aphor. LXXIX. sibi jam ab annis triginta primo ruffas, postea etiam albas arenas quotidie & copiose, citra tamen omnem calculi renum

ſuſpicionem, prodiiſſe. At quibus flaccidi renes, ſenſuſque obtuſi, in iis & generantur arenulæ, & retinentur, donec unitæ in calculos concreſcant: qui tandem naturam magis ſtimulando, etiam ſui excretionem promovent. Niſi forte renes plane ſtupidi, & veluti νεκρώσει affecti, ſenſum omnem amiſere. Hoc enim caſu calculi totos renes, carne eorum paullatim conſumpta, occupant: imo vidi calculum renis forma, ejus locum aſſumſiſſe, membrana modo obductum. Quod etiam ab aliis obſervatum. Ita ſcribit Fernel. VI. Pathol. XII. ſæpius ſe vidiſſe tota renis carne ac ſubſtantia pereſa, ambiente tanquam marſupio membrana pus calculoſque multos obvolvi. De ſtupore autem, teſtimonium quoque præbent dentes, quibus è cibo in ore comminuto, & ad chyli formam præparato, tartarum annaſcitur, tanta quandoque copia, ut eos ſedibus moveat & exturbet. Nullum autem dentibus ſenſum eſſe, præſertim in exteriori parte, ubi & uri & ſecari abſque dolore poſſunt, manifeſtum eſt. Comprobant idem pingueſcentes, valetudinarii, item ægri, non modo qui lecto affixi, in quibus id renum

num à plumis calori vulgo tribui solet, sed qui corpus adhuc sustentare possunt. Sæpissime observavi hos, cum nunquam arenulis antea infestati fuissent, copiose eas tum excrevisse, & de renum dolore conquestos. Ita assumpto opio, non modo urina quibusdam supprimitur, ut notat Iacchinus: sed etiam arenulæ, ut sæpius animadverti, generantur, inducto scilicet renibus stupore. Confirmat & hanc doctrinam ipsa curatio. Nam quæ arenulas & calculos expellunt, plerunque acria sunt, & languidam renum excernendi facultatem irritantia. Ita vidi sæpe à medicamento purgante multum arenularum excretum: quod etiam faciunt cibi acres, ut raphani &c. Confirmant & remedia astringentia, quæ veteres, ut postea videbimus, calculosis, ad corroborandos renes, adhibere solent. Sed age, & ex ipsis artis principibus hanc generationis calculorum caussam eruamus. Hippocrates IV. de morbis cit. cum statuisset calculi morbo principium ex lacte oboriri, ubi infans lac impurum ex mamma suxerit, mox addit: *Infans, si de nutrice lac sugit minime purum, morbosus & debilis evadit.* Hæc debilitas via

ad calculum. Galenus cum paſſim calori renum tribuat calculi concretionem, tamen Comm. III. in VI. Epidem. XV. ubi cauſſam reddit, cur ſeniores magis calculis renum, quam pueri laborent, admittere cogitur actionis infirmitatem; additque pueros ideo calculis renum minus obnoxios, quod calor eorum vegetus & actiones validæ, non ſinant eorum materiam in renibus ſubſiſtere, ſed antequam indurari poſſit, celeriter expellant. Non aliter *Avicenna* III. Fen. XVIII. tract. II. cap. XVI. ſcribit Calculi materiam retineri, ob debilitatem expulſivæ in renibus. Concludamus itaque, ad Calculi generationem neceſſario concurrere, copiam terreſtris materiæ, & ſalis humido ſoluti; nec non, partium ſtuporem, ſeu, ut Galenus loquitur, infirmitatem actionum, ſeu, ut Avicenna, expulſivæ.

CAP. VII.

Calculi causſæ antecedentes & externæ. Fernelius contra Mercurialem defenſus. Trallianus, Mercurialis, Varandæus, & Fonſeca notati.

QVænam ſit Calculi proxima continenſque cauſſa, abunde ſuperiori capite explicatum eſt. Reſtat, ut remotas item, atque externas demonſtremus. Harum aliæ ad materiam calculi generandam, faciunt; aliæ ad conſtitutionem renum & veſicæ, ob quam calculi facilius concreſcunt. Materiam eorum diximus eſſe ſuccum lapideſcentem, ſive tartarum ſale mixtum, cujus in omni urina fere aliquid, in quibuſdam plus, quibuſdam minus, ratione alimenti, quod aſſumitur, & pro conſtitutione partium naturalium coctioni, diſtributioni, & ſeparationi dicatarum.

Itaque ſi ventriculus, hepar, lien, tum in primis ipſi renes non probe fungantur ſuo munere, facilis eſt arenarum & calculorum proventus. Nam ventriculo non bene coquente, nec heterogenea ſeparante, cruda materia in hepar deducitur:

citur: indeque, cum coctionis primæ errores non emendētur in ſecunda, impuri & terreſtres ſucci cum ſero in renes derivantur. Nec harum partium infirmitas modo, ſed & ipſa victus ratio ad calculum generandum plurimum facit. Inprimis vero crapula, & cruditates, atque intempeſtivus mox à ſumpto cibo corporis motus. Hinc Galenus Comm. III. in VI. Epidem. XV. *Reddit puerorum urinam craſſam* (quod illi eſt, calculoſam) *cum ipſorum edacitas, tum quod à cibo ludentes proſilienteſque moventur.* E cibis calculo producendo accommodati, quibus plurimum ſalis & terreſtris ſucci ineſt. Inter eos à veteribus lac refertur. Hippocr. IV. de morbis, *Calculi morbo,* inquit, *principium ex lacte oboritur, ubi puer lac impurum ex mamma ſugit. Lac autem nutricis impurum redditur, ubi pituitoſis alimentis, tum cibis, tum potibus impuris ea uſa fuerit.* Hinc ſcribit Ariſtoteles nutricem bibulam non minus peccare in commoda fœtus, quam ſi ipſe infans vinum biberet: quia, ut ait Cicero, quæ cum lacte nutricis ſugimus, imitamur. Ipſum autem Lac Galeno Comm. in VI. Epid. cit. natura craſſum

eſt,

eſt, & ad calculos creandos aptiſſimum. Namque licet ratione ſeri abſtergat, & ratione butyri emolliat, tamen ob caſeum, qui plurimus illi ineſt, calculo materiam ſubminiſtrat. Quare addit Galenus: *In adultis caſeo frequentius veſcentibus lapillos in renibus ſuboriri cognovimus.* Sed in nullo plus terreſtris materiæ, quam in veteri. Quod nec Galenus ignoravit, cum de caſeo hæc ſcripſit III. de Alim. fac. XVII. *Caſeus, dum paratur, ſumit ab injecto coagulo acrimoniam, humiditatemque omnem deponit, & potiſſimum ſi inveterarit: tum enim, quam prius, acrior evadit, & manifeſte calidior redditur, atque ardentior: ob id ipſum ſiticuloſior, & ad coquendum difficilior, & pejoris ſucci efficitur. Qua de cauſſa nec id ipſum, quod craſſis cibis acres ac tenuantes facultates admiſtas habentibus ineſt commodi, caſeus citra noxiam poſſidet. Major enim noxa ex ſucci ipſius pravitate, & ardenti calore accidit, quam craſſorum tenuatio conferre queat: quando ad calculorum in renibus procreationem hic ſuccus non minus eſt noxius.* Eodem refert idem ejuſdem libri cap. XV. *cocta in lacte amylum, ſimilaginem, alicam, tragum,*

gum, oryzam, lagana, rhyemata, & panes non bene in clibano aſſos, nec multa tritura praelaboratos, nec multo ſale, ac mediocri fermento ſaturatos. Adde, legumina omnia, etiam ciceres rubros, quorum jus quamvis diureticum ſit, & calculos expellat, ipſa tamen ſubſtantia calculo gignendo idonea eſt. Idem præſtant fructus immaturi, auſteri, acerbi, & meſpila, cydonia, pira, caſtaneæ; fungi item ac tubera. Carnes quoque animalium craſſum & terrenum chylum præbentes, ut ſuilla, bubula: inprimis ſale ac fumo induratæ; ut & piſces muria conditi, vel ſiccati. Aves lacuſtres, anas, anſer. nec non ova dura. Sed præcipue Calculo generando faciunt vina immatura, auſtera, nigra, craſſa, dulcia; inprimis muſtum, & id vini genus, quod in locis, argilloſa, tartarea, & calculoſa materia abundantibus, creſcit. At quamvis in nullo vino tantum tartari apud nos vaſis accreſcat, quantum Rhenano, & quo id generoſius, eo etiam majori copia: id tamen ſi plane defæcatum ſit, nephriticis, ut vulgo creditur, non obeſſe exiſtimo. Nam præterquam, quod tenuitate ſua facilius penetret, obtuſum partium

ſen-

ſenſum acrimonia ſua ſtimulet, congenitum ſibi olim tartarum iterum aſſumit, ſecumque rapit, & è corpore educit. De me ipſo, quod etiam ex quampluri-mis audiviſſe memini, poſſum teſtari, nunquam Rhenanum aſſumpſiſſe paulo largius, quin copioſe arenulas excernerem.

Calculo itidem materiam præbet cerevifia recens, & fæculenta, nec non aquæ turbidæ, paluſtres, ex nive liquatæ, & quibus materia lapideſcens permiſta eſt. Inſignis de his locus apud Hippocr. lib. de aër. locis, & aquis: *Calculo maxime tentantur, & renum morbis, ac urinæ ſtillicidio, qui cujuſque modi aquas bibunt, aut de magnis fluminibus, in quæ alia decurrunt, & de ſtagno, in quod multarum & cujuſvis generis aquarum rivuli deveniunt, quique advectitiis aquis utuntur, quæ ex longo, & minime brevi intervallo deducuntur. Neque enim fieri poteſt, ut aquæ inter ſe ſimiles ſint, verum aliæ dulces ſunt, aliæ ſalſæ & aluminoſæ, aliæ de calidis effluunt: Neque ſemper eadem viribus pollet, ſed alias alia. Sed & ex ventis, huic quidem boreas vires præbet, illi vero auſter, & de reliquis*

eadem

eadem est ratio. Ex his igitur limum & arenam in vasis subsidere necesse est, & ex earum potu prædicti morbi gignuntur. Romani, cum bibant aquam Tyberinam, quæ, ut ipse vidi, crassa admodum & lutosa, arenulis & calculo frequenter infestari solent.

Sed non omnes qui hujusmodi victus ratione utuntur, calculosi fiunt, quia requiritur etiam partis dispositio, quam diximus esse renum stuporem, sive obtusum eorum sensum. Quæcunque igitur renes debilitare, vel stupefacere possunt, corpus disponunt ad generationem calculi. Et quibus ab ortu, vel à parentibus talis constitutio, iis hæreditarius fit morbus. Nam ab avis & parentibus, ut notat Galen. ad vi. Aphor. xxviii. propter semen vitiatum, partium debilitas acquiritur, quæ corpus reddat facile, ut in avitam, vel paternam incidat ægritudinem. Eam debilitatem quisquis in renibus à parentum semine contraxit, vix ulla ratione calculi tormenta effugiet: quandoquidem, ut optime Fernelius, hoc vitium omnium est maxime hæreditarium, ut non paucis pariter cum renibus calculus procreetur; quod sæpius se observasse

teſtatur Rondeletius. Quare temere hic contra Fernelium inſurgit Mercurialis III. Pract. XXIX. quod vix invenire ſit alium authorem, qui ſcribat hunc moralium fieri hæreditate. Imo ſcribunt id Vibum fieri hæreditate. Imo ſcribunt id Vidius x. de curat. membratim xx. Duretus in annot. in Holler. XLVIII. aliique plures, qui nunc non occurrunt: & ſcripſerit certe ſolus Fernelius, non minus ideo verum, quod quotidiana experientia in quamplurimis docet, & ego in me ipſo, & fratre, qui è calculo veſicæ obiit, ab avo materno hæreditarium experior. *Cum enim genitura*, ut docet Hippocr. libro de aëre, aquis, & locis, *undecunque procedat, & à ſanis quidem ſana, à morbidis morbida, fiatque, ut ex calvis calvi generentur*, &c. quidni idem de calculoſis pronuntiare liceat? Hoc confirmat idem lib. de natura pueri, & manifeſtius de morbo ſacro: *Si enim ex pituitoſo pituitoſus, & ex bilioſo bilioſus, & ex tabido tabidus, & ex lienoſo lienoſus: quid prohibet, ut cujus pater & mater hoc morbo detenti fuerint, etiam ex poſteris aliquis detineatur? genitura enim ab omnibus corporis partibus procedit, à ſanis ſana, & ab ægris infirma.* Hinc eleganter Baptiſta Mantuanus: Qui

Qui viret in foliis, venit ab radicibus humor,
Sic patrum in natos abeunt cum semine morbi.

Ad calculum procreandum juvant succussatio, saltus, diuturna equitatio, & motus omnis, qui fit inclinato dorso. Inprimis autem usus Veneris immoderatus, tum quia agitatione nimia & calefactione lumborum, humores deducuntur ad renes, tum etiam quia ob voluptatis vim, & excreti seminis copiam elanguescit calor nativus, & coctiones minuuntur. Multi è Medicis, inter quos Trallian. lib. IX. cap. IV. Mercurial. cit. Varandæus de affect. ren. & vesicæ cap. I. Fonseca de tuenda sanit. cap. XVIII. existimant renes calefacere, ideoque calculi generationem promovere decubitum in culcitris plumeis: sed falli eos inde liquet, quod omnes apud nos dormiant in ejusmodi culcitris, quamplurimi tamen à calculo & arenulis plane degant immunes. Sed & calorem renum, calculo generando caussam præbere negavimus.

Memini clarissimum Sanctorium Patavii nos olim docuisse, caussam calculi

præ-

præcipue consistere in latitudine venarum hepatis, & emulgentium; nec non in angustia partis inferioris renũ circa ureteres: hancque opinionem ex Galeni diversis locis comprobasse. Equidem licet angustiam negaverim primariam Calculi caussam, cum tamen basi, ut diximus, & rudimento opus sit, circa quod terrestris materia paullatim conglobetur, eoque retineri aliquantum debeat, eam συναιτίαν, & caussarum adjuvantium præcipuam merito agnoscimus. Huc spectat problema Aristotelis XLII. Sect. X. *Cur nullum animal, nisi homo, calculosum fieri potest? An quod jumenta, & quæ unguibus sunt numerosis, vesicæ meatus obtinent ampliores. At homo vesicæ cervicem habet angusto canali pro ejus magnitudine porrectam. Ergo quantum terreni humoris sevocatur, in vesicam contruditur. Loci autem calore efficitur, ut amplius concrescere, atque crassescere possit. Retinetur vero augeturque, propter canalis angustiam: cum enim terrena illa subsidentia prodire ex facili nequeant, reversa cohærent inter sese, calculumque ita conficiunt.*

CAP.

Cap. VIII.

Calculorum differentiæ. Cur pueri renum, adulti vesicæ calculo magis obnoxii. Geminus Mercati error. Alex. Aphrodisæus notatus. Quo modo, & loco in renibus & vesica generentur. Hippocrates explicatus. Fœminas rarius, quam mares calculo vesicæ laborare. Fernelius contra Spigelium defensus. Idem cum Mercuriali de arenularum, & Campanella de Calculorum colore notatus.

Differentiæ Calculorum à multis desumuntur, sed præcipue à loco, ubi generantur, unde alios Renum, alios Vesicæ calculos appellare solemus. Quod autem lapidosa coagmentatio aliis potius fiat in renibus, aliis in vesica, caussa est, robur, vel debilitas harum partium. Quibus renes debiliores, facilius in nephritidem incidunt; quibus hi validiores, potius vesicæ calculo corripiuntur. Hinc Galenus rationem reddit cur adulti & senes, magis renum, pueri vesicæ calculo laborent. Afferam ipsa magni authoris verba ex Comm. III. in VI. Epidem. XV. *Fit lapillorum in vesica concretio* μετ᾽ ὄρη-

σιν,

σιν, in renibus περὶ οὐρήσεως. *At pueris in vesica, jam declinanti vero ætate hominibus in renibus lapillos provenire nos haud præterit. Quidam propterea in pueris calculos gigni asserunt, quod itinera, ob vasculorum exiguitatem angusta sint. Sed oporteret, si id ita esset, in renibus potius calculos pueris creari: angusti enim per illos transitus sunt. vesicæ autem cervix lata adeo in pueris est, ut cujusque materiæ crassitudo per eam facile transmitti possit. An forte neque in illis, qui jam progressa ætate sunt, meatuum per renes angustia gignendis lapillis in caussa est, sed & actionum infirmitas, & crassorum succorum cruditas? quandoquidem in pueris omnes naturales actiones validæ cum sint, humorum crassitudo funditur, atque dissolvitur: in declinantis vero ætatis hominibus cogitur atque inspissatur. quemadmodum in exterioribus, quæcunque natura crassa per aliqua angusta fundere volumus, quæ calore eliquata sunt, facile pervadere; quæ non fusa, neque eliquata sunt, transire non posse cernimus. hujus materiæ exempla sunt pix, resina, sevum, cera & mel. In pueris itaque cum multus sit insitus calor, & actiones firmæ, materiæ crassi-*

crassitudo attenuata in renes fertur, atque ideo facile in vesicam percolatur, haud parum actionum vi ad egressus celeritatem conducente, utpote sane vesica frigida, quippe quæ & nervosa sit, & pauci sanguinis, & amplissima interius concavitate inanis, crassitudo in ipsam transmissa ibi iterum cogitur & conspissatur, initium hujus conspissationis accipiens, quando in vesica diutius commoratur. Quinetiam hanc crassam materiam in pueris tenaciorem esse; quoniam magis ab insito calido elaborata est, rationi congruit. nam quæcunque à calore in concoquendo mutantur, temporis processu lentorem quendam acquirunt, etsi ab initio nullum habuerint. quocirca plane magis in unum coëunt, densantur, atque coagmentantur. Nam inter æque crassa, quod tenacius est, ad unitionem, spissitatem, & concretionem aptius habetur. Sed cum omnes fere pueri crassam urinam excernant, in iis solum generantur calculi, quorum urinæ succus ille, quem diximus, lapidescens plurimum inest, non autem, ut vult Mercatus Galenum cit. sequutus IV. de morb. XI. quod humorum crassitiei lentor & viscidìtas adsit. Et in illis tantum,

urina

urina crassa ardorem in meiendo excitat, in reliquis non item, quod male ad majorem vesicæ calorem refertur ab eodem Mercato. Nam frigiditas vesicæ, quæ actioni ejus obest, calculi generationem potius promovet. Ac licet in urina puerorum, qui calculo vesicæ obnoxii, nonnulla caloris signa se offerant: illa tamen potius in urina sunt, quam in vesica. Neutiquam vero probanda Alexandri Aphrodisæi ratio, quam affert 1. Probl. 109. ubi quærit, *Cur pueris calculi in vesica nascuntur, senibus vero in renibus?* Respondet, *Quoniam renes puerorum meatus continent perangustos: hinc enim terrena crassaque permeans materia per renes vi arctioris meatus ab urina & renibus, canaliculatisque conceptaculis propellitur ad vesicam. Hæc locum præ sua amplitudine dat tum excernendi qua affluit urina, tum consistendi, qua materia subsideat calculi. At seniorum renes, quoniam meatu sunt ampliori, locum & urinæ effluendi præbere possunt, & terrenæ materiæ subsistendi & concrescendi.* Equidem, ut supra scripsi, angustiam adjuvare calculi generationem; non video quomodo illa meatuum angustia non magis faciat

faciat ad retinendam in renibus terrenam materiam, quam ut ejus excretionem, quod ille vult, promoveat. Adde, quod & ratio, & anatome nos docet, vias urinarias in pueris, præſertim grandioribus, ob blandum calorem & humiditatem laxiores & latiores eſſe, quam in ſenibus, qui cum totum corpus ſiccius obtineant, & vaſa renum & ureteres, partes membranoſas, ſicciores, ac proinde anguſtiores habent.

Ex eo, quod pueri frequentius veſicæ, ſeniores renum calculo laborent, oritur differentia quoad matricem, quod προϋπάρχον veteres nominarunt, & ſæpius in rene, nonnunquam in veſica conſtituitur. In rene quidem, cum ante cœptam duci urinam, quod eſt Hippocrati πρὸ οὐρήσεως, coagmentatum illic ſabulum in veſicam illabitur, ibique corticatim augetur. In ipſa autem veſica generationis principium habet, perfecto urinæ ductu, quod eſt μετ' οὔρησιν apud Hippocratem, cum ipſa per ſe fit coagmentatio lapidoſa, quam vocat τὸ σύναγμα. Inſignis locus eſt divini ſenis in libro de aër. locis, & aquis, de generatione lapidis in veſica, quem huc afferre operæ

pre-

pretium est: Ὁκόσων ἤτε κοιλίη εὔρροός τε καὶ ὑγιηρής ἐστιν, καὶ ἡ κύστις μὴ πυρετώδης, μηδὲ ὁ στόμαχος τῆς κύστιος ξυμπέπρακται λίαν, οὗτοι μὲν διουρεῦσι ῥηϊδίως. καὶ ἐν τῇ κύστει οὐδὲν ξυστρέφεται. ὁκόσων δὲ αὖ ἡ κοιλίη πυρετώδης ἦ, ἀνάγκη καὶ τὴν κύστιν ταὐτὸ πάσχειν. ὁκόταν γὰρ θερμανθῇ μᾶλλον τῆς φύσιος, ἐφλέγμηνεν αὐτῆς ὁ στόμαχος. ὁκόταν δὲ ταῦτα πάθῃ, τὸ οὖρον οὐκ ἀφίησιν, ἀλλ᾽ ἐν ἑωυτέῳ ξυνέψει καὶ συγκαίει. καὶ τὸ μὲν λεπτότατον αὐτέου, ἀποκρίνεται, καὶ τὸ καθαρώτατον διϊεῖ καὶ ἐξουρέεται. τὸ δὲ παχύτατον καὶ θολωδέστατον, ξυστρέφεται καὶ συμπήγνυται. τὸ μὲν πρῶτον μικρόν. ἔπειτα μεῖζον γίνεται. κυλινδούμενον γὰρ ὑπὸ τοῦ οὔρου, ὅτι αὖ ξυνίστηται παχὺ, ξυναρμόζει πρὸς ἑωυτό. καὶ οὕτως αὔξεταί τε καὶ πωροῦται. *Quibus alvus tum fluida, tum sana est, & vesica minime ignea, neque vesicæ os cum ea valde conspirat, ii quidem facile urinam emittunt, neque quicquam in vesica colligitur. Quibus vero alvus ignea fuerit, vesicam etiam eadem affectione teneri necesse est. Cum enim magis, quam natura postulet, calefacta fuerit, os ipsius inflammatione tentatur. Sic autem affectum* (contra mentem authoris id citat Mercurialis III. Pract. XXXIII.) *urinam non emittit, sed in sese concoquit & aduri-*

rit, & quod quidem in ea est tenuissimum, secernitur, quodque purissimum, transit, & cum urina educitur, quod vero crassissimum & turbidissimum, colligitur & concrescit, primum quidem minore copia, deinde majore. Cum enim per urinam volutatur, quicquid crassum constitit, ad sese applicat, eoque modo augetur, & in tofum durescit. Hoc ipsum quoque contingit absque ulla inflammatione, cum serosus humor crudus & turbidus ventriculi, hepatis, aut renum vitio, à vesica excipitur. Namque ad bonam valetudinem talis requiritur, ut partes terreæ & tartareæ cum aquosis exacte permisceantur, & una è corpore expellantur. Quod ubi non fit, & aquosa pars seorsim excernitur, terrena vero subsidet ac subsistit, Calculus ex ea producitur. Hoc autem plerumq; fieri solet in vesicæ fundo; potissimum in maribus. namque in fœminis ejusmodi malum, teste Avicenna III. Fen. XVIII. tr. II. cap. XII. rarius observatur. In promptu caussa est. Nam fœminæ multo breviorem ac latiorem & magis rectum habent vesicæ canalem, quam mares, ac propterea difficilius in fœminarum vesica materia lapidescens retinetur.

Loco etiam differunt Calculi in ipsis renibus, cum alii in carnosa eorum substantia, alii in vasis generentur. Arenulas non in interiore cávo, sed in propria renum substantia provenire, & illic fluentis urinæ impetu ferri in cavum recte statuit Fernelius VI. Patholog. XII. & frustra reclamat Spigelius V. Anat. VIII. Ipse ex substantia renum non modo arenulas, sed & calculos exemi. Idem se vidisse testatur Mercurialis. Et refert Cælius Rhodiginus III. Antiq. Lect. XII. mulieri cuidam, quæ ob dolorem & pruritum scalperet circa renes unguibus, ulcus natum, ex eoque ulcere octodecim lapides extractos. Hinc quidam putant in nephritide, quando jam urinæ fluxus intercipitur, & nullum in aliis remediis auxilium est, secure sectionem institui in lumbis, & ita calculo renem liberari. Sed merito hæc chirurgia à Serapione & Avicenna rejicitur. Vitantes enim Scyllam, facile in Charybdin hoc modo incideremus, ægroque non modo vitæ inferremus discrimen, sed præsentaneæ fere morti eum subjiceremus. Quare nunquam tentanda ista sectio: nisi forte natura tumore, aut ulcere, ut in exemplo

allato, ipſa nobis viam monſtret. In cavo ſeu ſinu renum multiplicatæ arenulæ, mutuo adhæſu inter ſe colligantur, & in calculum coëunt. Tales vidi aliquando, in quibus ipſa arenarum unio manifeſto appareret, tam friabiles, ut digitis contererentur. Erant enim tantum arenulæ cohærentes, & nondum conglutinatæ, ac veluti membrana extrinſecus veſtitę. Vbi vero paucæ modo arenulæ in ſinu renum coëunt, rudimentum ſeu nucleum conſtituunt, qui ſero, quod in ſinum cum ſucco tartareo fluit, involutus, corticatim, ut de veſica diximus, undique augetur. Ejuſmodi calculos, in quibus lamellæ iſtæ manifeſto apparent, poſt acerbiſſimos renum & ureterum dolores excretos, quamplurimos domi ſervo. Ex proceſſibus carneis, quos mamillares ſeu papillares vocant, ſerum excipiunt fiſtulæ ſeu tubuli ureterum, unde in cavum ſeu pelvim derivatur. Habeo calculos oblongos, quos in his locis prognatos, tum figura indicat, tum acutiſſimus dolor, quem, quoties moverentur, lumbis inflixerant. Habeo & ejuſmodi è duobus, cum ex propinquis fiſtulis, ut videtur, cavitatem renum ingrederentur, mediante

diante ſalis glutino unitos. Sic refert Dodonæus obſerv. XLVI. de muliere nephritica, in cujus ſingulis renibus ſinguli reperti ſunt calculi, totidem radios habentes, quot in renum ſubſtantia meatus.

Hinc facile intelligere eſt Calculorum differentiam à figura. Quamvis enim materiæ calculoſæ varietas aliquid eo faciat, unde magis anguloſi, & ob id aſperi calculi, potiſſimum in renibus ex arenis granatim concretis & inæqualiter appoſitis conſtituuntur, quam quorum materia æqualiter, & corticatim rudimento circumdatur: plerumque tamen figuram referunt ejus loci, in quo coagmentantur. Ita vidi, qui cavitatem renum exacte referrent. Hinc & magnitudinis ratio petenda: non vero coloris. Falſum enim quod cum Fernelio Mercurialis, & alii aſſerunt, arenulas ſemper in renibus gigni rubras, & renum colorem retinere. Nec magis verum Calculos veſicæ, quod vult Campanella VI. Medicinal. XIX. colore albos eſſe, renum rubros. Oſtendere poſſum arenulas & calculos albos è renum ſubſtantia poſt ægrorum mortem exemptos. Non igitur ratione loci, ſed humidi, quod terreſtrem materiam cum

 ſale

ſale compingit, Calculi alii albi ſunt, alii rubri, alii flavi, alii nigricantes. Sic in purulentis renibus albos generari Calculos apud omnes in confeſſo eſt: & id rupto abſceſſu aliquo fieri, poſt Hippocr. docuit Galenus. Talem nuper tres globulos referentem, è purulento rene extractum vidi. Cum igitur tot locis naſcantur Calculi, recte Galenus Comment. in vi. Epidem. & eos reprehendit, qui ſtatuerant eorum ortum modo in renum ſinu, & eos, qui modo in ſubſtantia: veriſſimum enim eſt, quod ibidem docet, utroque loco produci, & quot ſunt in renibus περιγραφαὶ, tot calculos naſci poſſe, imo Calculum quandoque omnes perigraphas complecti.

Quoad Calculorum ſubſtantiam, alii molles ſunt, & friabiles, alii duri & ſolidi. Plurimi ſi in terram decidant, franguntur. Quoſdam digitis conterere poſſis. Braſavolus vero Comm. in Hippocr. iv. Aphoriſm. lxxix. refert è veſica Alberti Savonarolæ medici exectos decem calculos, qui ſi in terram projicerentur, veluti trigonales pilas reſiluiſſe. Hæc differentia pendet à materia magis vel minus compacta. Si tartarum multum terræ

habeat,

habeat, & parum ſalis, facile rumpitur; ſi pluſculum ſalis, magis compingitur & induratur Calculus. Neque tamen maxima ſalis quantitas minimam terreſtrem in lapidem cogere poteſt: quia quædam requiritur proportio, ut ſupra diximus.

Differunt poſtremum Calculi numero, quod vel unus, vel plures ſint, pro materiæ ſcilicet copia, & prout ſimul juncta concreſcit, vel in plures partes, ſeu in plures locos diſpergitur. Si etiam læves, & æquales calculi in renis cavum, vel veſicam protrudantur, multi & ſeparati manent; ſi vero inæquales, aſperi, anguloſi, facile coëunt & uniuntur. Ejuſmodi quamplurimos è renibus & veſica exemtos vidi, quaſi ex aliquot exiguis calculis compoſitos. Sæpius vero in renibus, quam in veſica plures calculi eodem tempore generantur, quod in illis diverſa ſint vaſa & ſinus, in veſica una duntaxat cavitas. In qua tamen non ſemel plures obſervati, uti inter alios videre eſt apud Schenck. III. Obſ. CCXII. Eſt egregius hac de re locus apud Hippocr. IV. de morbis: ἐπὴν ὁ λίθος συμπαγῇ καὶ βάθος γένηται ἐς τὴν κύστιν τῇ ψάμμῳ τῇ γενομένῃ χωρίς· ἐλθούσης δὲ τῆς ψάμμου, ὁ λίθος

μὴ προσλάβη πρὸς ἑωϋτῷ, ἀλλὰ βαρυτέρη καὶ πλείων γένηται, ὥστε μὴ πήγνυσθαι αὐτὴν πρὸς ἑωϋτήν. καὶ οὕτως δύο λίθοι γίνονται· γίνονται δὲ καὶ πλείονες, τρόπῳ τῷ αὐτῷ. *Cum concretus fuerit calculus, & alte in vesica subsederit, arenaque separata fuerit, & accedentem arenam calculus ad se non adjunxerit, sed gravior & copiosior sit reddita, ita ut inter se concrescere nequeat, hoc etiam modo calculi gignuntur; fiunt vero eodem modo plures.*

CAP. IX.

Calculi signa demonstrativa: Hippocratis loci explicati. Doloris nephritici modus: de eo variantia Hippocratis loca conciliata. Circuitus nephritici admirandum exemplum: ejus caussa & symptomata. Manardi locus examinatus, & rationes notatæ. Vrina nephriticorum. Ejus suppressio lethalis; & Comatis soporiferi caussa. A Dureto, & Iacotio dissensum. Vrinæ potus noxius. Vrina arenosa non est calculi signum: nec arenæ rubræ calculi renum. Hippocratis verba benigne interpretata. Ejusdem aphorismus enodatus præter men-

mentem interpretum. Carunculæ cum urinæ excretæ. Torpor cruris nephriticorum unde. Galeni in eo, Langii, & Iacotii error. Testis retracti, nauseæ, vomitus caussa. A Galeno & Avicenna dissensum. Colici & Nephritici doloris differentia. Celsi locus explanatus.

CVm, authore Hippocrate lib. de arte, Medicus, qui sufficit ad cognoscendum, sufficiat quoque ad curandum, id mihi nunc, post contemplationem caussarum, negotii credo dari, ne signorum examen molli brachio percurram. Ciceroni I. de invent. Signum est, quod sub sensum aliquem cadit, & quiddam significat; ejus scilicet, quod latebat. Sic & Symptoma, quia conspicuum, interioris occultique morbi, à quo fluxit, expressum est signum. Ita quæ videntur, ut inquit Plutarch. v. de placit. Philos. xxix. conspectui nobis exhibent ea, quæ in obscuro sunt. Est autem signum genere duplex: Demonstrativum, quo præsens indicatur constitutio; Prognosticum quo futura. Diagnostica sive demonstrativa Calculi signa variis locis proposuit Hippocrates. In Coac. prænot. ita scribit:

Νεφρῶν ἐξαπιναῖον ἄλγημα μετ' οὔρου ἐπισχέσιος. λιθιδίων οὔρησιν ἢ παχέων οὔρων σημαίνει. *Renum repente dolor obortus, cum urina ſuppreſſa; lapillos, aut craſſum urinam meiendo reddendam oſtendit.* Hoc fuſius proſequitur lib. de internis affectionibus: Αἱ τέσσαρες νοῦσοι αἱ ἀπὸ τῶν νεφρῶν γινόμεναι. ἀπὸ τῆς πρώτης, τάδε πάσχει. ὀδύνη ὀξεῖα ἐμπίπτει ἐς τὸν νεφρὸν, καὶ ἐς τὴν ὀσφὺν, καὶ ἐς τὸν ὄρχιν τὸν κατὰ τὸν νεφρόν. καὶ οὐρέει πυκνά. καὶ στύφει κατ' ὀλίγον τὸ οὖρον. καὶ ἅμα τῷ οὔρῳ περιέρχεται ψάμμος. καὶ ὁκόταν ἐξίῃ διὰ τῆς οὐρήθρης ἡ ψάμμος, ὀδύνην παρέχει ἰσχυρὴν ἐν τῇ οὐρήθρῃ. ὁκόταν δὲ διεξουρήσῃ, ἡ ὀδύνη ἀνίησιν. ἔπειτα αὖθις ἐν τοῖσιν αὐτοῖσιν ἄλγεσι κέεται. ὁκόταν δὲ οὐρέῃ, καὶ τὸν καυλὸν ὑπὸ τῆς ὀδύνης τρίβει. πολλοὶ δὲ τῶν ἰητρῶν οἱ μὲν συνιέντες τὴν νοῦσον, ὁκόταν ἴδωσι τὴν ψάμμον, δοκέουσι λιθιῆν τὴν κύστιν. καὶ ταύτην μὲν οὔ, τὸν δὲ νεφρὸν, λιθιῇ. *Quatuor ex renibus oriuntur morbi. In primo ſic æger affligitur: Dolor acutus in renem, lumbos, & teſtem ad renis regionẽ ingruit, frequenter urinam reddit, & paullatim urina ſupprimitur, ſimulque cum ea arena egreditur, & cum per urinæ fiſtulam arena exit, vehementem in ea dolorem exhibet. Vbi vero cum urina exiit, remittit dolor, deinde rurſus*

iisdem vexatur doloribus. Cum autem urinam reddit, colem præ dolore confricat. Plerique vero Medici cum morbum non noscant, si arenam videant, vesicam calculo laborare existimant. Hæc autem minime, sed ren calculo laborat. Et lib. VI. Epidem. I. V. Ἐς νεφρὸν ὀδύνη βαρεῖα. ὅταν πληρῶνται σίτου, ἐμέουσί γε φλέγμα. ὅταν δὲ πλεονάζουσιν αἱ ὀδύναι, ἰώδεα. καὶ ῥάους μὲν γίνονται. λύονται δὲ ὅταν σίτου κενωθῶσι. ψαμμία τε πυῤῥὰ ὑφίστανται. αἱματῶδές τε ῥέουσι. νάρκη μηροῦ τοῦ κατ' ἴξιν. *Ad renem doloris gravitas urget cum cibo implentur, pituitamque vomitione rejiciunt, ubi vero dolores plurimum exercuerint, æruginosa, & levius quidem habent. Liberantur autem doloribus, ubi cibi vacuati fuerint, arenulæque fulvæ subsident, & cruentam urinam reddunt, femoris, quod è directo respondet, stupor sentitur.*

Inter signa ista & symptomata primum se offert *dolor*, qui *in lumbis*, quibus adhærent renes, percipitur, modo in latere dextro, modo in sinistro, modo in utroque, prout in alterutro renum, vel utroque calculus fuerit. Atque is infert sensum ponderis gravantis, quamdiu substantiæ seu carni renum sensus experti

perti inhæret. Hoc eſt quod dixit Hipp. Epid. cit. *Ad renem doloris gravitas urget.* Movetur autem talis dolor, communicata ab externis nervulis exiguo carnis intervallo ſentiendi vi, præſertim à tumente rene diſtenta membranâ, ut docuit Galenus VI. de uſu part. XVII. Mox vero *acutus dolor in renem, & lumbos* (Hipp. de int. aff. cit.) *ingruit,* cum calculus è carne ad cavitatem renum movetur, non tantum, quod eorum cavernulæ, ut ſcribit author de Renum affect. III. non ſint latæ, verum anguſtæ, & renes ob firmitatem ſubſtantiæ non diducantur, ut veſica; ſed inprimis propter ureteris ramos nervoſos, per renum ſubſtantiam diſperſos. Major tamen dolor eſt, cum calculus ureterem ingreditur, ob ſenſum & anguſtiam; ex craſſa enim & denſa membrana compoſitus eſt, & latitudine paleam modo æquat. In iis vero, qui ſæpius calculis minoribus conflictati fuere, ad digiti vel pollicis craſſitudinem dilatatur, & tum per ureteres minores lapilli nullo dolore tranſeunt. Magna commoditas, ſed ex majori incommodo. Animadverſione dignũ eſt, quod non modo in aliis, ſed & in meipſo aliquoties

quoties obſervavi, licet calculus in uretere ſit, imo jam ad veſicæ latus penetraverit, adhuc tamen dolores percipi in lumbis, ob continuationem ureteris in ipſo rene; quod multos fallit, poſt diuturnos dolores, calculum hærere adhuc in rene exiſtimantes, qui tamen paulo poſt in veſicam deſcendit, & ab omni dolore ac diſtentione ægrum liberat. Accidit nonnunquam, ut dolor acutus, quem calculus principio ureteris inſertus inflixerat, ad tempus aliquod ſedetur. Cauſſa eſt, Calculi ex anguſta via in ampliorem renis cavitatem regreſſus. Hic cum mox rurſus in ureterem deſcendit, dolor itidem revertitur: qui perſeverare conſuevit, donec Calculus in veſicam penetraverit. Ibi moliendo exitum ſtranguriam protinus parit, quæ eo excreto, niſi arenulæ ſequantur, ut magna copia ſæpius vidi, ſtatim ceſſat. Si vero cohibeatur in veſica, eo, quo ſupra diximus modo, paullatim augetur, & tum plerunq; æger, *quoties urinam reddere vult*, (Hipp. IV. de morbis) *dolore afficitur*. Hic dolor (ut morbus omnis à materia dependens, ſucceſſione participat & periodo, teſtibus Gal. 2. de febr. & Avic. 3. Can.

Can. 18.) fere circuitus ſuos habet: cujus rei exemplum afferam miraculo proximum. Vir quidam quinquagenarius ſeſquiannum circiter veſicæ calculo laboraverat, ſed cum tres hebdomadas acerrimis doloribus cruciatus eſſet, mox tantum temporis tanquam bene ſe haberet, omni dolore liberatus degebat, qui elapſis tribus hebdomadis rurſus ingruebat, adeo exacte typum ſervans, ut nec unicum diem, imo ne quidem horam falleret. Et quod non minus mirandum, triduum vel quatriduum ante doloris circuitum inſignis fœtor ex univerſo prodibat corpore, cum anxietate & tumore pedis ſiniſtri; ſed hic, quum ſe lecto componeret, ſubſidebat. Vrina illi toto morbi decurſu tenuis, flava, paullum tamen ad ruborem vergens. Bis tentata ſectione Calculus deprehendi non potuit: tertia vice exectus ovo columbino major, dolore poſt ſectionem nihil diminuto, donec die XVIII. cruciatum & vitam cum morte commutaret. Aperto cadavere, inventa cutis & muſculi abdominis ſanorum ſimiles, omentum fere conſumptum, inteſtina undique peritonæo annexa, ut & veſica; quæ extrinſecus livi-
da,

da, intus craſſo & purulento humore referta, ejuſque collum inæquale & rugoſum. Ren uterque flaccidus, pallidus, dexter ſuperiori parte niger, ſiniſter inferiori, ſed minus dextro, in utriuſque ſinu arenæ paucæ, craſſæ & albicantes. Vaſa emulgentia atque ureteres admodum lati. Vtinam exoriatur Delius ille natator, qui horum ſymptomatum cauſſam reddere poſſet! videlicet, cur dolor ille pari ſpatio exacte ſemper recurreret, & cur fœtorem cum anxietate & pedis tumore haberet prænuntium? Cum cauſſa circuituum in febribus, ſcribente Galeno II. de differ. febr. XI. admodum difficilis ſit, ita ut, quod Mercurialis bene monet, vel ex Galeno, vel ex alio quovis ſcriptore irrefutabilem aliquam afferre nequeas: non mirum, ſi & hic agnoſcere cogamur ingenii noſtri imbecillitatem. Vere Lucretius:

Multa tegit ſacro involucro natura.

Inter quæ licet circuituum in morbis ratio non ſit poſtrema, videaturque non immerito ἀνθρωπίνην ὑπερβαίνειν σύνεσιν, ac humani ingenii limites excedere; præſtat tamen aliquid, quam nihil dicere. Recte enim Plato, φοβέμενος ἐδεὶς τρό-

πaιον

πόνον ἔστησαν. *Meticulosus nemo trophæum erexit.* Vetus in ſubſtantia & colore vitium abunde indicant, impeditos fuiſſe renes fungi utroque ſuo munere, hoc eſt, ut diximus, ſanguinem coquere, (hinc tumor ille pedis, cachexiæ modo principium, unde facillime evanuit) eumque à ſero ſegregare. Et ob hanc cauſſam tartareus ſuccus non exacte, ut debebat, ſero mixtus in calculum coaluit: & ſanguinis exigua portio in extremis venarum ramulis, vel poroſitate renum, ubi niger ille color, coacervata, & continuo ſanguinis affluxu paullatim aucta, & partis vitio depravata; ubi non modo qualitate, ſed poſt trium hebdomadarum ſpatium quantitate vitioſus humor naturæ moleſtus, ejus putredine jam attenuati portio per venam emulgentem in cavam, indeque ad cor, unde anxietas, à corde in totum corpus tranſmittitur, hinc per cutis poros evaporans fœtor, quod ubi continuum triduum, vel quatriduum fit, & corruptus ille humor circulatione, quam diximus, ſanguinis in renes continuo redit, tandem renum irritata ſentiendi facultas, per ureteres eum amandat ad veſicam. Ibi dum præ

mali-

malignitate vim pariter veſicæ excretricem ſtimulat, calculus ſimul ad exitum movetur, ægerque *dum urinam emittit* (Hippocratis verba ſunt è lib. de aër. loc. & aquis) *ab urina vi propulſus ad veſicæ os collabitur, & urinam impedit, doloremque vehementem exhibet.* Hujus autem antecedens cauſſa, humor ille purulentus, quem in veſica deprehendimus, & qui è renibus ſtatis periodis in eam defluxit. Hanc horum ſymptomatum cauſſam afferre viſum, non quod undiquaque veram eſſe affirmare auſim; ſed ut viris eruditis anſam præberem, meliora inveniendi. Et certe in tanta difficultate μάντις ἄριστος, ὅστις εἰκάζει καλῶς. *optimus vates, qui bene conjicit.* Cur autem ſingulis tribus hebdomadibus dolor ille ceſſarit ac redierit, non magis explicavero, quam Medici hactenus, cur in febribus putreſcens pituita quotidie, bilis tertio, melancholia quarto quoque die impetum faciat. Quo nodo ſolvendo cum tot ingenia ab omni ævo ſudarint, neque tamen quid attuliſſe mihi videantur, in quo acquieſcere debeam; equidem de circuitu fere dixerim cum Xenophane apud Varronem: *Hominis eſt hæc opinari,*

Dei

Dei ſcire. Geminum noſtro exemplum affert Manardus, cum conſultus à medico quodam, qui ſtatis determinatiſque circuitibus, hoc eſt, xv. quoq; die, iſchuria & dyſuria tribus quinqueve ad ſummum diebus ſequentibus affligebatur, reliquo tempore tali moleſtia careret, id à calculo fieri non poſſe contendit, quamvis excellens quidam medicus hoc vehementer ſuſpicaretur, nec ab ejus ſententia æger medicus multum abhorreret. Sed ipſa Manardi argumenta & verba adducam ex lib. xii. Epiſt. ii. *Si ſymptomata hæc*, inquit, *per vices à calculo fiunt; vel calculus in veſica ſemper adeſt, vel à renibus ad eam tranſmittitur. Si primum, nulla ratio aſſignari poterit, quare per certa & ſignata intervalla affligat. Fieri quidem forte poſſet, ut non ſemper eodem modo infeſtaret, ſed magis minusve, ſecundum quod vel in cava parte, vel prope cervicem inveniretur. Verum ſi hoc eſſet, non video, quomodo certum tempus ſervari valeret, per quod ſymptomata illa reverterentur. Facile præterea eſſet, quoties in cervice inveniretur, vel excuſſione, quam Galenus præcepit, vel aliquo alio ingenio à cervice*

ad

ad concavitatem eum repellere, quo expulso symptomata vel in totum, vel magna ex parte cessarent: cum tamen medicus ille utrumque expertus, neque ob excussionem cruribus levatis factam, neque ex catheteris in meatum virgæ impositi repulsione, ullam in se invenisse requiem testatus sit. Nequaquam igitur putandum, vicissitudinariam hanc certo tempore dysuriæ stranguriæve reversionem, ex calculo in vesica semper residente fieri posse. Sed nec à calculo è renibus ad vesicam transmisso hæc fieri, eventus ipse testatur: si enim ita esset, oporteret semper ante cessationem pausamve symptomatum, lapillum exire: alioqui revertere-mur ad id, quod jam destruximus, hoc est, ad calculum in vesica permanentem, qui tametsi valeat modo plus, modo minus offendere, statis tamen & certis temporibus id facere non potest. Ex his evidenter concluditur, vel non esse in vesica calculum, vel etiam si adsit, inveniri aliam caussam oportere, quæ vel sola, vel simul cum eo circularis illius molestiæ sit caussa. Equidem, ut in allato exemplo observavi, hic etiam calculum adfuisse crediderim proximam continentemque hujus

hujus ischuriæ & dysuriæ caussam, quod & excellens medicus, & ipse æger, proculdubio signis aliquot moti suspicabantur: antecedentem vero acrem quendam humorem calculum impellentem, qui statis periodis è partibus superioribus in vesicam delatus sit. Nec obstat, quod explorando deprehendi non potuerit, cum id sæpius accidisse viderim in iis, quorum vesica post mortem magnum lapidem exhiberet. Fallit autem catheter, imo & digiti ano inserti, quando calculus à collo vesicæ procul abest, & quando pituitosis atque lubricis humoribus involvitur. Et si membrana inclusus sit, cathetere explorari non posse, testantur Mercurial. cons. XXXVI. & Pareus XVI. Chirurg. XXXIX. Sic notat Holler. I. de morb. intern. XLIX, in mercatore, cui omnia calculi vesicæ signa aderant, cathetere probari non potuisse, at in mortuo duos magnos calculos inventos fuisse, singulos unciarum duarum semis utrumque propria membrana inclusum.

Secundum Calculi signum petitur ab *urina*; quæ plerunque cruda, tenuis, & aquea, tam ab obstructione, quam à vitiata, ut equidem sentio, renum hæmatosi.

tosi. Cum vero se movere incipit Calculus, primum subrubra, mox ubi angustiam papillarium processuum perrumpens carnem dilacerat, cruenta fere excernitur. At jam expulsus è renibus, nisi ureterem penitus obstruat, urina multa, turbulenta, quandoque cum exiguis filamentis & arenoso sedimento. Quod si præ magnitudine ureteri inhærens transmeare nequeat, urinam supprimit, & mortem infert. Ejus calamitatis exempla ipse non semel vidi, & alia annotarunt inter alios Trincavellius x. de morb. cur. IX. Pareus XXIV. Chirurg. XIX. Nec mirum. distribuitur enim serum cum sanguine per totum corpus, quod naturalem partium calorem extinguit, & nutritionem impedit, quia adeo dilutum alimentum affigi aut agglutinari nequit. Plerunque vero urina impedito descensu ad cerebrum transfertur, & coma infert inexpugnabile, quo non paucos quinque, sex, septem dierum ischuria sine ulla doloris querela continuo sopore vidi extinctos. Duretus annot. in Holler. I. de morb. intern. XLVII. refert hunc affectum ad lethargum: sed cum ita soporati, quos equidem vidi, febre carerent,

rent, malim eos caro, ſeu comati ſoporifero aſſcribere. Minus placet Iacotius, qui comm. I. ad lib. VII. Coac. Hipp. ſect. II. Aph. XVI. male inter ſoporis genera referri ſcribit. Ipſum locum, quia affectui huic illuſtrando facit, huc tranſcribere placet. *Particulatim*, inquit, *ſuppreſſa pluribus diebus urina, ſerum, quod in ureteras, aut veſicam permeare non poteſt, per vaſa refluit ad ſuperiora, jecur opprimit, ſanguinem inficit, & refrigerat, tandemque tracto in conſortium mali cerebro, & ſpiritibus tum refrigeratis, tum interceptis, torporem lethalem invehit. Quomodo paucis abhinc diebus ſenem Arelatenſem moriturum prædiximus, qui paulo poſt ſomnolentus factus, &, ut aſſidentibus videbatur, ſuaviter quieſcens, interiit. Torpor enim hujuſmodi, tum in his, tum in phreniticis quibuſdam, ſomni ſpecie imperitis imponit, quod dolores, vigiliæ, inquietatio, ſimiliaque conquieſcere videantur. Somnus tamen non eſt, ſed νάρκη, & inde νέκρωσις, in qua caloris nativi diſſipatio, quæ ſumma refrigeratio eſt, non ſolum animi functiones tollit, ſed etiam ſtatim ab initio prohibet, ne ſpectra cerebri ad imagina-*

tionem moveantur, quia calore ea motio perficitur. Sit certe νάρκη sive stupor soporis caussa, cum tamen velut somno sepulti, ut loquitur poëta, moriantur, quidni soporosi & κωματώδεις dicantur? Vidi, qui diu dysuria laboraverant, in ischuriam tandem incidisse, cum acerrimo dolore ejus lateris, in quo calculus ureterem obstruxerat; alios absque dolore, in quorum renibus vel scirrhus ab ulcere, quandoque & calculus inventus; utrosque per seri ad superiora ἀναδρομὴν, sopore affectos, è quo cum difficultate excitati ad quæsita ægre responderent, sed mox iterum in somnum relaberentur.

Pocula Lethæos ut si ducentia somnos
Arente fauce traxerint.

Sic affecti quamvis postea urinam copiose excernant, tamen moriuntur; quia jam altius impressa sunt malignitatis urinæ vestigia. Quare maximo in errore versantur, qui tempore pestis remedium εὐπόριστον quidem, sed κακοστόμαχον adhibentes, urinam suam bibunt. Nam cum natura usa est urinæ ministerio ad anadosin, eam excludit tanquam rem sibi molestam & noxiam. Quidam apud Duretum comatodes factus à resolutione, non

non ab obſtructione, refluxu ſcilicet urinæ in cerebrum; nephriticus primum fuit: ſubſtitit urina non ab obſtructione ductuum, ſed effœta vi meningum, & ſecernendi vim renes amiſerunt, qua labefactata ſubſtitit urina: oleo nardino naribus, auribus, ſpinali medullæ, renibus admoto, urinam effudit copioſam ad pintas tres, nec per amotionem cauſſæ, quæ primigenium morbum fecerat, coma hoc, quod ſucceſſione venerat, ſublatum eſt, ob venenatam qualitatem, ut diximus, ab urina jam cerebro impreſſam. Dixit Hippocr. loco cit. arenulas cum urinis excretas indicare calculum eſſe in renibus, reprehenditque veteres medicos, qui putabant eas ſignum eſſe calculi veſicæ. At IV. Aph. LXXIX. longe aliter ſentire videtur, & ſibi ex diametro contrarius. Apponam ipſa verba: Ὁκόσοισιν ἐν τῷ οὔρῳ ψαμμώδεα ὑφίσαται, τουτέοισιν ἡ κύστις λιθιᾷ. Vertunt interpretes: *Quibus in urina ſubſident ſabuloſa, iis veſica calculo laborat.* Galenus cum contradictionem cerneret, hæc addit in Comment. *Non omnino veſica laborat, ſed contingit & renes: quare manifeſte errat Aphoriſmus, ſive quia Hippocrates*

ipſe

ipſe dimidiam partem ſermonis neglexerit, ſive quia primus librarius omiſerit. Sive enim in renibus, ſive in veſica calculi generantur, una cum urinis exeunt arenoſa. Philotheus cenſet Hippocratem ideo ſolius veſicæ meminiſſe, quod crebrius in ea, quia effatu dignam habeat capacitatem, quam renibus calculi naſcantur. Quod manifeſte falſum eſſe quotidiana docet experientia. Neque Galeni additamentum veriorem facit Aphoriſmum. Multi enim ſæpius arenulas cum urina reddunt, qui nunquam nec renum, nec veſicæ calculo afficiuntur. Multi etiam calculo laborant, nec tamen fundunt arenulas, aut ſabuloſa. Teſtatur clariſſimus Heurnius, ſe aliquando ſecuiſſe illuſtrem quendam virum, cui innati erant maximi calculi renibus, nec unquam ejus indicium editum fuerat, niſi quod interdum ab equitatione ſanguinem mejeret. Erant autem carni renis innati. Et in ipſius Heurnii veſica poſt mortem ſeptem reperti ſunt calculi, forma & magnitudine nucis juglandis majoris, æqualis ponderis duarum drachmarum: qui tamen viventi nullum ſabuloſæ urinæ indicium dederant; uti olim

audiviſſe memini ex doctiſſimo & humaniſſimo præceptore meo Othone Heurnio, magno parenti eruditionis & Profeſſorii muneris ſucceſſore. Scribit è contrario Cardanus in eundem Aphor. ſibi jam ab annis triginta primo ruffas, poſtea etiam albas arenas, quotidie & copioſe, citra tamen omnem calculi & renum & veſicæ ſuſpicionem prodiiſſe; additque, quod verum eſſe teſtari poſſum, vix è decem unum eſſe, qui à mictione arenarum immunis ſit: cum tamen rari ſint, qui renum calculo laborent, rariores, qui veſicæ; & contra multi veſicæ calculo affligantur, qui nullas arenas cum urina excernant. Quæ cum extra omnem controverſiæ aleam ponant omnes in arte medendi exercitati, & vix ignorare poſſint, qui vel à limine praxin ſalutarunt, cum nihil frequentius occurrat: mirum non eſt, ſe adeo torquere in explicando hoc Aphoriſmo, eumque ab errore vindicando, Hippocratis commentatores.

Non noſtrum inter eos tantas componere lites:

Afferre tamen placet vel ob gratam recordationem excellentiſſimi Sanctorii, quod

quod in viri optime de ſtudiis meis, & de tota arte meriti ædibus Patavii (ut ſolet nos non modo comites adhibere apud ægros, ſed & præter publicas lectiones privatim exercere) ante hos viginti annos, cum mihi hic Aphoriſmus ſorte explicandus eſſet, reſponderim. Ei ſcilicet conſtare veritatem, ſi una vox præter mentem interpretum, ſed non præter conſuetudinem Hippocratis exponeretur. Eam eſſe ὑφίσανται, quam omnes vertunt *ſubſident*: me autem malle *ſiſtuntur*: ut ſenſus ſit, eos veſicæ calculo laborare, quibus ſabuloſa, quæ excerni ſolent, in urina (hoc nomen etiam in veſica obtinet) remanent, ac in veſica ſiſtuntur. Qua veritate nihil verius eſſe, quivis intelligere poteſt. Neque hunc vocis uſum Hippocrati peregrinum eſſe ex eo patet, quod illi ὑπόστασις aliquando ſit humorum conſiſtentia ſeu ſtatus, & concretio. hoc eſt, quum humores intus manent, quos vacuari oportebat, ut annotavit Galen. Comm. II. in lib. de Articulis. Idem forte confirmari, quod in hoc Aphoriſmo, ut in præcedentibus, nullam faciat mentionem excretionis. Nam Aph. LXXVI. ſcribit, carunculas,

quæ cum urina excernuntur, à renibus prodire; & Aph. LXXVII. furfurosa, quæ cum urina exeunt, indicio esse, vesicam scabie laborare; ac sequenti, qui sanguinem inopinanter mejunt, his in renibus venulas ruptas: at in Aphorismo nostro non dici quibus arenæ vel sabulosa, cum urina exeunt, sed tantum quibus in urina sistuntur, vel subsident. Nam & hanc interpretationem tolerari posse, si in vesica subsidere intelligantur. Mercatus IV. de morbis int. XI. cum scripsisset, arenosa in urinis, ad declarandum vesicæ calculum, signum esse tam incertum ac infidum, ut nullum aliud incertius reperiri possit: quo tamen aphorismo fidem conciliaret, differentiam ponit inter arenas, & arenosum seu sabulosum sedimen: quippe quod constituatur non ex arenulis, sed ex frustulis ac laminis, & parvis portiunculis semipituitosis & jam fere concretis, quæ ex lapidibus excidunt ob frequentes motus. Id ex eo comprobat, quod assumptis medicamentis, quæ calculum frangunt, magna in calculo laborantium urinis arenosi sedimenti copia deprehendatur. Sic dixit Hippocr. IV. de morb. *ex pluribus calculis inter se colli-*

collisis in agitatione arenosum comminui, & per urinam excerni. Cardanus comm. in Hipp. de aër., locis & aquis lect. LI. interpretatur hunc aphorismum, Vesicam calculo laborare, si arenosa in urina subsideant, & non adhæreant matulæ; has enim à renibus excerni. Fallax vero Calculi renum indicium, si, quod ait Hippocr. in Epid. cit. arenæ ruffæ, vel fulvæ (πυῤῥαὶ) colore sandarachæ, inquit Galen. cum urina excernantur. nam & albas in renibus generari supra diximus. Cum tamen arenæ, quæ è renibus prodeunt, plerunque ruffæ sint, reprehensione indignum judicamus Medicorum principem. Hic locum habet, quod magnus Scaliger exerc. CCLXXI. respondet Cardano, qui negaverat contra Aristotelem dentium raritatem significare vitæ brevitatem, eo quod Augustus septuaginta sex annos vixisset, & habuisse scribatur Suetonio dentes raros, parvos, & scabros. Sed, inquit Scaliger, non debebas uno exemplo elevare tanti numinis authoritatem. Hujusmodi namque sententiæ nequaquam sunt necessariæ. Maxima ex parte veras esse satis est. Calculi magni & inæquales interdum renum

ſubſtantiam ita dilacerant; ut, quod dixit Hippocr. vi. Epid. cit. *urinam reddant ſanguinolentam:* interdum, ſed raro, *cum urina craſſa*, teſte Hippocrate iv. Aph. lxxvi. *carunculæ parvæ à renibus excernuntur*, quod etiam à recentioribus obſervatum. Has Galenus ulceratorum renum ſubſtantiam eſſe dicit; & quanquam eas unquam à ſe viſas neget in Comment. tamen i. & vi. de locis aff. videtur agnoſcere, ubi jam ulceris acrimonia eroſit particulas renum: quomodo & in tabe, pulmonis particulæ expuuntur, & in dyſenteria excernuntur ramenta inteſtinorum.

Tertium Calculi renalis ſignum poſuit Hippocrates Epid. cit. *torporem cruris, quod eſt è directo renis laborantis.* Cauſſam hujus torporis referunt Langius in Epiſt. & Iacotius comm. in Coac. ad venarum repletionem. *Vaſa* (inquiunt) *inſignia cavæ & aortæ deſcendentium ſpinæ ſubſtrata ſunt, ab his rami inſignes ad renes & crura divaricantur, quorum repletione, quæ obſtructis renibus, ureteribus, venis emulgentibus contingit, nervi & muſculi coarctantur, unde torpor.* Sequuti ſcilicet Galenum iii. Epidem.

cit.

cit. ubi ita ſcribit: *Dolorem ſtupidum in crus deſcendentem propter vaſorum dorſo incumbentium, cavæ ſcilicet venæ magnæque arteriæ cum renibus & cruribus conjunctionem, ortum habere putandum eſt. maximæ namque in ipſos renes expullulant. Poſtea utrumque conceptaculum bipartito diviſum in utrumque crus delabitur: per ipſumque totum diſtribuitur.* Sed cum venæ & arteriæ in hoc affectu ita non repleantur, ut muſculos premant, alia hujus torporis cauſſa ſtatuenda. Hæc autem vel compreſſio muſculi, ψόαν dicunt, cui renes ambo incubant, flexioni crurum dicati: vel compreſſio nervi, qui in cruris muſculos omnes expanditur: hinc ſimilis torpor, qualem percipimus, ſi femur alterum alteri diutius imponamus, vel dum innitimur diutius alterutri cubito. Fit autem compreſſio à duritie & pondere calculi: nam incipiens calculus torporem non parit. At in majori non tantum femur è directo renis laborantis torpet, ſed etiam tota ſpinalis medulla quandoque ita diſtenditur, ut eam vix flectere laborantes valeant.

Quartum ſignum ſtatuit Hippocrates

de int. affect. cit. *dolorem testis, ejus lateris, in quo nephritis*, eumque sursum retrahi sentiunt plerunque ægri. Caussa est, quod cum calculus renes, & eorum membranas distendat, eadem opera vicina quoque vasa, quæ ad testes tendunt, iisque inseruntur, retrahit.

Quintum signum nausea, & tanta ventriculi subversio, ut omnem fastidiant cibum, & injectum statim eructent. In meipso id expertus aliquoties, quod dum calculus ureterem permearet, ne quidem cerasum conditum retinere possem. Caussa est, quia renes continentur laxo intestino, & laxum intestinum renibus per peritonæum copulatur, ut visum Galeno Epid. cit. vel, ut refert Avicenna, ob colligantiam cum jecore, & ob id cum ventriculo mesaraicarum ratione; vel potius ob binos nervulos sextæ conjugationis, qui à stomacho ad renes feruntur, & ob exteriorem tunicam renes investientem, quæ à peritonæo orta ventriculi fundo continuatur. Postquam igitur renes lancinantur à calculis, pariter vellicantur nervuli isti & membrana, indeque stomachus irritatur ad expellendum quod molestum est, & sic

æger

æger provocatur ad vomendum. Hinc alvus fere perpetuo adſtricta, ita ut vix flatus emitti poſſit, tota natura ad ſuperiores partes veluti retracta. Inter initia autem *pituitoſi vomitus fiunt.* hujuſmodi enim ſuccus in ventriculo creatur plerumq; ex ciborum multitudine, ac multo magis ſi iſti craſſi, naturaque pituitoſiores extiterint. Quod ſi increverint, perſeveraverintque affectus: his ita patientibus *vomitus æruginoſus* ſupervenit, ob dolores, inquit Galenus, & vigilias corrupto ſanguine, idque maxime cum una febricitaverint, & inedia macerati fuerint. Alias ſincera bilis, poſt cibum & pituitam ejectam, vomitu, ſed difficiliori, expellitur. *Et leviores quidem* (addit Hippocr. Epid. cit.) *à vomitibus evadunt.* Ægri ſcilicet, poſtquam cibum, & excrementa evacuarunt, ab acceſſionibus illis liberantur, non tamen ab affectu.

Sed vomitus, imo alia pleraque Nephritidis ſigna Colico dolori tam exacte conveniunt, ut & doctiſſimis Medicis impoſuerint. Galenus de ſe ipſo id candide confitetur 11. de locis affect. his verbis: *Memini mihi ipſi accidiſſe dolorem*

 vehe-

vehementissimum, ut videre mihi viderer in intimo ventre terebro perforari, in eo potissimum spatio, per quod à renibus ad vesicam ureteres scimus extendi. clystere injecto, excrevi simul gravissimo cum dolore humorem vitreum: equidem putabam lapidem in altero renum impactum: adeo erat (ut mihi videbatur) doloris ipsius species perforanti similis: atqui vacuato humore, doloreque sedato, manifeste constabat, lapidem caussam non fuisse. Contrarium exemplum vidi ante biduum Beyerlandiæ, in uxore aggerum præfecti, quam Chirurgus satis sciolus curabat tanquam colico dolore laborantem, calidissimis asseribus ventri admotis: quos, vocatus, removere statim jussi, & clystere ac fomentis adhibitis, & nitro è vino assumpto, illa, quæ præ cruciatu animam agere videbatur, excreto calculo *revixit*

Vt vigil infusa Pallade flamma solet.

Quoniam igitur quod Colico dolori prodest, Nephriticum lædere possit, operæ pretium est, afferre signa, quibus alterum ab altero discernere liceat. Distinguuntur autem ratione symptomatum, excretorum, & loci dolentis. Quæ præ-

ceptoris Galeni, quam meis verbis, proferre malo. Is ergo VI. de loc. affect. II. has inter eos differentias ſtatuit: *Nauſea & vomitus urgent multo graviores & magis aſſidui, dolente colo. Evomuntque ita laborantes pituitoſa quædam atque corrupta, hac in re nephriticos longe ſuperantes: ac retinent etiam magis excrementa, ut ne flatum quidem, neque etiam ructum excernere poſſint. Sæpenumero etiam veluti circuire videtur dolor, atque ampliorem locum occupare: nonnunquam vero in diverſis particulis vehementior fit: nephritici vero dolores, eodem in loco ſtabiles, jugiter infeſtant. Quum itaque dolor fuerit in loco renibus altiore, manifeſtum colicæ indicium portendit: ſi vero iu uno loco, ubi ſcilicet renes ponuntur, ſtabilis conſtiterit, nihil ad notitiam poteſt poſitus ipſe conferre: proinde cum his notis urinæ quoque conſiderandæ ſunt. Nam nephritici ab initio dilutas, puraſque reddunt urinas: deinde ſequentibus diebus inæquale aliquid in ipſis ſubſidere videtur: demum omnino arenoſæ minguntur. At in colica, ſi quid ab alvo dejicitur, id flatuoſum quodammodo eſt, & ſæpenumero aquæ ſupernatare conſuevit, ſimilem*

habens

habens bubulo stercori consistentiam. Quinetiam colicorum cruciatus multo magis, quam nephriticorum, laxantibus mitigantur clysteribus. Atque evenit interdum, ut frigido aliquo humore simul ejecto, illico quiescant: eritque mitigans præsidium: non mitigans tantum, sed etiam curativum, & diagnosticum. Porro, ut hi frigidum humorem alvo excernente, ita nephritici cum urina lapide exeunte, & à dolore liberantur, & simul locum affectum ostendunt. Præterea nec stupor cruris, nec alia signa, quæ nephritidi adscripsimus, in colico deprehenduntur.

Vbi jam calculus è renibus per ureteras in vesicam descendit, nisi subito excernatur, paullatim, ut diximus, augetur, aliisque se prodit signis, quæ ab Hippocrate quinque commemorantur lib. IV. de morbis: Ἐπὴν τε οὐρῆσαι θέλῃ, πονέεται· καὶ τὸ οὖρον κατ' ὀλίγον ῥέει ὥσπερ στραγγουριῶσι. καὶ ἔστιν ὕφαιμον οἷα τῆς κύστιος ἡλκωμένης ὑπὸ τοῦ λίθου. καὶ ἡ κύστις φλεγμαίνει. ἀλλὰ τοῦτο μὲν, ἀφανές. σημήϊον δὲ, ἀκροποσθίη. ἔστιν ὅτε διουρέεται ψαμμώδεα. διουρέεται δ' ἔστιν ὅτε λίθους δύο ἢ καὶ πλέονας. *Cum urinam reddere vult, dolore afficitur,*

tur, & urina paulatim velut urinæ stillicidio laborantibus effluit, interdumque subcruenta est, utpote vesica à calculo exulcerata, & vesica inflammatione vexatur. Verum id non apparet, indicio tamen est summa præputii pars. Interdum arenosa per urinam rèddit: interdum duos, vel plures calculos. Addit lib. de aër. loc. & aquis: Καὶ ὁκόταν οὐρέῃ, πρὸς τὸ στόμαχον τῆς κύστιος προσπίπτει ὑπὸ τοῦ οὔρου βιαζόμενον, καὶ κωλύει οὐρέειν, καὶ ὀδύνην παρέχει ἰσχυρήν. ὥστε τὰ αἰδοῖα τρίβουσι καὶ ἕλκουσιν τὰ παιδία τὰ λιθιῶντα. δοκέει γὰρ αὐτέοις τὸ αἴτιον ἐνταῦθα εἶναι τῆς οὐρήσιος. *Dumque urinam emittit, ab urina vi propulsum ad vesicæ os collabitur, & urinam impedit, doloremque vehementem exhibet. Proindeque pueri calculo laborantes pudenda confricant & vellicant, quod ipsis reddendæ urinæ caussa eo loco esse videatur.* Sic & Rhases, ac alii è veteribus, tanquam manifestum signum notant, *laborantes dum mejere student, aut dolore vexari, aut ad erectionem membri excitari, forsan ob consensum partis, quæ veluti titillatur lapide, cum extremo membri seu capite ejus,* (tum quia nervi omnes in glande terminantur) *& ob id ea pars semper condolen-*

dolentia afficitur, vel ſimul erigendi cupiditate tentatur. In pueris id præcipue cum ſuo Hippocrate notant Græci medici, Aretæus, Trallianus, & Ægineta. Tum quod is veſicæ calculum pueris adſcripſerit III. Aphor. XXVI. tum quod pueris veſicæ collum magis tenerum ſit, ac proinde magis ſenſile, ut idcirco titillationẽ à calculo promptius percipiant.

His ſignis adde ponderis ſenſum in veſica, qui calculoſis frequenter moleſtus. Et ſic affecti vix quieſcere poſſunt, ſed jactantes totum corpus, crura alternatim movere coguntur.

Rectum quoque inteſtinum ob viciniam in conſenſum trahitur, unde Teneſmus, quo, ſimul ac urinam reddunt, per alvum quoque excernere coguntur. & hoc ani procidentia non raro ſequitur. Verum id tantummodo locum habet in grandiori calculo: qui etiam explorari poteſt cathetere in collum veſicæ, vel digito in anum inſerto; quanquam non ſemper hoc modo detegatur, ut ſupra monui. Idem fieri poteſt, ſi laborantem urinæ ſuppreſſione ſupinum collocemus, & cruribus elevatis concutiamus: quod ſi tunc urinam reddat,

ſignum eſt veſicæ os calculo fuiſſe obſtructum. Cardanus ad Aphor. cit. eum, qui certus eſſe velit, an calculo veſicæ laboret, equitare jubet, ſaltare, exercereque paulo vehementius, aut aſſumere lapidem comminuentia medicamenta, & hinc urinam inſpicere. Nam ſi tribus, aut quatuor diebus pulvis appareat, lapidem eſſe durum: ſi lapidum fruſta & quaſi arena, tophum eſſe. Si nihil horum appareat, lapidem proculdubio non eſſe. Horum ſignorum pleraque Celſus elegantiſſime complexus eſt lib. II. cap. VII. *Difficulter urina redditur,* (maximeque circa finem emictionis, non tam urinæ acrimonia, quam veſicæ calculum ſimul excludere conantis temeraria contentione) *paullatimque interdum ſine voluntate deſtillat,* (quia contineri nequit, ut in ſtranguria.) *Eadem arenoſa eſt: nonnunquam ſanguis, aut cruentum, aut purulentum aliquid cum ea excernitur. Eamq; quidam promptius recti; quidam reſupinati, maximeque hi qui grandes habent calculos; quidam etiam inclinati reddunt, colemque extendendo, dolorem leniunt. Gravitatis quoque cujuſdam in ea parte* (peritonæo inprimis: nec non in

ano;

ano; unde tenesmus) *sensus est, atque ea cursu, omnique motu augetur. Quidam etiam cum torquentur, pedes inter se subinde mutatis vicibus implicant. Fœminæ vero oras naturalium suorum manibus admotis scabere crebro coguntur:* (ut pueros pudenda confricare, ex Hipp. notavimus, ob titillationem, quam calculus infert.) *Nonnunquam si digitum admoverunt, ubi vesicæ cervicem is urget, calculum sentiunt.* Est enim amplum & breve in iis vesicæ collum.

Nullum autem calculi manifestius testimonium, quam frequens mictio, aut urinæ stillicidium.

CAP. X.

Calculi renum & vesicæ signa prognostica. Mercurialis error. Leoniceni versio improbata. Hippocrates explicatus. Erasmi lapsus.

IN aliis rebus omnibus merito prudens & maxime peritus habetur ille, qui non quod ante pedes modo est, videt, sed etiam illa, quæ futura sunt, prospicit. Sic de Calchante suo dixit Homerus Iliad. 1.

Ὃς ᾔδη τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα.

Et de Proteo Virgilius IV. Georgicorum:

— Novit namque omnia vates,
Quæ sunt, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Sed Medico, nisi experimenta per mortes agere velit, rerum eventus prænosse, inprimis necessarium est. Audi Hippocratis oraculum, quo divinos Prognosticorum libros orditur: Τὸν ἰητρὸν, δοκέει μοι ἄριστον εἶναι, πρόνοιαν ἐπιτηδεύειν. Προγινώσκων γὰρ καὶ προλέγων παρὰ τοῖσι νοσέουσι, τά τε παρεόντα, καὶ τὰ προγεγονότα, καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι, ὁκόσα τε παραλείπουσιν οἱ ἀσθενέοντες, ἐκδιηγεύμενος, πεπιστεύοιτ' ἂν μᾶλλον γινώσκειν τὰ τῶν νοσεόντων πρήγματα· ὥς τε τολμᾶν ἐπιτρέπειν τοὺς ἀνθρώπους σφέας ἑωυτοὺς τῷ ἰητρῷ. Τὴν δὲ θεραπείην ἄριστα ἂν ποιέοιτο, προειδὼς τὰ ἐσόμενα τῶν παθημάτων. ὑγιέας μὲν γὰρ ποιέειν ἅπαντας τοὺς ἀσθενέοντας, ἀδύνατον. *Operæ pretium mihi facturus Medicus videtur, si ad providentiam sibi comparandam omne studium adhibeat. Cum namque præsenserit, & prædixerit apud ægrotos, tum præsentia, tum præterita, tum futura, quæque ægri omittunt, exposuerit, res utique ægrotantium*

tantium magis agnoſcere credetur, adeo ut majore cum fiducia ſeſe homines Medico committere audeant. Curandi vero rationem optime molietur, ſi ex præſentibus affectionibus futura prænoverit. Neque enim fieri poteſt, ut omnes ægrotos ſanitati reſtituat. Quod ſi jam ante monuit & prædixit, nedum culpa caruiſſe, ſed & laudem mereri arbitror. Ante omnia igitur ſcire medicus debet quæ inſanabilia ſint, quæ difficilem curationem habeant, quæ promptiorem. Eſt enim prudentis hominis, ut recte Celſus, primum eum qui ſervari non poteſt, non attingere, nec ſubire ſuſpicionem ejus, ut occiſi, quem ſors ipſius peremit. Deinde ubi gravis metus, ſine certa tamen deſperatione eſt, indicare neceſſariis periclitantis, in difficili rem eſſe, ne ſi victa ars malo fuerit, vel ignoraſſe, vel fefelliſſe videatur. Sed ut hæc prudenti viro conveniunt, ſic rurſus hiſtrionis eſt, parvam rem attollere, quo plus præſtitiſſe videatur. Hæc præfari libuit. nunc rem ipſam aggrediamur.

Renes, ubi affecti ſunt, inquit Celſus lib. IV. cap. X, *diu male habent. (Pejus eſt, ſi frequens vomitus bilioſus accedit.)*

Cau-

Cauſam reddere vult Ariſtoteles III. de partibus animal. IX. Ipſa magni Philoſophi verba hic apponam: Ὅμοιον δ' οἱ τοῦ ἀνθρώπου νεφροὶ τοῖς βοείοις. εἰσὶ γὰρ ὥσπερ συγκείμενοι ἐκ πολλῶν νεφρῶν μικρῶν καὶ οὐχ ὁμαλεῖς, ὥσπερ οἱ τῶν προβάτων καὶ τῶν ἄλλων τῶν τετραπόδων. διὸ καὶ τὸ ἀρρώστημα τοῖς ἀνθρώποις δυσαπάλλακτον αὐτῶν ἐστιν, ἂν ἅπαξ νοσήσωσι. συμβαίνει γὰρ ὥσπερ πολλοὺς νεφροὺς νοσούντων χαλεπωτέραν εἶναι τὴν ἴασιν, ἢ τῶν ἕνα νοσούντων. *Hominum renes bubulis ſimiles ſunt, quippe qui tanquam compoſiti ex multis renibus exiguis conſtent. Neque æquabiles ſunt, quomodo renes ovium, cæterarumque quadrupedum habentur. Quo fit, ut morbus eorum difficile curari hominibus poſſit, etiamſi nuper ægrotare inceperint. Accidit enim, ut quaſi multis renibus laborent, difficilius remedium adhibeatur, quam ſi uno infeſtarentur.* Quæ ratio cum autopſiæ repugnet, ut capite primo fuſius demonſtratum eſt, male inter prognoſtica hunc locũ Mercurialis, & alii laudarunt. Neque enim renum morbi ideo δυσίατοι, quoniam illi bubulis ſimiles, & quaſi multis renibus conſtent, ac proinde tanquam varii variarum partium ſint affectus: ſed quia

eorum

eorum opus indeſinẽter peragitur, quiete autem opus ſit, ſi quid ſanari debeat; item quia per eos evacuatur ſuperfluitas acris, apta irritare, ut ſcribit Galenus; quinetiam quia remedia difficulter, & non niſi admodum mutata ad eos penetrare poſſunt. Quæ omnia magis adhuc locum habent in veſica. Hinc Hippocr. VI. Aphoriſm. VI. τὰ νεφριτικὰ καὶ ὁκόσα κατὰ τὴν κύστιν ἀλγήματα, ἐργωδῶς ὑγιάζεται τοῖσι πρεσβύτῃσι. *Renum & veſicæ vitia, difficulter ſanantur in ſenibus*. Certe in omnibus, ut jam dictum, ſed difficilius in ſenioribus, quia in illis major imbecillitas, & partium illarum ſtupor. Hinc ipſe teſtatur Hippocr. VI. Epidem. VII. XIX. ſe non vidiſſe renum vitia, poſt quinquaginta annos ſanata fuiſſe. Recte vero Galenus nos docet, difficiliorem in ſenilibus corporibus curationem admittere veſicæ affectus. Eos enim mortem fere conſequi pronuntiavit Hippocrates. Cauſas tres annotat Cælius Aurelianus, quod veſica nervoſa ſit, & imbecillis caloris, quod altioribus locis inſita, atque medicamenta non penetrent, aut ſaltem multum alterata; quod excremẽtis multum abluatur, uti & ex Galeno jam annotavimus.

Qui-

Quibus hæreditaria in renibus aut vesica constitutio calculosa, vix unquam sanantur. Vidi tales, cum ob temporis longinquitatem se hoc malo jam plane defunctos existimarent, denuo multos post annos, quibus immunes à dolore vixerant, in eandem calamitatem incidisse. Hinc eleganter Aretæus, *Calculorum*, inquit, *procreationem è fœcunda sterilem reddere nemo potest. Facilius est enim uterum à pariendo prohibere, quam calculosos renes calculis vacuare.* Vrbane, ut solet, Erasmus noster lib. Epist. XXI. ad Christophorum, Episc. Basileensem: *Fœminæ sterilescunt ætate: me senectus reddit fœcundiorem: aut enim concipio, aut pario, aut parturio. Sed partus est viperinus, & vereor ne quando parentem interimat. Certe semel atque iterum gravi periculo sum enixus. Quod si parum favente Iunone & Lucina niti cœpero, vixerit Erasmus.*

Frustra sanitatem ægri petit medicus, cui post calculorum excretionem nephritis persistit continua & diuturna, cum sensu per intervalla gravativo & acutissimis doloribus. Nam indicio est magnum unum, aut plures parvos augeri in renibus calculos.

Non

Non melior ſalutis ſpes affulget, ſi ex attritu anguloſi & aſperi lapidis (quod cognoſcitur, ſi ſanguinolentam urinam ſequatur purulenta) ulcus in renibus fiat. Nam calculus, ut deturbetur, extenuantibus & acribus eget: ulcus vero, ut conſolidetur, incraſſantibus & emplaſticis.

Si cui biduum, vel triduum à calculo, aut alia re obſtruente ſupprimatur urina, indeque per materiæ ἀναδρομὴν is fuerit factus comatoſus, difficultaſque accedat ſpirandi,

Lumine adempto animam moribundo
corpore fundit.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσιν οὔροισιν ἐφίσανται πομφόλυγες, νεφριτικὰ σημαίνουσι καὶ μακρὴν τὴν ἀῤῥωστίην ἔσεσθαι. *Quibus in urinis bullæ innatant, nephritim & longam fore invaletudinem ſignificant.* Hippocr. VII. Aphor. XXXIV. Cum bullæ urinis ὑφίσανται, quod eſt, Philotheo interprete, ἵστανται ἐπάνω τοῦ οὔρου, in *ſuperficie urinæ* (nec cum Leoniceno *ſubſidunt* vertas) *conſiſtunt*, ſignum eſt, flatuoſum ſpiritum à frigida renum temperie genitum, cum urina prodire. Hæc enim, inquit Galenus, aggregat ſpiritum flatuoſum, & ideo morbus longus; quippe frigidum omne

omne difficulter ſolubile, & vix coctionem admittit, atq; ideo diu durat. Equidem & ex hoc Aphoriſmo aliquatenus elici poſſe arbitror, quam renibus ſupra adſcripſi, concoquendi facultatem. Nam & bullæ hæ fiunt ex cruditate, *circum extento*, ait Galenus, *humore ſpiritui flatuoſo à frigida renum ægritudine*, qui cum ſint partes coctioni dicatæ, *longam fore invaletudinem indicant*.

Ὁκόσοισιν ἐν οὔροισι λιπαρὴ ἡ ἐπίστασις καὶ ἀθρόη, τουτέοισι νεφριτικὰ καὶ ὀξέα σημαίνει. *Quibus in urina adipalis ſuperficies eſt & conferta, iis nephriticum & acutum morbum adeſſe ſignificat.* Hipp. VII. Aphor. XXXV. Vrina reddi pinguis poteſt ab adipis colliquatione, ſive hoc fiat in renibus, ſive in toto corpore. Hinc addita vox ἀθρόη, conferta. In aliis enim, inquit Galenus, corporis partibus adipes colliquati, paullatim & non univerſim cum urina exeunt, primum colliquatione participata à venis illi vicinis, deinde ab iis, quæ continuantur, & rurſus ab aliis, donec ad renes perveniatur. Adipis vero circa renes colliquati tranſſumptio ad urinas celerrima eſt, & non paullatim, ſed ſimul tota fit, atque ideo in renibus ipſis diſpoſitionem

nem esse monstratur: quod & experientia confirmat. Sed nephritis cum morbo acuto non leve periculum minatur.

Ὁκόσοισι δὲ νεφριτικοῖσιν ἐοῦσι τὰ προειρημένα συμβαίνει σημεῖα, πόνοι τε περὶ τοὺς μύας τοὺς ῥαχιαίους γίνονται, εἰ μὲν περὶ τοὺς ἔξω τόπους γίνωνται, ἀπόστημα προσδέχου ἐσόμενον ἔξω. ἢν δὲ μᾶλλον οἱ πόνοι πρὸς τοὺς εἴσω τόπους γίνωνται, καὶ τὸ ἀπόστημα προσδέχου ἐσόμενον μᾶλλον εἴσω. *Si quibus vero è renibus laborantibus, prrter supra dicta signa, dolores etiam circa spinæ musculos fiant, siquidem ad loca exteriora sentiantur, extrinsecus abscessum quoque fore expecta: si vero dolores ad interiora magis vergant, abscessum etiam intrinsecus futurum expecta.* Ex istis abscessubus calculos quandoque prodiisse, quibus exemtis, ulcus consolidatum & ægrum sanatum fuisse, exemplis comprobatum est, sed raris.

Τῶν ἀνθρώπων τοῖς πονοῦσι τοὺς νεφροὺς, καίπερ τούτοις πιαίνεσθαι συμφέρον, ὅμως αὖ λίαν γίνωνται πίονες, ὀδύναι θανατηφόροι συμβαίνουσι. *Hominibus, qui vitio renum laborant; quanquam pinguescere juvat, tamen si pingues admodum efficiantur, dolores profecto accidunt lethales.* Aristot. III.

de

de part. animal. IX. Cauſſam ipſe ante reddiderat in ovibus, *quod iis, quæ adipe pingueſcere ſolent, pingue humidum eſt. Itaque non æque flatus intercluſi dolorem faciunt, quod cauſſa ſphaceli, ſive ſyderationis eſt.*

Ex adverſo *peſſima eſt illa conſtitutio, in qua calculum renes gignunt, totius vero habitus gracilis eſt.* Galen. VI. de Sanit. tuend. XVI.

Νεφρίτις πρὸ ἥβης οὐ γίνεται. ἀπὸ δὲ ιδ´ μέχρι μβ´ ἐτέων πάμφορος ἡ φύσις νοσημάτων ἤδη τοῦ σώματος γίνεται· πάλιν δὲ ἀπὸ ταύτης τῆς ἡλικίας μέχρι ξγ´ ἐτέων οὐ γίνονται χοιράδες, οὔτε λίθος ἐν κύστει, ἢν μὴ τύχῃ πρότερος ὑπάρχων, οὐδὲ καταῤῥοῦς νωτιαῖος, οὐδὲ νεφρίτις, ἢν μὴ παρακολουθῶσι ἐξ ἄλλης ἡλικίης. *Nephritis ante pubertatem non fit.* &c. *Sed à decimo quarto ad quadrageſimum ſecundum annum, natura jam morborum corporis feraciſſima eſt. Rurſum ab ætate hac uſque ad ſexageſimum tertium vitæ annum, ſtrumæ non enaſcuntur, nec in veſica lapis, niſi prius extiterit; neque dorſalis catarrhus, neque nephritis, niſi ex alia ætate huc deducta fuerint.* Hippocrat. in Coacis prænot. Cujus loci doctiſſimam interpre-

tationem pete ex Comment. Dureti.

Adulti fere Calculo renum, pueri veſicæ magis laborant. Hinc Hippocr. VI. Epidem. III. XV. Τὸ μετ᾽ οὔρησιν σύνταγμα, παιδίοισι μᾶλλον. *Concretio poſt mictum, magis in pueris.* De quo loco alibi egimus.

Mulieribus rarius quam viris Calculi naſcuntur. meatus ſiquidem in illis brevis eſt & amplus, ita *ut facile urina expellatur.* Hipp. de aër. aq. & locis, *& cum urina quoque excrementum, quod calculum facit.* Alex. Aphrod. II. Probl. LI.

Calculi rotundi & læves facilius excernuntur: difficulter, qui alia quacunque forma præditi ſunt; *præcipue oblongi & aſperi.* Aëtius tetr. III. ſerm. III. cap. IV.

Qui ſæpius calculos excrevere, levi negotio iis liberantur; niſi ſint juſto majores.

Si materia tartarea alio avertatur, bonum. Ita videmus eos, qui ſolutiore alvo ſunt, minus hoc malo infeſtari, quam quibus venter adſtrictus. Sic Arthritis Nephritidi ſuccedens, quoniam eadem eſt utriuſque materia, non raro ægrum à priori morbo liberat. At redundante nimium materia ſæpius utrumq; vidi perſiſtere. Sic refert Guainerius Calculoſam

paſſio-

passionem, dominam Arthritidem diligere, & tantam simul cum ea habere affinitatem, ut una sine altera aliquem rarissime invadat. Memini me olim in nescio qua epistola Erasmi, cum multum de carnifice suo (ita Calculum appellabat) conquestus esset apud amicum arthriticum, legisse, se & illum affines esse, quippe duarum sororum (ut habentur nephritis & podagra) maritos, ejusque uxorem nonnunquam & se accedere, absque ulla tamen adulterii suspicione.

Cum renum calculi sæpius ex multis inter se junctis arenulis coëant, plerunque fragiliores, & ad comminuendum aptiores sunt, quam calculi vesicæ fere ex succo lapidescente paullatim compacti & indurati.

Leges, quum maxime sæviunt, dissecant vivũ in quatuor partes, priusquam attingant vitalia. At ego crediderim minus sensurum cruciatus, si cui membratim corpus dissecetur, quam qui sentit calculum sub imis costis, ac circa venarum, quas meseraicas appellant medici, (eas non tangit calculus, ureteres debuit dicere) *angustias sævientem. Quanquam medici veteres inter extremos cruciatus,*

qui ſubitam mortem adferunt, primas tribuunt calculo veſicæ. Qui fortaſſis hoc eſt acerbior, quod fere ſit immedicabilis, niſi velis remedium morte crudelius, atque ipſam plerunque mortem. Certe huic proximum malum eſt renum calculus, quum ſævit acerbius. Me vero tã ſubinde repetit, tamque capitaliter adoritur, ut, ſi quis odit Eraſmum, merito jam inimicus eſſe deſinere debeat, nimirum odio tot malis ſaturato. Porro cruciatum tam immitem ſecum affert calculus, ut quamvis validum ac robuſtum corpus, intra triduum nonnunquam interimat, & ſi ſe remittat dolor, in hoc remittit, ut mox atrocius ſæviat. Quid hoc eſt aliud, quam frequenter reguſtare mortem? Quis autem cuperet reviviſcere, paullo poſt iterum moriturus? Eraſmus lib. XXIII. Epiſt. ad Iod. Gaverum.

Indicavere avi experimento, aſperrimos cruciatus eſſe calculorum è ſtillicidio veſicæ, proximum ſtomachi, tertium eorum, quæ in capite doleant, non ob alios fere morte conſcita. Plinius XXV. Natur. hiſt. III.

Quibus Calculus eſt in veſica, lupum hi tenent auribus. Nam ſi curationem omit-

omittant, & ipſe quotidie augetur, & vehementiores cruciatus infert: ſi adhibeant, anceps remedium experiri coguntur, opuſque periculoſæ plenum aleæ.

Semper obſervavi plures evadere pueros à ſectione, quam adultos; & his multo pauciores ſenes, tum quod vires habeant infirmas, tum quod partes omnes ſiccas, quæ ſatis extendi & dilatari nequeunt, neque poſtea conglutinari. Notavit idem Paulus lib. VI. cap. LX. *Ex his quibus calculi exſecantur, pueri quidem ad decimum quartum annum facile curantur, propter corporum mollitudinem: ſenes autem difficulter, eo quod ulcera in corporibus ipſorum ægre ſanentur: mediæ inter has ætates, etiam in hoc medio modo ſe habent, & rurſus facile curantur, qui majores calculos habent, quia inflammationibus adſueti ſunt: difficulter autem, qui minores, ob contrariam cauſſam.* Sed mediocris magnitudinis Calculi facilius & tutius è veſica evelluntur, quam majores, aut minores; nam ab illis veſicæ corpus fere dilacerari ſolet, hi ferramentorum anſam effugiunt.

CAP. XI.

Præservatio ab arenis & calculo. Locus Plinii emendatus. Cardani error. Diuretica purgantibus non miscenda. Usus eorum sanis noxius. Terebinthinæ vires, & præparatio.

CVratio Calculi duobus absolvitur, ut quis ab eo se immunem conservet, vel jam affectus eo liberetur. Illud προφυλάξιν, hoc θεραπεύειν dicimus. Facilius autem est, ut cum Seneca dicam, excludere perniciosa, quam regere: & non admittere, quam admissa moderari. Cum enim se in possessione posuerunt, potentiora rectore sunt, nec recidi se minuive patiuntur. Itaque in primis finibus hostis arcendus est. Notum illud Ovidii 1. de remed. amor.

Principiis obsta: serò medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Nam omne malum (Ciceronis verba sunt è v. Philipp.) nascens facile opprimitur: inveteratum fit plerunque robustius. Quare quod Persius Sat. III. de Hydrope dixit, vel maxime locum habet in Calculo:

Helle-

Helleborum frustra cum jam cutis ægra tumebit,
Poscentes videas: venienti occurrite morbo.

Qui igitur à Calculo se præservare volet, id operam dabit, tum ne colligat inimicam materiam, è qua coagmentatur, tum ut ea fugiat, quæ renes debilitare possunt. Quod ut omnibus, ita inprimis præceptum volumus iis, qui vel ab ortu, vel aliquo casu debiles. Quibus tanto magis omnis observatio necessaria est, quanto magis obnoxia offensis est infirmitas. Itaque si ventriculus, hepar, lienis, præ imbecillitate non bene concoquant; & cruda renibus subministrent, ante omnia corroborari postulant. Hic rerum nonnaturalium vis maxima. Hippocrates trium ordinem & modum breviter posuit: *Labor, cibus, venus, omnia mediocria.* Prodest exercitium moderatum. Siquidem, vt ait Celsus, ignavia corpus hebetat, labor firmat. Et ex adverso recte cecinit Naso IV. Epist. Heroïd.

Quod caret alterna requie, durabile non est.
Hæc reparat vires, fessaque membra levat.

Exercitatio ſemper antecedere cibum debet: in eo, qui minus laboravit, & bene concoxit, amplior: in eo, qui fatigatus eſt, & minus concoxit, remiſſior. Vbi ad cibum ventum eſt, nunquam utilis eſt nimia ſatietas. Tantum enim, ut recte Cicero I. Offic. cibi & potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur. Vtilis itaque victus moderatus, boni ſucci, & facilis coctionis, habita ſemper ratione temperiei & conſtitutionis corporum. Galenus VI. de Sanit. tuend. XI. in pinguibus & craſſis hominibus calculo obnoxiis, non tantum tenuem diætam, quoad quantitatem ſpectat, ſed etiam ratione qualitatis, calefacientem, attenuantem, & detergentem inſtituit, ut humores iſtos viſcidos craſſoſque expugnet, & corpus ipſum ad mediocritatem reducat; contra in gracilibus natura, vel morbo extenuatis, & in bilioſis, qui ejuſmodi arenas colligunt, bonum habitum reſtituere alimentis euchymis, & viſcerum calorem atque ſiccitatem refrigerantibus, mollientibus ſive humectantibus temperare. Vnde liquet, non omnia omnibus conducere, ſed quæ adhibentur, pro temperie & habi-

habitu corporis esse distinguenda.

Panis comedatur ex optimo & puro frumento, bene fermentatus & coctus. Melior vero communis, quo apud nos vescimur, quam similagineus, quem vulgo candidum vocant. nam iste ob furfuris miscellam minus obstruit, faciliusque per alvum secedit, ut recte monuit Simeon Sethi. Atque unam ex præcipuis caussis esse cur ditiores & magnates calculi & podagræ doloribus obnoxii degant, quod pane vescantur similagineo, nec corpus multum exerceant, non immerito à viris doctissimis judicatum est. Inutilis etiam panis biscoctus, quia nimis siccus, & terrestrem fere naturam induit. Nec melior, quem loco aquæ, ad candorem conciliandum, pistores lacte subigunt. Id enim tritici visciditatem auget, ac proinde crudos humores generat. Præterea lac, & quæ ex eo fiunt, calculo materiam præbere diximus loco citato. Butyrum excipe. Namque *natura ejus, abstergere*, (hanc vocem pono apud Plinium libr. XXVIII. cap. IX. pro ea quæ legitur *adstringere*, servata male à Dalecampio; reddita ratione propter additum salem: nam & eo

nomine abstergit) *mollire, purgare.*

Carnibus utantur mediocris ætatis tam assis, quam elixis, vervecina, vitulina, cuniculorum, gallorum juniorum, & similium; mollibus ovorum vitellis; prunis, amygdalis, pistaciis; pomis cum saccharo coctis; piscibus saxatilibus, & qui friabili sunt substantia, lucio, perca &c. Testatur Crato consil. CXLI. non paucos sævis calculi cruciatibus diu affectos, usu nucum avellanarum liberatos. Comedant igitur calculosi novem vel decem perpurgatas ante prandium, vel cœnam.

Inter herbas & olera conveniunt malva, beta, petroselinum, cerefolium, urtica tenera, pimpinella, asparagus, radix pastinacæ, raphani minoris, sive radicula ante alios cibos sumpta; alias enim cruda, & quæ in primis viis hærent impuritates, vi sua diuretica ad renes vehunt. Potus omnis, sive vinum sit, sive cerevisia, vel aqua, limpidus esse debet, tenuis & defæcatus. Sed cum aquæ & cibi incoquantur, ejus & hoc nomine habenda ratio. Galenus Comm. IV. in VI. Epid. X. dicit optimam aquam, & omni vitio carentem, quæ neque limi quicquam habet, neque male olet, & gustantibus nullam

lam qualitatem præ se fert: quæ vero talis est, eam decoctione ad meliorem naturam permutari monet. Nam præcalefacta, inquit, cum refrixit, tunc evidenter putorem, quem ex putredine plerunque contraxerat, abjicit; omnisque pars terrea facile subsidet, quæ cum tota aqua prius, quam incaluisset, minutatim permista, unaque cum ipsa epota haud contemnendam cladem infert, & maxime quibus renes aut vesica progignendis calculis obnoxii sunt. Decoquenda vero, monente Plinio, ad dimidias partes. Vtile calculosis, teste Dioscoride lib. v. cap. xxx. melicratum. Scribitque Galenus III. de Alim. facult. XXXIX, mel, quod non plene coctum, in ventriculo atque intestinis flatus gignere: contra, quod in decoctione spumam omnem abjecerit, flatus esse expers, ac urinam movere. Concubitus rarus corpus excitat, frequens solvit, &, ut supra diximus, gignendo calculo occasionem præbet. Animus semper hilaris sit; ne ex tristitia, humorum melancholicorum & terrestrium saburra coacervetur. Sed age, & veterum subsidium invocemus. Paul. Ægineta præcautionem Calculi lib. III. c. XLV.
his

his verbis deſcribit: *Arcent creationem calculi, primum quidem cibaria non improbi ſucci, & moderata; mox etiam exercitationes, & inſolentior leguminum omnis generis, frumentaceorumque uſus. Caſei item & lactis, quæque inde parantur obſoniorum: Vini adhæc atri, & carnium abundantiæ, &, ut ſemel omnia complectar, omnium, quæ craſſum generant ſuccum, quæque admodum calidæ ſunt poteſtatis & acria, hydrogarorum, inquam, atque conditorum, atque id genus aliorum abſtinentia. Haud enim hæc modo nondum natos calculos concreſcere prohibent, ſed jam ortos etiam comminuere atque excernere poſſunt. Bibant vero oxymeli adjecto aliquo ex ſimplicioribus, quæ lotii proritandi vim obtinent, puta adianthi, apii, graminis decocto. Quod ſi pravorum humorum copia premantur, ſanguinis detractione, ſeu alvi dejectione evacuentur.* Nec aliter Aëtius lib. XI. cap. VI. *Maximi ad lapidis generationem præcavendam momenti, moderatus cibus & bonæ concoctiones exiſtunt. Satietates enim & cruditates, non ſolum exaſperant morbum, ſed etiam, quum non ſit, generant. Quare ægros admonere oportet, ut à cœna*

ſæpe

ſæpe vomant, & abſinthium aſſidue bibant, & per tempus certum convenienti temperaturæ ipſorum pharmaco ſe per vĕtrem purgent. Cibos autem deligant, è quibus neque ſatietates, neque cruditates contingant: urinam etiam cientibus utantur. Oportet autem ipſam etiam aquam per omnem vitam puriſſimam eſſe & percolatam: vinum item tenue, album, urinam ciens. Exercitamentis vero utendum mediocribus.

Nihil autem pejus, quam urinam diutius retinere. ita enim materia lapideſcens facile ſubſidet ac concreſcit. Quare non incommode etiam pueros, in quibus calculus metuitur, noctu expergefacimus, & ad urinam, donec veſica exinanita ſit, reddendam urgemus. Et errat meo judicio doctiſſimus Cardanus com. in Hippocr. de aër. locis, & aquis text. XXVII. ubi monet, non ſæpius mejendum eſſe, quod lapis generetur potius tempore, quo veſica eſt vacua ab urina, quam quo eſt plena. At certe urina terreſtri ſucco impragnata calculi generationem, & auctionem non impedit, ſed promovet.

Quandoquidem vero omni, ut diximus,

mus, alimento ſuccus ineſt tartareus, vix fieri poteſt, quin iis, quorum partes co-ctioni dicatæ debiles, aut renum conſti-tutio eſt arenoſa, arenulæ colligantur. Quare danda opera, ut hæ, antequam concreſcant in calculum, expellantur, earumque materia, prius quam in renes iis glutinandis deducatur, mature expur-getur. His indicationibus ut ſatisfaciant, non modo vulgares Medici, ſed &, ut vidi, celeberrimi Practici, purgantibus miſcere ſolent diuretica, quo ſimul no-xios humores per alvum, & arenulas cum urina exturbarent. Sed tam præcavendo, quam curando huic malo, id præter ra-tionem fieri, & veterum authoritatem, demonſtrabo. Ac primum, quæ urinæ movendæ apta ſunt, in principio non conducere, apud omnes Medicos in con-feſſo eſt. Neque enim Apollinis magis verum eſt, atque Hippocratis oraculum è VI. Epidem. II. ubi vir divinus à parte fluxione tentata quam longiſſime aver-tere, non ad ipſam attrahere præcipit. Quamobrem ſi in renibus lapideſcens ſuccus, vel arenulæ hæreant, novæ ma-teriæ fluxum avertere, non eo ducere oportet. At hoc fit, ſi ſtatim ab initio ex-hibean-

hibeantur diuretica, quorum facultas Galeno v. Simpl. XIII. eſt vehementer attenuare, meatus reſerare, fundere, & ſeroſum ſanguinem ſegregare. Quod dum præſtant, humores cum ſanguine & ſero in renes pellunt. Vnde liquet, quam male ſibi conſulant quamplurimi, dum ad præcavendum calculũ, indies aquam vitæ, in qua urinam cientia fuere macerata, aſſumere conſueſcunt. Excernunt quidem arenulas, ideoque utile id medicamentum exiſtimant: ſed neſciunt plus ſe inimicæ materiæ in renes deferre, quam arenularum expellere. Quod non pauci experti, qui me authore pravam hanc conſuetudinem omiſere, & quandoq; leniter purgantibus terreſtrem ſuccum in inteſtina avertentes, longe ſanius poſtea vixerunt. Id nec Alexandrum Trallianum latuit, qui cum multa renum calculos atterentia, urinamque proritantia remedia deſcripſiſſet, ab iis tamen cavendum intermiſſionis tempore prudenter monuit. Quinetiam ſæpius obſervatum eſt, Calculoſos à frequenti diureticorum uſu, quo in ſecunda valetudine ſe præmunire putabant, in renum inflammationem, ulceraque incidiſſe, ex

qui-

quibus misere postea perierint. Nec utilius purgantibus mixta assumi solent. Nam Galenus libro, Quos purgare oportet, id maxime in medicamentorum purgantium mistione observandum scribit, ut commista sibi invicem consentiant, neque ulla in re discrepent. Discrepare autem illi est, non cum hoc bilem, illud pituitam trahit, (utraque enim pari modo evacuant:) verum si hoc celerius, illud tardius ab assumptione purgare incipit. nam hæc est inæqualis evacuatio. At longe major discrepantia est in medicamẽtis urinam & alvum moventibus, quam in solis purgantibus, cum ab istis corpus diversis agitetur motibus, purgante ad intestina, diuretico ad renes & vesicam trahente. Quare veterum exemplo, purgantia nunquam diureticis misceamus. At quoniam vix quisquam ita subducta ratione ad tuendam sanitatem semper fuit, quin ex diversis & omnis generis alimentis aliquid materiæ tartareæ colligat, negotii nostri est, tempestive eam expellere, antequam derivetur ad renes. Quibus itaque non est difficilis vomitus, bis terve ii singulis mensibus vomant: ita enim non modo ventriculus, sed & partes

tes

tes vicinæ evacuantur. Vtilis autem vomitus plenis & biliosis omnibus: inutilis vero gracilibus, & imbecillum stomachum habentibus. Conveniunt & purgantia singulis tribus vel quatuor mensibus assumpta, sed leniora. Perniciosæ siquidem ad Calculum inclinantibus purgationes, quæ nimis valentibus medicamentis fiunt, quod humores vehementer agitent, corpusque debilitent, ac proinde offensis magis obnoxium reddant. Adhibenda igitur quæ Græcis ἐκκοπρωτικά, vulgo Lenitiva dicuntur, ut sunt manna, cassia, vel è compositis diacatholicum, electuarium lenitivum, diaprunum simplex, passulatum leniens, &c. Quod si medicamenta fastidis,

Vtere lactucis, & mollibus utere malvis.

Pigroque ventri non inutiles betæ: ut nec pruna. Hinc Martialis;

Pruna peregrinæ carie rugosa senectæ
Sume. solent duri solvere ventris onus.

Evacuata corporis prima regione, mox quod renibus (ut solet in arenosa eorum constitutione) inhæret, ne ibi mora in calculum abeat, expellendum. In hoc

casu

casu nihil Terebinthina utilius. Scribit Iacchinus in IX. Rhasis LXIV, se cuidam exhibendo terebinthinam, vel cassiam calculi materiam, quam cum urina reddebat, divertisse, eoque modo sanasse. Refert & Amatus Lusitanus centur. II. Curat. LXVIII. monachum quendam cum articulari morbo & nephritico corripi soleret, & nullo remediorum genere, frustraque multis tentatis convalesceret, tandem assiduo terebinthinæ usu intra sex menses liberum à dictis morbis evasisse. Deglutiebat autem singulis diebus terebinthinæ particulam nucis magnitudine saccharo admistam. Terebinthina antiquitus pro alvo subducenda tantum utebantur: neoterici vero eam pro renibus expurgandis, ac aliis variis intentionibus, in usum traxerunt, ut idem Amatus comm. in Diosc. abunde demonstravit: neque discrimen ullum inter vulgarem terebinthinam, modo bona & pura sit, facit, & eam, quæ à terebintho arbore desumitur, & difficulter habetur, cum utrique communes vel pares hæreant possessiones. Sed de Terebinthinæ viribus, præparatione, & usu quia eleganter scripsit Lev. Lemnius nostras, lubet ejus verba

verba hic ſubjicere ex lib. 1. de Complexion. cap. IX. *Terebinthina non ſolum alvum citra noxam ſolvit, ſed viſcera omnia, internaſque partes, jecur, ſplenem, renes, pulmonem expurgat, modo perlucida ſit, non adulterina, nempe ex larice pinea, vel abiete lecta. Sum enim efficaciſſimam hanc expertus in eliciendo ſuppreſſo lotio, in comminuendis calculis, in ſtranguria, atque urinæ ſtillicidio ulceroſo ac fœdo, in podagra ac chiragra, &c. Quum autem Galenus nucis Ponticæ, vel avellanæ magnitudine, nonnunquam duarum aut trium hanc exhibere ſoleat, tum ego quo commodius dimanare in venas, parteſque corporis univerſas ſubire poſſit, in potionis formam conficio, ac liquore aliquo ſtillatitio, aut vino diluo: abſque igni enim liqueſcit, candoremque eximium agitatione continua adſciſcit, quod in hunc modum perfici ſolet. Terebinthinæ piſticæ, hoc eſt, probatæ, & cui tuto citra ullam fraudis ſuſpicionem poſſis fidere, unciam aut ſextantem in mortario piſtillo diſſolvo, adjecto lutei ſeu vitelli ovi puſillo. deinde admiſceo certis vicibus aquæ veſicariæ, vel apii, vel alterius liquoris ... exigit morbi natura, aut hominis conditio)*

ditio) uncias duas aut tres. hæc tantisper subigo, dum omnia coalescant. mixtura tam suaviter candore lacteo albescit, ut colostro, aut Belgis vocato cremori prorsus reddatur assimilis, nec aliud esse sibi persuadent, quibus hujusmodi potiones ebibendas offero. Adde, Terebinthinam, quomodocunque sumatur, non esse lavandam, ut vulgo aqua petroselini, vel simili, aliquoties fieri solet. Neque enim lotione, quod putant, herbæ istius vis terebinthinæ imprimitur, sed detersoria facultas eluitur. Varandæus post accuratam corporis purgationem ad vias urinæ excrementis suis liberandas & mundificandas, nullum præstantius agnoscit remedium, quam potum aquarum Balerucanarum, quas eleganter descripsit nostras Dortomannus, apud Monspelienses olim Medicinæ Professor. Vidi eas anno CIↃ IↃC XV. cum clarissimo & amicissimo Timanno Gesselio, Medico Vltrajectino, cum ibi simul studiorum caussa ageremus. Illæ, inquit Varandæus, suo calore ex bituminali vena fundunt liquantque quoscunq; crassiores mucos, & ipsos calculos, si sint adhuc teneriores; nitrosa autem substantia abradunt quasi ius

de-

detergent ſordes iſtarũ viarum; & quantitate mirabili, qua aſſumuntur, ſolent impuritates non tantum inteſtinorum, ſed etiam renum & veſicæ, quaſi torrente quodam abripere: unde incredibile eſt dictu, quantam ex calculoſis iſtis hominibus ſaburram illarum potu cum urinis deturbatam. Idem præſtant Spadanæ noſtræ: De quibus Plinius lib. XXXI. cap. II. *Tungri civitas Galliæ fontem habet inſignem, plurimis bullis ſtillantem, ferruginei ſaporis: quod ipſum non niſi in fine potus intelligitur. Purgat hic corpora: tertianas febres diſcutit, calculorumque vitia.* Majus eſt, quod ſcribit Vertunianus in Epiſt. Gallicis ad Scaligerum, potu aquarum *de Pougues* quadraginta diebus magnum veſicæ calculum liquefactum, neque ullum poſtea dolorem rediiſſe. Equidem laxata aliquo lenientium alvo, & deterſis terebinthina renibus, exhibeo Aquæ meæ Antinephriticæ (cujus deſcriptionem in aliud tempus differo) bis hebdomade cochlear j, primis ſex hebdomadis. ſex ſequentibus ſemel hebdomade itidem cochl. j. deinde ſingulis quatuordecim diebus eandem quantitatem. Ambulandum autem ab aſſumpta aqua

aqua horas duas, & ſervanda diæta, qualem præſcripſimus. Quamplurimi cum diu calculo obnoxii vixiſſent, multoſque cum cruciatu ſæpius excreviſſent, hoc malum tandem iſto remedio in perpetuum evaſerunt, & ſecuritatem totius vitæ conſequuti ſunt.

CAP. XII.

Calculi curatio. Hippocratis locus explicatus. Practicorum error. Qui calculi comminui atque diſſolvi poſſint. Lithontriptica duplicia. Lapidis Iudaici, Lyncis &c. Oculorum cancri, Sanguinis hircini, Pellis leporini, &c. facultates. In diureticis exhibendis cautela. Celſi locus explanatus & correctus. Calculi è meatu urinario eximendi modus duplex: è veſica ſecandi quadruplex.

VT præceptis & remediis, quæ præcedenti capite adduximus, facile quis ſe immunem ſervare queat, cujus natura in generationem calculi non eſt nimium prona: ita cui ſumma eſt renum, ut loquitur Aretæus, fœcunditas, vix vel diffi-

difficulter calculorum procreationem evitare poteſt.

Etiam cum caviſſe ratus, ſæpe is cautor captus eſt.

Vnicum igitur reſtat, ut jam genitus rite expellatur. Quod ut tuto & minori cum dolore fiat, prius viæ, quas calculo tranſeundum eſt, emolliendæ & laxandæ: interimque dolor, qui comitari ſolet vehemens, mitigandus. Rem totam accurate propoſuit Hippocr. VI. Epid. I. VI. Ἐλινύειν οὐ ξυμφέρει, ἀλλὰ γυμνάσια. μὴ ἐμπίπλασθαι. τοὺς νέους, ἐλλεβορίζειν. ἰγνύην τάμνειν. οὐρητικοῖσι καθαίρειν. *Quieſcere non conducit, ſed exerceri. Non repleri. Iuvenibus veratrum exhibere oportet, poplitem cædere, urinam cientibus vacuare, attenuare ac emollire.* Quibus verbis vir magnus univerſam Calculi renum curationem breviter abſolvit. Cum enim res ſit toto genere præter naturam, ſui amotionem indicat. Et quia in renibus hæret, non poteſt expelli, niſi iis remediis, quæ renes expurgant, quod ille dicit, *urinam cientibus vacuare.* Quia autem in corpore ægro plerunque inveniuntur, quæ huic evacuationi remoram injiciunt, ea prius removenda. Impedimenta

hæc

hæc vel pendent à toto corpore, vel à parte affecta. Hippocrates utrumque respexit. Quod totum corpus impedimentum affert, est repletio: quæ duplex est. nam vel sincero sanguine maxime abundat, vel alio quovis humore. Quoad sanguinem, qui renum inflammationem, aut febrem adducere posset, Hippocrates ejus copiam *incisa poplitis vena* minuendam esse præcipit. Quoad humores alios, *juvenibus veratrum exhibere* jubet, & crassiores *attenuare*. Addit porro, *Non oportet repleri*. Nam à repletione distenduntur intestina, quæ renes & ureteres premunt atque coarctant: nec non cruditates & copiosi flatus inde generantur. Idem facit quies. Quare recte inquit, *Quiescere non oportet, sed exerceri*. Exercitationes enim, ut scribit Galen. in Comment. conducere arbitratur, tanquam multitudinem evacuantes, & pituitosum, crassum, crudumque omne ad maturitatem ducentes & attenuantes, corporisque omnes particulas roborantes. Addo, motu corporis calculum quoque moveri, & magis descendere. Impedimentum vero, quod calculo exitum molienti præbetur à parte affecta, est

anguſtia viarum, quas illi tranſeundum. eas ideo Hippocrates jubet *emollire*. Et quibuſdam ideo pueri putantur calculo renum minus labórare, quod corpus obtineant molle atque laxum.

Medicus itaque κατὰ τὸν Ἱπποκράτην, ut loquitur Galenus, *μηδὲν εἰκῆ ποιῶν, καὶ μηδὲν παρορῶν*, iſta in Calculi curatione accurate obſervare debet. Ante omnia vero, ne diureticorum uſu crudi humores ad renes propellantur, corpus ab impuris humoribus vindicandum. Medici fere lenientibus, qualia in præſervatione præſcripſimus, hic utendum eſſe monent, & omnino abſtinendum eſſe à validis purgantibus, ut quæ humores in toto corpore exagitare, & ad vias urinæ deducere poſſint: ſed ſequendus potius præceptor Hippocrates, qui veratrum exhibet; & ſæpe vidi, irritatam naturam à fortiori purgante, ipſum quoque calculum expuliſſe. Neq; nimium hic metuenda corporis agitatio, cum etiam ſine medicamento exiguus calculus univerſum corpus turbet, & ſine corporis perturbatione in veſicam deſcendere non poſſit. Verum cuivis ſine diſcrimine ea non exhibenda, non pueris, ſenibus, in-

firmis, ſed qui natura & ætate validi agitationem illam ſine majori incommodo ſuſtinere queant. Et hoc eſt, quod dixit Hippocr. *Iuvenibus veratrum exhibere oportet.* Et idem de internis affect. Scammoniæ ſucco, aut radice ipſa, totum corpus, adhibito tamen prius fomento, purgandum præcipit. Sed infirmis, aut quibus dolor eſt vehementior, talia non conveniunt. Et quandoquidem Clyſteres non modo inteſtina exonerant, ſed & vias urinarias laxent, dolores leniant, flatuſque, qui hic ſemper adeſſe ſolent, diſcutiant, merito ab illis auſpicandum. Primum igitur injiciatur Clyſter emolliens & laxans, ex rad. alth. lilior. alb. herbis emollientibus, ſeminibus carminativis, fol. ſenæ, flor. chamœmel. melilot. anethi, cum Sp. hieræ, bened. laxat. aut ſimilibus, addito ſale. Poſt enema, ad evacuanda ſuperiora exhibeatur pharmacum, boli potius, quam potionis forma, ne tam facile evomatur.

Interim ad relaxandas vias utiliter injiciuntur clyſteres ex ſolis oleis, ut ſunt Chamœmelinum, Liliorum, Rutaceum, Amygd. dulcium. Quæ & commode includuntur veſicæ ſuillæ, & calida exterius

rius loco dolenti admoventur. Quod etiam fit fotu cum ſpongiis è decocto herbarum, rad. & ſem. emollientium, adjectis urinam moventibus. Hippocr. de int. aff. cit. cum primum corpus juſſiſſet purgari, addit: *Poſt hæc potionibus, eduliis, & balneis curato iiſdem medicamentis, quæ in ſtranguria exhibentur. Cum dolor urget, multa calida lavato, & qua parte præcipue dolor eſt, tepefactoria admoveto.* A fotu dolens locus perungendus ex oleis præſcriptis, vel potius, quod Meſve merito probat, oleo ſcorpionum. Sed optime juvat, ſi Cerefolium minutim conciſum, in ſartagine cum oleo ſcorpionum frixum, parti laboranti imponatur.

Intus vias lubricas reddunt butyrum recens, juſculum pingue, oleum amygd. dulcium recenter expreſſum, cremor hordei, &, qui nunc maxime in uſu eſt, Syr. de althæa Fernelii.

Vtiliter in prandio, vel cœna ſumitur juſculum vervecinum cum malva, beta, & cerefolio.

Laxatis viis & mitigato aliquantum dolore, ad ea deveniendum, quæ calculi... educere valent. Equidem (incipien-

dum à lenioribus) primum exhibere ſodeo hauſtum ex ſucci limonum, Syr. de alth. Fernel. ana ℥ s. Nucis muſc. Sem. geniſt. an ℈ j. vini Rhen. ℥ j. Hic ratione Syrupi vias dilatat, ratione ſucci limonum attenuat & calculum frangit, ratione reliquorum expellit. Vbi mane hic hauſtus aſſumptus fuerit vacuo ſtomacho: mox, non omiſſis interim fotibus & linimentis, utatur ad libitum apozemate ex Rad. ononid. fœnic. petroſel. glycyrrhiz. an. ℥ s. ſem. iiij. frig. major. an. ʒ s. Cicer. rubr. ℥ j s. ſem. geniſt. lapp. major. an. ʒ j. decoctioni in aq. ad ℔ j s. add. Syr. de acetoſ. Citr. de alth. Fern. an. ℥ j. Crato commendat Conſil. CXXXVII. hunc hauſtum. ℞. Paſſular. magnar. Rad. alth. an. ℥ s. Fol. Veronic. P. j. Coq. in ſ. q. Aq. Colaturæ ℥ iiij. adde mellis puri, Butyri rec. an. ℥ s. Miſce. Alibi addit Hederæ terreſtris P. j.

Hæc ſi parum promoveant, nihil expertus ſum efficacius, quam nitri puri, ſeu ſalis prunellæ ʒ j. cum vino Rhenano calido exhibitam. Veterum, & recentiorum non pauci extollunt cucurbitulas ſecundum ureteris ductum admotas. Incipiunt à parte dolori proxima, deinde

easdem removent, identidemque deorsum gradatim toties reponunt, donec calculum in vesicam paullatim deducant. Eo pervenisse, cessatio doloris indicat. Nec ibi diutius hærere consultum est. Ego tum corpus ambulando, vel saltando moveri jubeo, exhibito prius vino Rhenano calido, majori quantitate, cum saccharo & nuce muscata: hoc etiam vires jam languidæ paullum refocillantur. Quod si stranguria, egressum molientis calculi signum, parum urgeat, do salem prunellæ cum eodem vino, &, quod in hoc casu efficacissimum est, pubi imponere jubeo cerefolium cum ol. scorpionum frixum. Quo solo remedio in pueris sæpe vesicæ calculum expuli. Oportet autem per intervalla, quæ ante posuimus remedia repetere, tam emollientia, quam diuretica, donec in vesicam descendat.

Quæcunque urinas strenue cient, eadem quoque renes & urinæ ductus abstergendo incidendoque expurgant, & arenulas pariter exturbant, calculosque ex arenularum adhæsu leviter concretos dissolvunt atque diripiunt. At solidiores verosque calculos, quæ proprie commi-

nuere traduntur, attenuant inciduntque. Quamvis vero nonnulli negent lapides renum & vesicæ ulla ratione frangi aut dissolvi posse, tamen his adversatur non modo antiquorum authoritas, sed & ipsa experientia. Verum quidem est, vesicæ calculos vix, aut maxima cum difficultate comminui: renales tamen, utpote molliores, & sæpe ex conjunctis tantum arenulis conglobati, præterea calidiori loco contenti, facilius medicamentorum ope dissolvuntur. Horum quædam id tota substantia seu proprietate efficiunt, quædam manifesta qualitate. Vtraque non semel, aut bis, sed sæpius assumenda, alias enim quod promittunt, præstare nequeunt.

Quæ manifesta qualitate seu partium tenuitate lapides atterunt, abraduntque impactos, sunt succus limonum, Radix oxalidis, asparagi, graminis, rusci, raphani, personatæ, ononidis, saxifragiæ, eryngii, lauri, fœniculi, smyrnii, calami odorati, cyperi, cymbalariæ: Folia pimpinellæ, betonicæ, adianthi, asplenii, veronicæ, hederæ terrestris, cerefolii, virgæ aureæ, sisymbrii aquatici, urticæ; extremitates polii montani. Semina genistæ,

ſtæ, lappæ majoris, tribuli, apii, ſeſelios, milii ſolis, althææ, petroſelini. Fructus paliuri, alkekengi, juniperi, fragorum. Tota vero ſubſtantia, ſeu occulta proprietate idem præſtant lapis Iudaicus, ſpongiæ, lyncis, nephriticus, Lignum nephriticum, oculi cancri, lapides in veſica apri, vel bovis, in veſica fellis tauri, vel capite limacum reperti, lapides percarum, mandibulæ lucii, Sanguis hirci, galli decrepiti, membrana ventriculi gallinacei, pellis leporis, vel ejuſdem renes cremati, ut & cineres totius leporis, ungulæ equi, plumarum palumborum, paſſerculi Troglodytis, quem motacillam, ſeu caudam tremulam vocant, aſellorum, ſcorpionum, ſcarabæorum, lumbricorum terreſtrium, cicadæ aridæ tritæ, dentes apri, ſtercus murium.

Præter hæc nonnulla calculoſis admodum utilia ad renum & veſicæ ſcabritiem leniendam, quæ ſimul & urinæ acrimoniam demulcent, eamq; effundunt, nec arenulas in calculum coagmentari ſinunt. Hoc genere ſunt amygdala, zyzypha, glycyrrhiza, gummi amygdalæ amaræ, pruni, ceraſi, piſtacia, ſtrobili, caricæ, radix althææ, quatuor ſemina

frigida majora & minora. Veteres etiam adſtringentia exhibuerunt, tum diureticis miſta, ut hæc in renibus eo diutius manerent, tum etiam ſola, ut renibus debilibus (quod confirmat noſtram de ſtupore ſententiam) robur adderetur. Hujus generis ſunt ſpongiolæ ſive pilulæ, quæ virgis roſæ caninæ annaſcuntur, glandes, lentiſcus, rubus &c. quæ lotio promovendo apta eſſe teſtatur Dioſcorides.

Myrtus ad ejiciendum calculum commendatur à Tralliano. Conſtat Galeno II. de Alim. fac. XVIII. facultatibus contrariis. nam non ſolum aſtringit, ſed etiam acrimoniam aliquam habet admixtam, propter quaſdam, ut ſcribit ad finem VII. Simpl. partes tenues & calidas. Et hinc Dioſcorides urinam ciere myrtum dixit: ut etiam Avicenn. & Aëtius. Sed juvat & pars aſtringens, dum vias urinæ excernendæ dicatas corroborat.

Lapis, quod è Iudæa afferatur, Iudaicus dictus, glandem fere refert, eſt candidus, & ſcita configuratione, lineis æqualiter inter ſe diſtantibus, quaſi induſtria detornatus, ut ſcribunt Dioſcor. lib. V. cap. XII. & Galenus IX. Simp. uterque è

calida

calida exhibet ad comminuendos veſicæ calculos. Aëtius II. Tetr. XXIX. ad renum calculum efficacem eſſe dicit, nec ſegniorem ad veſicæ calculum. Prius ſibi compertum eſſe ſcribit Matthiolus, poſterius negat. Cui adſtipulari nos jubet experientia. Quidam duplicem ſtatuunt, & majorem marem, minorem fœminam appellant; ſequuti in eo authorem libelli de Calculo Galeno adſcripti, cujus idcirco Galenum authorem negat Duretus in Holler. cap. XLVIII. quod is loco cit. unum modo agnoverit.

Lapides in ſpongiis reperiuntur candidi, & friabiles, qui in vino poti veſicæ calculos frangunt, ut teſtatur Dioſcorid. lib. cit. cap. CXX. Sed quod de Iudaico diximus, hic etiam locum habet. Quare melius Gal. cit. *Lapides qui reperiuntur in ſpongiis, frangendi vim obtinent, non tamen ita validam, ut lapidem in veſica comminuant, unde qui id ſcriptum reliquerunt, mentiti ſunt: verum qui in renibus conſiſtunt, rumpunt. Solvuntur autem in ſuccum colore lacteum: ex quo liquet, quod extenuandi vim obtinent, abſque inſigni caliditate.*

Lapide lyncis, ſive lyncurio (quamvis

id neget Plinius xxxvii. iii.) medici Saxones, & Hiſpani calculos non aliter, quam Iudaico frangunt. De eo vide Matthiol. comm. in ii. Dioſc. lxxiv.

Lapidi nephritico tantæ adſcribuntur vires, ut non modo aſſumptus, ſed & brachio alligatus nephriticos dolores compeſcat, arenulaſque & calculos expellat.

Lapilli in apri, vel bovis ventriculo menſe Martio inventi, ſi aſſumantur cum vino albo, calculum eos ſolvere experientia quorundam comprobatum.

Lapillus in veſica fellis tauri menſe Maio inventus, ſi vino imponatur, colorem id croceum, mutato paululum ſapore, contrahit: De hoc vino, quotidie recenti affuſo, ſingulis diebus ægri bibant, donec lapis vino impoſitus omnino conſumptus ſit: hac ratione calculum comminui, & tandem conſumi ſcribit Quercetanus de Spagir. med. præpar. cap. vi.

Lapillos è capite limacum, tritos & drachmæ pondere cum vino ſumptos, ſtatim excludere calculum teſtatur Savonarola Tract. vi. cap. xviii. Rubr. vi.

Inveniuntur &, inquit Plin. lib. xxxii.

cap.

cap. IX. *in banchi piſcis capite ceu lapilli. Hi poti ex aqua calculoſis præclare medentur.*

Nec hos modo, ſed & qui in aliorum piſcium capitibus naſcuntur, tritos & cum vino exhibitos, colicum dolorem compeſcere, & calculum, qui in renibus defixus jacet, atterere & comminuere notatum eſt à Galeno & Avicenna.

Lapillos qui in gallinaceorum veſica, aut in palumbium ventriculo inveniuntur, conteri & potioni inſpergi ad calculos pellendos ſcribit Plin. lib. xxx. cap. VIII. Idem XXII. II. teſtatur ſurculos curalii contra veſicæ & calculorum mala in pulverem igne redactos, potoſque cum aqua auxiliari.

Cancrorum oculi tenuium ſunt partium & diuretici, calculos rumpunt, ac per urinas expellunt in pulverem redacti, & cum vino diuretico propinati. A Chymicis in liquorem non uno modo ſolvuntur, ſed optimus hic eſt: In tenuiſſimum pulverem redactis, ac vitreo vaſi inditis, ſuprafunde acetum terebinthinæ, obtura os, ac per noctem ſupra calidos cineres digere. Sequenti die ſolutum effunde, aliudque affunde, idque

toties, donec solutos videas. Acetum collectum philtra, in balneo evapora, remanebit in fundo sal. Id contere, marmori insperge, ac in cellario relinque, donec in liquorem solvatur; cujus guttæ VIII. vel X. dari possunt cum aqua raphani: suntque multo efficaciores ipsa oculorum substantia.

Sanguine hircino ad frangendum calculum nihil apud veteres celebrius. Sumebant è jugulato hirco juvene, quando uvæ maturescunt, (quia sanguis tum calidior, ideoque magis penetrat) & relicto eo, qui primus & postremus fluit, medium (quia calidior, & à partibus cordi vicinis procedit) tantummodo fictili vase excipiebant. Hunc soli expositum, & exsiccatum servabant ad usum. Talis, teste Aëtio Tetr. III. Serm. III. cap. XII. *tum ad nephriticos, tum ad calculos præsens est remedium. nam & lapides jam antea natos solvit, & ita per lotium excerni facit, ut etiam alii deinde non gignantur: dolorem insuper sedat.* Idem confirmant Trallianus, Avicenna, Marcellus Empiricus, Albertus, Sylvius, & alii. *Hircinum sanguinem*, inquit magnus Scaliger exerc. CCCXXXIV. *in renibus*

bus & vesica lapidem frangere, tam verum est quam meridie lucere; quamplurimos enim ejus vi comminuimus: Imo Serapio hunc solo litu lapidem conterere asserit. Duretus, qui enarrat. in Holler. XXVII. Sanguinem hircinum solvere adamantem suo virore cum tenuitate scripserat, nihil vero ad calculum conferre: tamen ad cap. XLVIII. notat, sanguinem illum ad calculum efficaciorem futurum, si postremis diebus hircus diureticis altus fuerit. Verum & hoc negat Michaël Montanus scriptor Gallicus lib. II. *des Essais* cap. ult. quod in ipso hirco ita nutrito calculos aliquot invenerit. *Si dicas*, inquit, *sanguinem hujus contagii immunem, idcirco vires suas non amittere: magis credibile est, nihil in corpore aliquo generari, quam communicatione & conspiratione omnium partium: ut verisimile sit in hirci istius partibus omnibus fuisse qualitatem quandam calculosam.* Sed hoc argumentum refellitur à Gobeletio, Gallico itidem scriptore, in examine examinis ingeniorum ab Huarte Hispanica lingua editi; eo quod calculosis ipsis etiam exhibeamus calculos, ut jam vidimus. *Lepus*, inquit, *est animal san-*

guinem

guinem obtinens crassum & melancholicum, ac nihilominus cor ejus pulverisatum, & cum vino albo exhibitum efficax remedium est febris quartanæ. Citria, licet fructus sint, qui facile corrumpuntur, non minus idcirco valent contra humorum putredines. Equidem hoc testari possum, me cuidam è vesicæ calculo graviter laboranti decem diebus continuis ex vino albo exhibuisse sanguinis hircini drachmam; nec quicquam tamen sabulosi eo tempore in ejus urina deprehendisse. Quare id in aliis postea experiri nolui.

Leporini pellis cinerem calculos frangere testantur Aëtius, Martianus Afer, Marcellus, & alii. Leporis quoque renes inveteratos in vino potos pellere Calculos, à Plinio scriptum est lib. XXVIII. cap. XV. Idem cap. XIII. ejusdem libri in renum dolore, leporis renes crudos devorare jubet, aut saltem coctos, ita ne dente contingantur. De leporina carne testatur Hippocr. II. de Diæta, siccam esse, & alvum sistere, urinæ autem incitamentum quoddam facere. Hinc & in calculosis multi utuntur: Modum præparandi & exhibendi, descripsit Marcellus de medic.

medic. XXVI. Pellem leporis recentem in olla munda, vel tegula, ita cum lana ſua combures, ut in tenuiſſimum pulverem redigere poſſis, quem cribratum in vaſe nitido ſervabis, inde cum opus fuerit, tria cochlearia in potu dabis bibenda, quæ res ſive calculos, ſive veſicæ dolores continuo compeſcit. Sed multo potentius erit remedium: ſi leporem vivum in nova olla claudas, & gypſo omnia vaſis ſpiramenta obſtruas, & in furno uſque in tenuiſſimam favillam cremes, tritamque & cribratam recondas, atque inde certas menſuras in potione calculoſis offeras. Matthiol. comm. in II. Dioſc. XXI. exenteratum variis replet lithontribis, & in olla combuſtum in pulverem redigit. *Murino fimo* (Plinii verba ſunt ex lib. XXX. cap. VIII.) *contra calculos illinire ventrem prodeſt. Iubent & vermes terrenos bibi ex vino, aut paſſo ad comminuendos calculos.* Idem dicunt Dioſcor. & Avicenna. Atque urinas movere ſcriptum à Galeno VII. Simp.

Teſtarum cochlearum inanium cinerem ad calculos comminuendos præſcribit Plin. cit. Totas vero cum teſta tritas, & cum myrrha exigua quantitate potas,

coli-

colicos veſicæque dolores ſanare teſtatur Dioſc. II. XI.

Multis pro ſecreto eſt pulvis membranæ è ventriculo gallinæ. Cujus jam olim & Plin. meminit cit. ubi præcipit *membranam è ventriculo gallinacei aridam: vel ſi recens ſit, toſtam conteri, & potioni inſpergi.* Addit, *Fimum quoque palumbinum in faba ſumi contra calculos, & alias difficultates veſicæ. Similiter plumarum cinerem palumbium ferorum ex aceto mulſo. Et inteſtinorum ex his cinerem cochlearibus tribus è nido hirundinum. Turturis fimum in mulſo decoctum, vel ipſius diſcoctæ jus. Turdos quoque ediſſe cum baccis myrti prodeſt urinæ: cicadas toſtas in patellis: millepedam oniſcon bibiſſe; & in veſicæ doloribus decoctũ anguinorum pedum.* Idem lib. XXXII. cap. IX. *Scorpius marinus necatus in vino, veſicæ vitia & calculos ſanat. Lapis qui invenitur in ſcorpionis marini cauda, pondere oboli potus: enhydridis jecur: blenniorum cinis cum ruta. Ajunt & urticam marinam in vino potam prodeſſe: item pulmonem marinum decoctum in aqua.*

Aëtio & Paulo paſſerculus Troglodytes,

tes, qui omnium avicularum excepto regulo minimus eſt, & juxta ſepes ac muros victum quæritat, volatumque perbrevem facit, naturalem vim admiratione dignam habet: ſale enim conditus, & crudus in cibo acceptus, concretos calculos lotio expellit, & ne renaſcantur prohibet, ac morbum perfecte ſanat. Conditur optime pennis evulſis, atque inde largo ſale adobrutus, arefactus comeditur. Si plures adfuerint, coqui poſſunt more aliarum avicularum. Poſſunt etiam non deplumes uri in olla operta, & cinis unius uſti cum pauco pipere, & cinnamomo exhiberi. Sunt qui vivum, pennis prævulſis ſale condiant, quod melius eſt. Alii aſſatos edunt integros, ita ut nihil ex iis præter pennas abjiciant. Teſtatur & Valeſcus lib. v. cap. xviii. Cinerem caudæ tremulæ, & ipſam ſumptam, omnibus modis frangere lapidem, & urinam provocare. Meſpilorum ſemina pulveriſata lapillos vehementer ex renibus ejicere; urinam, & veſicæ lapidem minuere, expertum ſibi ſcribit Braſavol. in exam. Simpl.

In officinis proſtant compoſita ad calculum Spec. lithontribon, & el. Iuſtini.

Qui-

Quibuſdam valde commendatur emulſio ex Sem. violar. purpurear. ℥ s. cum aq. veronicæ: & hoc remedio quidam ultra mille & quingentos calculos excreviſſe dicitur. Vtilis & Aqua antinephririca Quercetani: ℞. Succi raphani, limonum ana ℔ j s. aquarum betonicæ, ſaxifragiæ, argentariæ, verbenæ an. ℔ j. hydromellitis malvatici ℔ ij. in his liquoribus ſimul mixtis macera per quatuor, aut quinque dies ad ignem lentum Bal. M. granor. juniperi maturor. & recentium contuſor. ℥ iij. Sem. milii ſolis, bardanæ, raphani majoris, ſaxifragiæ, urticæ, cœpæ, aniſi, fœnicul. an. ℥ j s. Sem. iiij. frig. major. mund. Sem. alth. an. ʒ vj. Spec. lithontrib. el. ducis & Iuſtin. an. ℥ s. calcis teſtarum ovor. cinnam. an. ʒ iij. camphor. ʒ ij. deinde fortiter exprimantur, & deſtillentur per cineres. Hæc aqua ad ℥ ij. exhibita mira præſtat in ſuppreſſione urinæ, contritione & expulſione calculi. Cui ſi ſal proprium ex arte paratum convenienti quantitate addas, longe præſtantius evadet remedium: vel ſi addideris ℈ j. extr. betonicæ. Idem Quercet. verum ſpecificum ad attritionem calculi ſtatuit eſſentiam ſeu liquorem cryſtalli:

&

& oleum camphoræ cum proprio menstruo paratum, & ad ℈ s exhibitum cum vino albo, aut aqua prædicta. Hollerius omnibus præfert quod sequitur.

℞. Succi Limon. ℔ ij.
Raphani ℔ iij.
Pimpinell. Parietar.
Betonic. Alkekengi
Saxifrag. Althææ, Cressionum
an. ℔ s.
Simul mixtis adde
Tribulor. Cortic. brugespinæ,
Rad. Fœnicul.
Petroselin.
Acori,
Enulæ,
Veronic.
Gentian.
Ireos Florent. an. ℥ ij.
Sem. Melon.
Ocymi,
Bardan.
Milii Solis,
Petroselin. Maced. an. ℥ j.
Cucum.
Portulac.
Citrull. an. ℥ s.

Fol.

Fol. & flor. Betonic.
Scolopendr.
Aſplenii,
Flor. Alth.
Bugloſſ.
Violar.
Tapſi barbat. an. M. s.

F. infuſio, deinde fortis expreſſio. In qua diſſolve

Mellis opt. deſpumati ℔ ij.
Terebinth. ℔ j.
Aceti albi quart. j.
Spec. elect. Duc.
aureæ Alexandr.
lithontrib. an. ℥ j.

F. diſtillatio in alembico ex arte.

℞. Supradictæ diſtillationis ℥ iij.
Sacchar. violac. ℥ j.
Cinnam. ʒ s.

Detur bis in die horis quatuor à cibo, neque comedat poſt horas quatuor.

Vidi calculoſum, qui fruſtula calculi excernere ſe diceret, his remediis:

℞. Oculor. Cancri,
Sanguinis hircin.
Sem. Petroſel. Maced.
Dauci,
Nuc. muſcat. an. ℥ s.

F. pul.

F. pul. & coq. in Vini Iuniper. ℥ vj. in balneo.

Bibebat bis die ℥ ij. cum ipsis fœcibus ad dies novem. Deinde decimo die, & 7. sequentibus sumebat sem. apii subtilissime pul. ʒ s. Sed hæc in aliis expertus, pro voto responderunt. Ipse tamen vir fide dignus, quæ mihi monstrabat fragmenta, maximum calculum constituere potuissent. Idem referebat frangendo calculo longe efficacius in se ipso deprehendisse cancros fluviatiles, qui in Mosa capiuntur, vivos & contusos cum vino albo. Sed cum vix vivi Neomago ad nos perferantur, nullum aliud ejus rei habeo experimentũ. Augen. IX. Epist. VIII. mirifice commendat vires millepedum, rumpendo vesicæ calculo: quod etiam comprobat, & in se ipso id expertum refert Laurembergius epist. peculiari.

Quod si nullis remediis, ut plerunque fieri solet, comminui aut solvi possit vesicæ calculus, & urinæ meatui dolore ac dysuria, vel etiam ischuria molestus sit, statim cathetere removendus, aut corpus levatis femoribus concutiendum. Hippocr. in Coac. *Calculosi*, inquit, *ea figura siti, ut ne calculus procidat in urinæ ductum;*

ductum; facilius illi mejunt. Et Gal. VI. loc. aff. IV. *In pueris, quos lapis in vesica cruciabat, videmus sæpenumero urinam retineri. Eos itaque resupino figurato corpore concussimus, ut ita à meatu lapis dimoveretur.* Memorabile est, quod scribit Pigræus VII. Chirurg. IV. se novisse nobilem quendam, qui XXV. annos calculo, citra insignem tamen molestiam, affectus fuerit: quando enim urinam excreturus erat, tum illum instrumento sibi ipsi applicato, urinam absque dolore emisisse. Vnde patet gravis quorundam error, qui in omnibus calculosis promiscue diuretica exhibent, cum hoc modo calculum, qui non raro sine dolore in vesica hæret, ad ejus collum propellatur, unde vehemens cruciatus, aliaque symptomata oboriuntur. Notatu digna Hippocratis historia, quam refert V. Epidem. *Larissæ Theophorbi puer, calculosam habebat vesicam; glutinosum quidpiam permejebat, idque difficulter cum sævo dolore, tum initio, tum faciens finem mejendi. Præputium manibus confricabat. Hic cum bibisset acerrimum diureticum, nihil in vesicam secessit, nihil è vesica excessit: vomuit autem multum puriforme*

&

& bilem. Ac tum hujusmodi altera transmittebat infra per alvum. Venter dolebat admodum, & intus incendio conflagrabat; reliquum vero corpus frigidius erat glacie. Omnibus membris captus est, nec voluit quicquam assumere. Huic magna erat ipsius alvi exulceratio, à forti nimium medicamento. Periit, à potione tertium agens diem.

Quandoquidem vero Calculi in vesica medicamentis vix, aut admodum difficulter frangi possint, ad Chirurgiam, veluti sacram anchoram, confugiendum. Minores quandoque in virga hærent, qui idoneo instrumento extrahi, aut incisa carne eximi possunt. Monet hoc eleganter Celsus lib. VII. cap. XXVI. *Nonnunquam prolapsus in ipsam fistulam calculus, qui subinde ea extenuatur*, (lego, *quæ subinde ab eo extenuatur*, dum scilicet paullatim propellitur, fistulam distendens) *non longe ab exitu inhærescit. Eum, si fieri potest, oportet evellere, vel oriculario specillo, vel eo ferramento, quo in sectione calculus protrahitur. Si id fieri non potuit, cutis extrema quamplurimum attrahenda, & condita glande, lino vincienda est*, (ut calculus consistat, neque

retro

retro remeare poſſit) *deinde à latere* (qua maxime parte renititur, tumetque calculus, à latere autem coles carnoſior. at in ſuperna parte, quod ibi vena & arteria ſubſit, inciſio hæmorrhagiam efficeret; inferna, quia exanguis eſt, & aſſiduo urinæ fluxum excipit, non coaleſceret) *recta plaga coles incidendus, & calculus eximendus eſt, tum cutis* (quæ violentius ad tegendam glandem attracta fuerat) *remittenda. Sic enim fit, ut inciſum colem integra pars cutis contegat, & urina naturaliter profluat.* At multo facilius, abſque ulla læſione eximuntur mulieribus, quam viris, idque ob amplum & breve veſicæ collum. Scribit rega III. de arte medendi VI. ſe lapidem magnitudine nucis regalis, quem in collo veſicæ continebat religioſa quædam, qui etiam urinam omnino cohibebat, cum vehementi dolore, admoto ſpeculo matricis patefeciſſe, & vulſella eduxiſſe. Refert & ibidem, ſe vidiſſe lapidem, quem obſtetrix à collo veſicæ fœminæ cujuſdam utero gerentis, jam prope partum, manibus extraxerit, magnitudinis parvi ovi gallinæ. Memini ante novennium puellæ ſex annorũ, cui urina plane ſuppreſſa

nullis

nullis remediis promoveri poterat, calculum amygdali pene magnitudine ductum obstruentem, me præsente à chirurgo absque ullo dolore exemtum. Hinc recte Cellus cit. *In fœminis, ubi parvus calculus est, scalpellus supervacuus est, quia eum urina in cervicem compellit, quæ & brevior, quam in maribus, & laxior est. Ergo & per se sæpe excidit, & si in primo, quod est angustius, inhæret, eodem tamen unco, sine noxa educitur.* Totum hoc negotium fuse prosequitur Aëtius, cujus verba è tetr. III. serm. III. cap. V. huc afferre operæ pretium est: *Sæpe delati ex renibus in vesicam lapides, & præ magnitudine circa collum vesicæ detenti, in extremum periculum ægrum deducunt, tum propter dolorum acumen, tum quod urinam excernere non permittunt. Decubitus igitur formam in talibus moliri oportet, ita ut supini situentur, & longe altiores coxarum vertebras habeant: deinde multiformiter eos commovere, quo omnibus machinamentis adhibitis, lapidem ex ipso vesicæ meatu excidere faciamus: post vero ægros jubere, ut alacriter urinam ejiciant, & ejecto lotio sinere. at vero ubi lapis non fuerit evacuatus,*

cuatus, rursus movere, atque hoc ipsum sæpe repetere. Quod si non evacuetur, catheter instrumentum prolectandæ urinæ aptum, quod pro ægri ætate congruenter sit moderatum: eoque humor educatur. post vero per potiones lapidem in amplitudine vesicæ existentem confringere valentes, lapis ipse atteratur. Si vero ex vesica quidem excidat calculus, juxta medium autem meatuum ipsius pudendi obfirmetur, & vulnerando exulcerationis periculum inducat, decoctum quoddam ex urinam ducentibus plurimum exhibendum est, jubendusque æger ut multam urinam congreget, eamque postea emingat, ac diligentius expellat. ita enim detractus lapis celeriter excidere consuevit. Novi autem, inquit Philagrius, quendam, in quo quidem alias lapis fuit progressus, non penitius autem quam in summo pudendo fortiter obturatus, & parum abfuit, quin homo periret, propter urinæ suppressionem & maximum dolorem. Angusta igitur volsella ipsum lapidem extrahere non potuimus: quare sensim & quiete agitavimus perquam tenui auriculario specillo. quum vero neque hoc modo eum extrahere possemus, secare statuimus, vulnusculo super-

ſuperne juxta glandis magnitudinem incuſſo. inferne enim ſecare non expedit: quandoquidem fere ſemper in fiſtulam proficit, ac poſtea per ipſam fiſſuram urina excernitur. Porro ubi per urinam prodierit lapis, lac aſininum melle modico mixtum præbeatur, & reliqua etiam diæta commodior, veluti ad ulcera fieri conſuevit, conſtituatur, ob vexationem ſcilicet in locis ex lapide factam. Inde vero præſervare hominem oportet, ne rurſus renes lapide infeſtentur.

Excellentiſſimus Proſper Alpinus, quem Patavii extremo ætatis anno in horto publico docentem audivi, alium modum eximendi calculos ſine inciſione, quo Ægyptii hodie utuntur, deſcribit III. de medicina Ægyptiorum XIV. Ligneam cannulam accipiunt, longitudine octo digitorum & craſſitie pollicis, quam colis ſive penis canali admovent, fortiter inflant, ac ne flatus ad interiora perveniat, altera manu extremum pudendi comprimunt, & conſtringunt. Foramen deinde cannulæ claudunt, ut virgæ canalis intumeſcat, & amplior fiat. Quo facto miniſter digito in anum poſito lapidem paullatim ad canalẽ virgæ,

atque in ejus extremum deducit. Vbi præputio lapidem appropinquare sentiunt, cannulam à virgæ canali subito amovent: atque hoc modo calculum ad olivæ nuclei magnitudinem ab Arabe quoque extractum fuisse, à se visum narrat Alpinus cit. Qui & alium modum ab Arabe quodam usurpatum ibidem recenset: Habuit quasdam cannulas magnitudine inæquales, in modum Musici instrumenti Syringæ appellati, è substantia cartilaginea, quæ facile dilatatur: harumque graciliorem primo in virgæ canalem immisit, quousque ad vesicam pervenit; ac mox ore illam inflavit, quantum potuit; post hanc majorem & crassiorem immisit, eodemque modo inflavit; postea tertiam, & tandem quartam omnium maximam. Hoc modo dilatata virga, cum putaret viam calculo satis patulam, ægroto recte collocato, digitoque in anum immisso, calculum ad collum vesicæ, quo majoris cannulæ extremitas pervenit, deduxit, & eum in canalem detrudere conatus est. Quo facto altero cannulæ meatu ore excepto conatus est spiritum ad se trahendo lapidem simul extrahere. Mirum vero neminem

nem apud nos idem experiri. Neque enim adeo difficulter os & canalis veſicæ dilatari poſſunt, ut prima facie inexpertis apparet; cum multo latius in gravidis uteri corpus, & in partu os ejus extendantur. Et multo expeditius hoc modo eximeretur Calculus, quam urethræ inciſione, quæ callum relinquit, ac proinde meatum urinarium duriorem & anguſtiorem efficit.

Dixi hactenus, quibus modis calculos è renibus, ureteribus, veſica, urethra minores elicere oporteat:

Nunc illud eſt, quod ſi omnes omnia ſua conſilia conferant,
Atque huic malo ſalutem quærant, conſilii nihil afferant,

quin, ſi grandior lapis in veſica hæreat, in maximum periculum, & extremum pene diſcrimen æger adducendus ſit. Omnis enim in ſectione ſpes, quæ dubia. Non raro ſiquidem cum Calculo vitam ipſam aufert. *Igitur ubi ultima experiri ſtatutum eſt* (ait Celſus lib. VII. cap. XXVI.) *ante aliquot diebus corpus præparandum eſt, ut modicos, ut ſalubres cibos, ut minime glutinoſos aſſumat, ut aquam bibat. Ambulandi vero inter hæc exer-*

 citatio-

citatione utatur, quo magis calculus ad vesicæ cervicem descendat. Quod an inciderit, digitis quoque demissis cognoscitur. Vbi ejus rei fides est, pridie is puer in jejunio continendus est, & tum loco calido curatio adhibenda, quæ hoc modo ordinatur: Homo prævalens, & peritus in sedili alto considit, supinumque eum & adversum super genua coxis ejus collocatis comprehendit, reductisque ejus cruribus, ipsum quoque jubet manibus ad suos poplites datis eos quam maxime possit attrahere; simulque ipse sic eos continet. Quod si robustius &c. Sive autem unus, sive duo continent, super humeros ejus suis pectoribus incumbunt. Ex quibus evenit, ut inter ilia sinus super pubem sine ullis rugis sit extentus, & in angustum compulsa vesica, facilius calculus capi possit. Medicus deinde diligenter, unguibus circumcisis, atque sinistra manu duos ejus digitos, indicem & medium, leniter prius unum, deinde alterum in anum ejus demittit, dextræque digitos super imum abdomen leniter imponit, ne si utrimque digiti circa calculum vehementer concurrerint, vesicam lædant. &c. Ergo ultra calculum dextra semper manus ejus

oppo-

opponitur, ſiniſtræ digiti deorſum eum compellunt, donec ad cervicem pervenitur. &c. Cum jam eo venit, incidi ſuper veſicæ cervicem juxta anum cutis plaga lunata uſque ad cervicem veſicæ debet, cornibus ad coxas ſpectantibus paullum: deinde ea parte, qua ſtrictior ima plaga eſt, etiamnum ſub cute altera tranſverſa plaga facienda eſt, qua cervix aperiatur, donec urinæ iter pateat, ſic ut plaga paullo major, quam calculus ſit. Nam qui metu fiſtulæ, quam illo loco ῥνῆτραν *Græci vocant, parum patefaciunt, cum majore eodem periculo revolvuntur, quia calculus iter, cum vi premitur, facit, niſi accipit. &c. Vbi ſatis teneri calculum patet, eodem pene momento triplex motus adhibendus eſt, in utrumque latus, deinde extra; ſic tamen, ut leniter id fiat, paulumque primum calculus attrahatur: quo facto, attollendus uncus extremus eſt, uti intus magis maneat, faciliuſque illum producat. Quod ſi aliquando à ſuperiore parte calculus parum commode comprehendatur, à latere erit apprebendendus. Hæc eſt ſimpliciſſima curatio,* veteribus uſitata, quam vulgo minorem apparatum vocare ſolent, quod paucio-

ribus inſtrumentis peragatur. Sed in ea clariſſ. Aquapendens merito reprehendit lunatam ſectionem; quia ea tranſverſi muſculi penis amputentur, & plus intus, ac in profundo, quam par ſit, incidi, ac meatus urinarius præteriri poſſit. Ipſe vero, ut hodie etiam obſervatur, ſecundum ductum muſculorum, & in medio eorum ſectionem cenſet peragendam. Deinde & hoc recte monet, male forcipes ab antiquis neglectas, & extractionem vel digitis, vel unco ſolum tentatam fuiſſe; quorum utrumque parum tutum. Nam digiti non ſufficiunt: per uncum vero extractio periculo non vacat; cum lapis facile ſub unco effugere, & ab unco vicinæ partes lædi poſſint.

Hinc alius adhuc eſt ſecandi modus, qui, quod majori inſtrumentorum apparatu fiat, apparatus magnus dictus. Hunc Iohannes de Romanis, Cremonenſis Medicus, qui circa annum Domini CIↃ IↃ XX. Romæ floruit, invenit, & uſurpavit, eumque poſtea ejus diſcipulus Marianus Sanctus, cum inſtrumentis neceſſariis peculiari libello deſcripſit, atque ex eo in Chirurgias ſuas tranſtulere Pareus & Gourmelinus, & in doctiſſimas

Inſti-

Inſtitutiones Clariſſ. Sennertus. Hujus ratio ejuſmodi eſt: Corpore ægri, ut in priore modo dictum, præparato, ipſe ſuper menſam ſtabilem diductis & complicatis genibus fere ſupinus ita collocabitur, ut ejus calcanea fere nates contingant, manuſque poplitibus extrinſecus ſubjiciantur: tum vero habena duplici à cervice dependente crura tibiæ & pedes firmiter vinciantur, & laqueo ſic conſtrictus æger à valentibus miniſtris utrinque comprehendatur, & immobilis teneatur. Figura ægri ad ſectionem hoc modo ſiti extat apud Pareum lib. XVI. cap. XLII. Tum catheter gibba curvaturæ parte in longum paulo latiore rima fiſſus (cujus figuram loco allegato videre eſt) oleo inunctus in veſicam immittatur. Miniſter vero alter, qui ægri dextrum genu tenet, dextra manu ſcrotum paululum in dextram partem ita attollat, ut Chirurgus ſine impedimento ſectionem inſtituere poſſit. Tum Chirurgus inter anum & ſcrotum, non quidem per medium perinæum, ſed ſiniſtrorſum, qua parte catheteris fiſſura convertetur, duorum ab ano digitorum ſpatio, ſecundum fibrarum rectitudinem ſcalpel-

lum adiget, ejuſque aciem in catheteris, qui in collo veſicæ eſt, rimam demittet, atque ita ſectionem inſtituet, ut vulneris ïnterna longitudo pollicis tranſverſi latitudinem non multum excedat. Mox per vulnus virgulæ argenteæ ſeu ferramenta duo exigua, longa, teretia, in extremo leviter incurva, quorum alterum in extremitate obtuſum & læve eſt, alterum læviter cavatum & bifurcatum (quæ ductores nominantur, quod reliquis inſtrumentis in veſicam immittendis ductorum loco ſint, & loco alleg. apud Pareum depinguntur) in catheteris rimam primo immittantur, deinde retracto cathetere in ipſam veſicam demittuntur. Tum inter hæc duo inſtrumenta, quæ ſiniſtra manu firmiter teneat, Chirurgus forcipem, quæ roſtrum anatinum appellatur, dextra manu in veſicam immittat, qua calculum, ſi parvus ſit, nullo negotio facile extrahet. Si vero major, quam ut per vulnus extrahi poſſit, vulnus ampliandum, vel diducto illo roſtro anatino, vel dilatatorio inſtrumento, ibidem depicto: poſt ea rurſus forceps aliqua vel recta vel incurva in veſicam demittatur, eaque calculus

com-

comprehendatur, ubi comprehensus calculus fuerit, sensim, in utrumque simul latus movendo, extrahatur. Si plagá dilatata difficulter adhuc extrahatur calculus, Chirurgus sinistræ manus inunctos digitos indicem & medium in anum immittat, & calculum ad cervicem vesicæ simul compellat. Cavendum autem, ne sub forcipe confringatur Calculus, ideoque extractus diligenter contemplandus, & si vel alius Calculus adhuc restet, is simili modo extrahendus, vel si quid detritum, instrumento instar cochlearis eximendum. Si tamen calculus major est, quam ut per vulnus etiam quantum potest dilatatum, extrahi possit, forcipe per medium dentata Parei, vel alia potius Petri Franconis, confringendus, & particulatim extrahendus. Videndum tamen ne aliqua particula fracti calculi intus remaneat, sed omnes diligenter eximendæ sunt. In fœminis quoque ratio extrahendi Calculi, similis pœne est. In hoc tamen differt, quod fissus catheter, qui in vesicam per meatum urinæ demittitur, & super quem vesicæ cervix secatur, in fœminis non incurvus, ut in viris, sed potius rectus est. Ad hæc, si quan-

quando propter extractionis difficultatem, digiti ſubjiciendi ſunt, quibus calculus ad veſicæ cervicem compellatur, mulieri per naturalia ſubjici debent; virgini tamen nunquam per naturalia, ſed per anum, ut mari.

Tertius Lithotomiæ modus, quo contra veterum ſententiam, non per perinæum, ſed per hypogaſtrium, & membranoſam veſicæ partem ſectio inſtituitur, ab inventore Franconiana quibuſdam dicta eſt, uti prima à deſcriptore Celſiana, & ab eo, qui inſtrumentis eam illuſtravit, Guidoniana, proxima, ab illo, qui etiamnum vivo inventore fuſe eam deſcripſit, Mariana. Modus hic extrahendi calculum per membranoſum veſicæ corpus, primum uſurpatus fuit, ſalute jam ægri deſperata, partim temeritate quadam, partim artificio Chirurgi præſtantiſſimi Petri Franconis, qui tamen, licet ipſi fœliciter ſucceſſerit, poſthac uti illa ſectione prohibet. Quod miratur Rouſſetus, & variis exemplis probat vulneratam quoque veſicam ſanari poſſe, III. de partu Cæſareo VI. VII. VIII. & IX. Idem perſequitur aliquot obſervationibus in Append. celeberrimus

Bau-

Bauhinus. Sed audiamus primum ipſam hiſtoriam. Scribit Francus cap. XXXIII. ſibi aliquando infantem bimulum, Calculo veſicæ, magnitudinis circiter ovi gallinæ laborantem, oblatum fuiſſe. Cum autem omnem, quam potuit diligentiam, ad Calculum deorſum in collum veſicæ detrudendum, adhibuiſſet, nihilque efficere potuiſſet, infans itidem à dicto Calculo ita torqueretur ac vexaretur, ut parentes illum libentius mortuum, quam diutius in tanta miſeria ſpiritum ducere cuperent; ipſe vero interea exprobrationem ſibi factam, quod Calculum educere non potuerit, in malam partem interpretatus eſſet, tandem ſe Calculum in inguine, & ſuperiore oſſis pubis parte, paullo è regione execturum apud ſe conſtituiſſe; quandoquidem Calculus deorſum deduci non potuerit, ſe propterea eum, digitis in anum immiſſis, adeo in altum elevaſſe (dum miniſtrorum alter è latere oppoſito ventrem comprimeret, Calculumque ad locum incidendum protruderet) ut eum ibidem execuerit, infantemque, tametſi ſummopere debilitatum, nihilominus tamen reſtitutum vulnuſque ſanatum fuiſſe. Hoc, vel contra men-

tem

tem authoris, qui ſtolide ſe egiſſe fatetur, imitandum eſſe cenſet Rouſſetus; peſſimo conſilio. Nam pro uno forte ſervato, non ſunt innumeri occidendi. Aphoriſmos Hippocratis cum cito,

Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.

Is VI. Aph. XVIII. Κύστιν διακοπέντι, ἢ ἐγκέφαλον &c. θανατῶδες. *Cui perſecta fuerit veſica, aut cerebrum, lethale eſt.* Quod raro fallit.

Quare quartus Calculum ſecandi modus ab eodem Francone inventus & probatus, authoris nomen potius præferre meretur, & Franconianus appellari: quem ipſe deſcripſit loco citato. Corpore ægri, ut dictum, ad lithotomiam parato, factaque ſupra itinerarium, ut vocat, ſive ductorem inciſione, turundam vulneri accommodatam imponit, nihilque præterea ea vice molitur, niſi forte per ſe in vulnere compareat, tunc eum vel tenaculis inſtituto ſuo appropriatis, vel hamulis, (qui hac in parte, ubi Calculus æqualis ac lævis fuerit, maxime idonei & commodiſſimi ſunt) extrahit; quod ſi vero Calculus non ad vulnus prociderit, aut grandior fuerit, tum vulnus more ſolito obligat, ægrumque reponit: diebus ali-

quot poſt, ubi res ægri melius habent, vulnuſque ſuppuratur, nec febris adeſt, Calculus itidem in vulnere comparet, ut plerunque contingit, tum eum, ut dictum, extrahit. Calculo vero ad vulnus non prorumpente, digitis in anum immiſſis, atque compreſſis abdominis muſculis deorſum ad vulnus protrudit: quod eo tempore abſque ullo periculo fieri poſſe dicit; quandoquidem intumefactiones, inquit, remiſerunt, & urina ſemper libere effluxit; præterquam, quod etiam æger eo uſque exquiſitam victus rationem obſervavit, nullaque inflammatio amplius in vulnere verenda eſt. Reliqua apud authorē ipſum legere eſt.

Poſteriores duas Lithotomiæ ſpecies in uſu alicubi eſſe equidem ignoro. At multiplici experientia edoctus primam ſecunda ut faciliorem, ita &, quamvis ſecus nonnullis videatur, tutiorem eſſe judico.

Calculo evulſo (Celſi verba ſunt) *ſi valens corpus eſt, neq; magnopere vexatum, ſinere oportet ſanguinem fluere, quo minor inflammatio oriatur. Quod ſi per ſe non deſtitit, rurſus ne vis omnis intereat, ſupprimi debet. Idque protinus in imbecillioribus*

ribus ab ipſa curatione faciendum eſt. Relinquendus interim in vulnere diem unum aut alterum tubulus, ſeu fiſtula argentea à Pareo lib. cit. cap. XLIII. depicta, per quam ſanguis concretus evacuetur. Hoc perneceſſarium eſſe, monet experientiſſimus Hildanus: & tamen à noſtris Lithotomis omitti video, eventu non improbante. Vulneri vero & vicinis partibus medicamentum ex maſtiche, bolo, ſanguine draconis, albumine ovi, & ſimilibus imponendum; vulnus convenienter obligandum, & ſymptomatibus, quæ ſupervenire poſſunt, diligenter occurrendum. Quæ cum fuſius proſequutus ſit Pareus in Chirurgia, atque inprimis in omnibus numeris abſoluto tractatu de Lithotomia veſicæ Chirurgorum Phœnix, quem dixi, Fabritius Hildanus, actum hic agere nolo. Et quis certe Iliada ſcribere audeat, poſt Homerum?

FINIS.

AP-

APPENDIX,

SIVE

OBSERVATIONES

DE CALCVLO.

Perillustri, & Excellentissimo viro

D. GABRIELI NAVDÆO,

Consiliario regis Christianissimi, & Legatorum ejus ad eruditum Principem VRBANVM VIII. medico celeberrimo,

IOH. BEVEROVICIVS S. D.

LAnguebam nuper ab insultu duplicis tertianæ ad omnia nauseabundus, cum commodū offeretur Syntagma tuum de studio liberali, quod protinus avide arripiens, & totum uno fere spiritu perlegens, statim ita sum levatus, ut mihi Naudæus ipse medicinam fecisse videretur. Equidem non ita Suffenus sum, ut mihi judicium de ejusmodi scriptis arrogem. Hoc tamen ingenue confiteri liceat, nihil me unquam legisse vel majori cum voluptate, vel admiratione. Quare non possum non gratulari illustrißimo Comiti Fabricio,

cio, cujus generosam indolem præceptis institutisque philosophiæ auges, & domesticis exemplis ad heroicas virtutes accendis. Hoc adjumento fretus, dignum se præstabit successorem eminentißimo patruo. Vtinam aliquando, ut spem facis, videre liceat Syntagma de studio militari. Ejus capitum lemmata misi incomparabili Salmasio, qui vestra lingua idem tractat argumentum. Ego, quem tanti facis, humi modo serpo, & saxum, quod diu renibus satis invitus, nuper etiam manu & calamo volvere volui. De Calculo, inquam, scripsi, sed pleraque præter aliorum mentem, utinam non tuam. Censuram & judicium Naudæi hic imploro, cui merito omnia tribuunt Licetus & Campanella, non solius Italiæ suæ lumina, aliique, qui tanto nomini monumenta ingenii sui consecrarunt, viri doctißimi. Quod si, qui Medicinam meam ex non Medicis concinnatam, non modo

exqui-

exquisitis literis nuper collaudares, sed & à simili opere jam affecto manum tolleres, hoc quoque non omnino improbabis; jam etiam authori minus displicebit. Mitto simul Epistolicas aliquot amicorum de Calculo Observationes, in quibus ut & illustre nomen tuum aliquando splendeat, optem. Vale, Medicorum decus, &, salve à nobilissimo Slingelantio,

—anima, qualem neque candidiorem
Terra tulit, neque cui me sit devinctior alter.

Dordrechti prid. Non. Novembr.
CIↃIↃC XXXVII.

Vesicæ

Vesicæ corpus in quibusdam Calculosis carnosum. Arenæ etiam in Renibus albæ. Sanctorii caussa renalis Calculi.

LVDOVICO NONNIO
Medico Antverpiano

IOH. BEVEROVICIVS S.D.

LVBENS nuper intellexi, Vir clarissime, te auctiorem meditari Diætetici tui editionem. Cum enim nullis scriptoribus magis delecter, quam Medicis literatis, barbaros abhorream: non possum non in deliciis habere eruditissimum istud opus, in quo reconditam de re cibaria doctrinam ex omni antiquitate erutam politioris elegantiæ flosculis ita ornasti, ut mellitis verborum globulis res ipsa condita, & omnia dicta quasi papavere & sesamo sparsa, non Medicos modo, sed quotquot Musas colunt, in admirationem trahant. Meministi multum nobis de Calculo Hagæ nuper sermonem fuisse, de quo quia rarum quid postea compererim, tecum communicandum esse duxi. Iuvenis XXVI. circiter anno-

annorum, ex continuis & acerbissimis, præcipue cum urinam redderet, doloribus vitam cum morte commutavit. In eo bis à diversis lithotomis sectio tentata, quorum alter negavit hærere in vesica calculum, alter è contrario tantum esse, ut præ magnitudine non sine dilaceratione vesicæ extrahi posset, asseveravit. Αὐτοψία tandem post obitum comprobavit esse calculum; quem vidimus præ pondere ossa pubis jam penetrasse, & meatum urinarium adeo obturasse, ut æger postremis XXIV horis ne guttam quidem urinæ emittere potuerit. Calculus hic colore candidus, magnitudine ovum gallinaceum æquabat, & adjunctum alterum habebat instar majoris pisi. Vesicæ corpus plane carnosum crassitudine pollicis, ita ut calculus id paullatim repleturus videretur. In dextro rene nihil inventum: in sinistro vero albæ (contra vulgarem Medicorum opinionem, qui albas in vesica, rubras in renibus generari statuunt) arenæ copia: uterque solito major, & admodum flaccidus. Simile eadem hebdomade vidi in puero trienni ab ineunte ætate δυσουρίᾳ laborante, cujus calculus inter extrahendum effra-

effractus maximam juglandem mole excedebat. Post triduum mortui vesica itidem carnosa apparuit, crassitudine minimi digiti, multis locis ab acuminato lapide pœne perfossa, cujus etiam duas lamellas instar putaminum forcipe inter extrahendum abruptas adhuc continebat. Ren uterque vacuus. Vasa emulgentia amplissima. Quæ mihi in memoriam revocarunt clarissimi Doctoris mei Sanctorii, quem Patavii olim ad ægros sectatus sum, opinionem de caussa Calculi. Hanc præcipue statuebat in latitudine venarum hepatis & emulgentium: quam postea vidi eum in Meth. vitandorum error. atque in Comm. in Avic. Fen. I. ex Galeno eruere. Ipsa illius verba afferam. Galenus, inquit, XIV. Meth. XVI. & VI. Epid. I. com. V. vult lapidem in renibus fieri propter latitudinem orificiorum venarum hepatis, per quæ crassi humores influunt in renum ventriculos; addit tamen Gal. III. de Humor. IV. quod præter latitudinem orificiorũ venarum hepatis, requiratur quoque angustia partis inferioris renum circa ureteres. habet enim hæc verba: *oportet calculos in renibus eorum gigni: quia transitus & viæ*

renum

renum (supple, versus ureteres) *sunt angusta*. Hæc Sanctorius. De cujus viri sententia, quid tu, Medicorum undique doctissime, judices, doceri velim. D. Iesus te diu arti nostræ, civibus tuis, & nobis incolumem, atque veneranda canitie florentem servet, ut aliquando pace Belgis restituta, defœcato animo alter in alterius amplexum ruere possimus. Audiat & exaudiat δωτὴρ ἐάων, cui te, uxorem, & liberos commendo. Dordrechti, ipsis Kal. Sept. CIↃ IↃC XXXIII.

Caro callosa in Vesica, calculum ementiens. Sanctorii opinio de calculi generatione in renibus examinata. Duplex in iis generandi locus. Difficile ejus generationem prohibere.

IOH. BEVEROVICIO,
Medico Dordrechtano,

LVDOVICVS NONNIVS S.P.D.

LVbens vidi, Vir clarissime, observationes tuas de Calculo, & non immerito miraris te invenisse *Vesicæ corpus carnosum*. raro hoc admodum accidisse legi, nunquam tamen vidi. nam ut in

pene calli ſive carunculæ naſcuntur, quæ urinam intercludunt, ita etiam in veſicæ corpore caro hæc naſci potuit. Affinis quidam meus ante annos aliquot in Hiſpania obiit, quem Medici calculo laboraſſe crediderant. ſecto cadavere inventa eſt in veſica moles carnea, quæ totam pœne occupaverat, adeo autē obcalluerat, ut novacula vix ſcindi potuerit. Bene dictum ab Averroë, fieri in Medicina monſtra, non ſecus ac in Natura. Quid de Sanctorii opinione judicem, qui Calculi præcipue cauſſam ſtatuebat in latitudine Venarum hepatis & emulgentium; Ego parum ad Praxin hujus rei cognitionem facere puto. vix enim Medicus in cognitionem hujus cauſæ devenire poteſt, mox ubi cognoverit, quomodo cauſam hanc tollet non video. Eſt enim hoc vitium in cōformatione, quam nemo emendabit. Accedit etiam, quod cauſa hæc tantum locum habet, quando Calculi in renum cavo, vel ejus finibus generantur, non quando in renum carne. Gal. in VI. Epid. com. I. text. VI. *Meatibus autem id in Renis ventriculum percolantibus latius patefactis, aliquid etiam ex craſſioribus ſuccis ſimul illabitur,*

tur, quando igitur illud calefactum in Renis cavo *ad tophi consistentiam redactum fuerit, si Renum vis expulsoria omne id una cum lotio extruserit, arenosæ in ipso subsidentiæ fiunt. quod si* Renis cavo tenacius *impactum inhærescat, aliquid aliud ejusdem materiæ* ex vena cava suscipiens, *sibique apponens, plus augetur.* Itaque causa hæc, verissima est in illis calculis, qui in Renum cavo generantur, qui forte non ita frequentes sunt, atque illi, qui in Renum carne generantur; non quidem propter crassitiem humorum, ex vena cava, aut ex venis emulgentibus, influentium; sed propter nimium fervorem, aut peculiarem intemperiem Renum, quæ crassiorem sanguinem, & alimentum omne, in Lapillos & Arenulas convertit, quam causam videtur Aretæus, autor sane gravissimus, indicare lib. II. de diuturnorum morborum curatione cap. III. *Calculorum procreationem è fœcunda sterilem reddere nemo potest. facilius enim est uterum à pariendo prohibere, quam calculosos Renes calculis vacuare.* Tales intemperies solet Galenus Hecticas vocare, quæ in causa sunt, quod multi morbi non curantur. Sed manum

de tabula, ne videar Noctuas Athenas mittere. Deum opt. max. rogo, ut te, Vir clarissime Reip. bono diu servet incolumem, & mihi amicum. Antverpiæ x. Sept. CIↃ IↃC XXXIII.

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

Renes calculosorum cur debito majores.
Color calculorum, & arenarum unde.
Vesica corpus callosum, totum à lapide occupatum.

IOH. BEVEROVICIO, Senatori, & Medico Dordrechtano,

IACOBVS BACKIVS, Medicus Roterodamus, S. D.

CLarissime & amicissime vir, Ad duo, quæ vidisti, quæque ab aliis Medicis non observata putas, scilicet in juvene à Lithiasi defuncto, Renes justo majores & flaccidos, & in alterius substantia arenas albas plurimas; deinde vesicam ad pollicis crassitiem carnosam, lapidem ovi magnitudine sibi adnatum continentem: sic respondeo. Multa quotidie in praxi occurrunt, quæ à veteribus tradita non

non ſunt, nihil tamen jam factum eſt, quod non factum ſit prius. Renes debito majores in tali caſu fiunt, impedita urinæ excretione. afficiuntur enim inde tanquam œdematoſo tumore, ſero ſeſe in ipſorum ſubſtantiæ poros inſinuante, unde ab extenſione moles, & à materiæ mollitie flacciditas. Quantum ad arenas albas: verum eſt, communem opinionem eſſe, rubras è renibus, albas è veſica excerni: itidem ego ſentio: ſed intelligendum eſt, ut plurimum id evenire: vidimus ſæpe Calculos ſtatim poſt nephriticos dolores, excerni albeſcentes, interdum albos; & contra è veſica exſecari non ſolum rubeſcentes, ſed nigricantes interdum. Calculis & arenis colorem, materia ad ipſorum generationem concurrens, potius indit, quam locus affectus. patebit hoc in renum conſideratione. laborant enim calculo vel ſecundum cavitates, vel ſecundum ſubſtantiam. In cavitate à membraneo renum corpore albeſcerent omnes, (æque ac ab ureteribus & veſica) unde tamen rubeſcentes proveniunt, ſanguine, quem ſero permiſtum, renes crebro excipiunt, calculoſæ materiæ permiſto: ſimilem

etiam colorem habent arenulæ, quæ ex ardore, hepatis & venarum ſanguinem urente, cum urina effunduntur, & matulæ adhærent lateribus. A renum ſubſtantia rubeſcerent omnes & arenæ & lapilli, docet tamen Domini experimentum contrarium; quid prohiberet in calculoſa renum diſpoſitione, ex albo pure, exulcerata ipſorum ſubſtantia fieri arenas, lapillos, vel etiam tophos albos? Dicet quis, quod alteratur, vertitur in naturam alterantis: in alteratione, ſive quæ fit per coctionem aſſimilatione, verum hoc quidem eſt, non in ſimplici induratione: calculorum materia ut induretur apta eſt, non vero ut aſſimiletur.

Quod ad veſicæ carnoſitatem attinet, quæ naturaliter conſtituta membranoſa eſt, ſatis frequens ea eſt in longis à lapide doloribus. dum enim contritu lapidis veſicam contingat ulcerari, eadem bonitate damnum hoc reſarcire natura non poteſt, præcipue manente conterente & exulcerante cauſſa. Procreat itaque (ut ſeſe quantum poſſit muniat) non aliter ac in fiſtulis carnem calloſam, cujus craſſities longa mora tantum ali-

quando

quando augetur, ut pollicem longe excedat. quod ante octo, vel circiter, annos vidi in viro quinquagenario à secunda, irrita tamẽ, sectione defuncto: aperto abdomine, & intestinis ablatis, apparebat vesica tota scirrhosa, & nihil nisi scirrhum habere, novacula tamen aperta ea, lapis totam ejus cavitatem implebat, forma & magnitudine non absimilis lapidi, quo mulieres ad polituram sive nitorem suis linteis inducendum utuntur; tam arcte à vesica complectebatur, ut cavitati à lapide forma videretur indita. si contingat lapidem spongiosum, vel inæqualem esse, caro hæc in ejus poros tam firmiter sese insinuat, ut ejus particula in exsectione cum lapide aliquando auferatur, quod nuperrime & vidi & meis manibus ab exsecto lapide separavi. Miserrimi sane sunt mortalium, quibus eo perventum est, neque iis expectanda sanitas est, vel à medicamine, vel ab expertissima etiam manu: præterquam enim, quod callosa hæc caro non consolidetur manente ulcere & duritie, symptomata lithiasios non minuente, & quamvis nullus ipsis sit residuus lapis, eadem tamen ac ante sectionem patiuntur

tur ſymptomata: his credo in fatis eſſe, ut miſerrime moriantur. Si horum ſtatum noviſſet Poëta, in eorum numerum ipſos inſcripſiſſet, de quibus canit:

Solvere nodoſam neſcit medicina podagram,
Nec formidatis auxiliatur aquis.

Hiſce finem faciam. opto aliquando tuas literas. dabunt forte occupationes hyberno hoc tempore majus otium. interea amiciſſime vale una cum tua conjuge & familia. Roterod. prid. calend. Novemb. CIƆ IƆC XXXIII.

Calculorum ingens multitudo. Veſicæ ſuperficies cruſta lapidea obducta. Calculus perforatus. Calculi admiranda magnitudo.

IOH. BEVEROVICIO,
Senatori, & Medico Dordrechtano,

TIMANNVS GESSELIVS,
Med. Vltrajectinus S. D.

VIr clariſſime, & amiciſſime, Legi, quem miſiſti, tuum de Calculo doctiſſimum, & accuratiſſimum libellum, cui, ut petis, addo rariora, quæ à me viſa

ſunt,

ſunt, Calculoſorum exempla. Inveni in cujuſdam quæſtoris veſica quinque magnos calculos, quorum tres æquabant pene magnitudine ova gallinacea, duo columbina, ſed non erant tam rotunda; &, quod mirum, medici & lithotomi eum calculo laboraſſe non viderant, niſi ſub finem. In alio decrepito ſene reperti ſunt Calculi trecenti & plures (quos ipſe numeravi) diverſi coloris & figuræ, flavi, albicantes, rubri, marmorei, ſubcærulei, læves, aſperi, rotundi, plani, quadrati, triangulares, concavi, rupti plurimi; triginta magnitudinis caſtaneæ parvæ aut mediocris, totidem aut plures nucis avellanæ. Interior veſicæ ſuperficies cruſta lapidea in quibuſdam partibus erat obducta, ut & alter ureterum, in quo etiam multi Calculi hærebant, & in altero renum albicantes, ita ut Fernelii opinio non ſit ſemper vera. In Chirurgo ſatis celebri, Iacobo Anglo, inventus eſt calculus magnus, cum amfractuoſo quaſi ſulco ſeu potius alveo, per quem urina effluere ſolebat, in eo alter ureterum tantopere erat diſtentus, ut amplitudinem inteſtini craſſioris ſuperaret. E quodam pictore Calculus ovo anſerino major

exemptus eſt, qui pendebat uncias novem cum dimidia. Vale, & me, ut ſoles, ama. Trajecti ad Rhenum VI. die Maii CIↃ IↃC XXXVII.

LUDOVICO NONNIO,

IOH. BEVEROVICIUS S. D.

CLariſſime vir, Cum Puteani noſtri filius ad te iret, in manus ſumpſi epiſtolam tuam, quam fere ante biennium ad me dediſti, & cui inopia argumenti hactenus nihil reſponderam. Omnia in illo erudita, & iſtud heu nimis verum, quod citas Aretæi, Calculorum procreationem è fœcunda neminem poſſe ſterilem reddere. Veriſſimum id eſſe malo meo expertus ſum. Nam cum jam novem annos immunis fuiſſem à nephriticis doloribus, & excretione calculorum, repente nuper in acerrimum incidi cruciatum, ſemper nauſeabundus & vomens, quatriduum plane ἄσιτος, decimo demum die geminos enixus calculos, alterum amygdalæ, alterum piſi magnitudine. Equidem ſubiraſcor nonnunquam arti noſtræ, quod alumnum ſuum

tam

tam diu misere torqueri passa sit; & infestissimum hostem nostrum, dolorem, inquam, quem ejus ope undique expellere conamur, de me ulto serio triumphare. Tu, qui multijugam eruditionem diuturna experientia subegisti, non potes non certius quid quoad causas & remedia invenisse, cujus si me participem facere non gravaberis, maximum in me conferes beneficium. Vir clarissime, & amicissime vale, & me porro, quod unice flagito, favore tuo complectere. Dordrechti XII. Iulii CIↃ IↃC XXXV.

Calculorum curatio. Diureticorum usus. Aquæ Spadanæ præstantia, & utendi modus. Chymicorum remediorum in calculosis inefficacia.

IOH. BEVEROVICIO,

LVDOVICVS NONNIVS S. D.

QVas ad me dedisti, XII. hujus, Clarissime vir, lubens vidi, quod memoriam apud te vigere adhuc mei intelligam; sed cum ex iis percepi, te Nephriticis doloribus gravissime excruciatum, duosque calculos excrevisse; summopere indo-

indolui hanc tibi calamitatem obtigiſſe. Scio enim, quam moleſtum hoc ſymptoma, præſertim cum calculus excernitur. faxit Deus, ne deinceps recurrat, atque Hygieia benignis oculis te reſpiciat, & moleſtiſſimum hoc malum abigat. Vtinam præſens eſſem, conarer tibi impendere omne officium, quod ab amico præſtari poſſet: ſed cum temporum iniquitas hoc non patiatur, fungetur epiſtola meo munere, non ut aliquid in medium producam, quod accuratiſſimam tuam doctrinam fugiat, ſed ut morem petenti geram. Longa me experientia docuit, à validioribus diureticis abſtinendum, niſi cum calculi excretio promoveri debet, alias crudos humores in Renes pellunt atque obſtructiones augent; temperatis tantum utendum, ut ſunt Malvarum & Violarum, Cerefolii cum Parietaria decocta, Syrupus de Althæa Fernelii. placet mihi ſummopere Petri Foreſtii decoctum, quod deſcribit lib. XXIV. Obſerv. XXIX. illud enim temperatum eſt, & humores ex parte ad alvum deducit, quod tutiſſimum in renum affectibus eſſe judico, ſiquidem contra Artis præcepta eſt, purgare corpus

pus

pus per partem affectam, qua de causa etiam abstineo à Rhabarbari & Cassiæ usu in his affectibus, quia movent per Renes, ut viri docti jam pridem observarunt. Lubens utor floribus Malvarum conditarum; mulcent enim fervorem Renum, & urinæ ardorem mitigant.

Sed nullum remedium Aqua Spadana præstantius, quam velim bibas ad xl. aut l. dies, & nisi belli tempestas universam Belgicam nunc occuparet, suaderem ipsos fontes adires; sed quia non expedit te periculo committere, domi bibas; ita tamen, ne ambulando multum te defatiges; nimius enim motus Renes calefacit. Soleo ægrorum plurimis illas in lecto exhibere magno emolumento; blando enim lecti calore facile penetrant. quod si non facile excernantur, levi motu illarum operatio promovenda. hoc tutissimum & longe efficacissimum huic malo remedium frequenter expertus sum.

Chymici magnifice extollunt sua remedia, & salutem spondent; ego speciosa dicta, rei inania esse comperi. sunt enim calidiora, &, nisi corpus nacta sint excrementorum expers, in majus discrimen ægrotos præcipitant. Sed manum de

de tabula, ne, quod ajunt, ὡς τὴν Ἀθήνᾶν. Interim si quid apud nos sit, quod tibi usui fore judicas, jure amicitiæ non solum monere, sed imperare potes; adeo enim me tibi devinctum habes humanissimis tuis officiis, ut nulla dies me illis exsolvet. Deus Opt. Max. te, Clarissime & Doctissime Domine, bono publico incolumem servet. Vale, Antverpiæ XXXI. Iulii M DC XXXV.

Locus Hippocratis enucleatus.

CLAVDIO SALMASIO,
Equiti, & in Sacro consistorio Regis Christianissimi Consiliario,

IOH. BEVEROVICIVS S. D.

ILlustrissime Domine, Literas, quas redux è Gallia ad me nuper mittere dignatus es, legi summa cum voluptate. nam à laudatissimo viro Ideam probari gaudebam, & me amari. Rogo, ut pro solita benevolentia loci Hippocratici versionem censeas ex lib. de Anatome: Νεφροὶ ὁμοιόρυσμοι, τὴν χροιὴν δὲ, ἐναλίγκιοι μήλοισιν. Vertit Cornarius, *Renes colore*

colore consimiles, malorum speciem præ se ferunt. Foësius, *Renes inter se colore similes, malorum,* &c. Ὁμοιορυσμὸς, & ὁμο-ρυσμὸς est similes, vel eosdem habens ῥυσμοὺς. Ῥυσμὸς autem exponitur Eustathio σχῆμα, τύπος. quare non incommode hic transferri posse videtur: *Renes inter se forma similes,* vel servando vocis proprietatem, *simile*, aut *idem attrahendi munus obtinent.* Hunc enim usum iis tribuit lib. de Glandulis. Hæc cum ita posuerim in tractatu meo de Calculo brevi edendo, nec judicio meo tantum fidam, visum implorare tuum; quod sequar, sive album, sive atrum calculum adjeceris. Deum veneror, Illustrissime Domine, te quam diutissime patriæ, literis, nobis servet incolumem. Dordrechti II. Non. Iul. CIƆ IƆC XXXVII.

Signi-

Significationes vocis ῥυθμοῦ. Suidæ hallucinatio. Hippocratis locus explanatus.

IOH. BEVEROVICIO,
Senatori, & Medico Dordrechtano,

CL. SALMASIVS S. D.

DE verbis Hippocratis tui, Amplissime Beverovici, quo sensu sint accipienda, mirum est te meam sententiam exquirere, cum si quid mihi in eo auctore, uti multa sunt, legenti vindice dignum occurreret, non ad alium esset, quam ad te recurrendum. Quis enim illius Semonis intima melius norit, cui ad scientiam ipsius artis perfectissimam notitia etiam linguæ Græcæ accessit excellentissima? Sed quoniam me in his plus sapere judicas, quam ipse mihi ausim tribuere, morem tibi geram, & haud gravabor, quid de eo loco sentiam, aperire. Ῥυσμὸς etsi ab origine quidem sua attractionem videatur significare, aliud tamen iis, qui eo usi sunt, notat. Nomen esse Abderitanum Suidas in Lexico suo dicit, quo plurimum usus sit Democritus, & addit plures alias voces ipsis in usu fuisse,

fuisse, quæ Græcæ non essent, ῥυσμὸν autem idem esse, quod σχῆμα. Sed ille viderit, an barbara illa vox sit, ac minime Græca. Certe multi Græci, etiam ex idoneis, & præcipue poëtæ eam frequentarunt. Callimachus: — οὐκ ἀπὸ ῥυσμοῦ εἰκάζω, Φωρὸς δ' ἴχνια φὼρ ἔμαθον. Toto Epigrammate dixit hospitem in convivio amorem non potuisse celare, ex suspiriis crebris, & aliis multis indiciis, quæ ibi narrantur, se tamen, quod amaret, non ex habitu ejus, vultu & figura, deprehendisse, sed quod fur soleret furis vestigia cognoscere, nimirum quod ipse quoque amasset olim. Dionysius Periergetes duobus locis ῥυσμὸν posuit ἀντὶ τοῦ σχήματος. Vt, Οὗτος μὲν Λιβύης ῥυσμὸς πέλει, id est, σχῆμα, figura, situs. Alio loco hæc synonyma facit ῥυσμὸν & σχῆμα. Σχῆμα δέ τοι Ἀσίης, ῥυσμὸς πέλει ἀμφοτεράων Ἠπείρων. Aut ab eadẽ origine est ῥυθμὸς, aut idem, quatenus θ & σ invicem ex dialecto permutantur. At ῥυθμὸς etiam idem quod κανὼν, μέτρον, τύπος, inde & ῥυθμίζειν, κανονίζειν, διατυποῦν. Ῥυθμὸν etiam σύγκρισιν Hesychius exponit, apud quem & ῥυθμοῦσθαι, συγκρίνεσθαι. Ὁμοιορύσμους igitur νεφροὺς apud Hippocratem dici opinor,

nor, non qui pari attrahendi virtute prædíti ſint, ſed qui figura invicem debeant reſpondere, ut par ſit amborum non ſolum magnitudo, ſed etiam figura, quæcunque illa in renibus naturalis ſit, ſive rotundior, ſive oblongior, in utroque ſit æqualis. Hoc enim ῥυσμός. Quemadmodum mulieres in lineis unionum, quas gerunt, ſtudent margaritas omnes ejuſdem eſſe magnitudinis & rotunditatis, figuræque, & plane filo pares, hoc eſt ὁμοιορύσμους. Hæc figura, qua ſimiles inter ſe debent eſſe renes, omnino diverſa eſt à colore, quem ille τοῖς μήλοις eſſe vult parem. Atque hæc hactenus. De me ſi quid agam quæris, ſcito me non pecuniam quidem meam in fœnore, non enim tantum abundo, ſed plane tempus meum collocare. Quid hoc eſt, inquies? De Vſuris ſcribo, immo ſcripſi. Nam jam tractatus in exodio. Occaſione data amici cujuſdam rogatu eam ſcriptionem nuper ſum ingreſſus, de qua jam olim commentatus fueram cum de re Nummaria opus colligerem, cui iſtud tum quaſi appendicem eſſe volueram. Collegi omnia, & digeſſi, brevique eam diatribam excuſurus eſt, qui tuam Ideam, in qua ut

medi-

medicum præſtitiſti eminentiſſimum, ita nolim ex meo de uſuris me fœneratorem aut tocullionem aliquem æſtimari. Defendi tamen hoc genus hominum, & neceſſarium reipub. oſtendi. Atque ut tu aliquando contra Montanum noſtrum inſurgere auſus es, & patrocinium medicinæ ſuſcipere, quam ille viliorem eſſe voluerat, ita ego in Ariſtotelem pugilaturus conſtiti, qui de fœneratione minus bene ſenſit, dum minime naturalem eſſe nobis perſuadere conatus eſt. Sed non ego credulus illi, neque alii multi, quos habeo ſocios conjunctiſſimos, & optime animatos protegendi fœnoris. Verum, ut in omnibus ſcientiis alii ſunt practici, alii theorici, theoriam in ea profeſſione & arte mihi reſervavi, praxin aliis reliqui. Vale Vir Excellentiſſime, & me tui obſervantiſſimum amare dignare. Leydæ Idib. Iul. CIↃIↃCXXXVII.

Ad-

Admirandum fœtus lapidei exemplum.

EX THVANI Hiſtor. lib. LXXVI.

ANno CIↃ IↃ LXXXII. res incidit quo magis mira, eo minus fidei apud poſteros habitura, niſi certiſſimis veritatis teſtimoniis niteretur: quam, quia pro comperto habemus, hoc loco, ne in dubium olim revocetur, amplius aſſeri officii noſtri & inſtituti eſſe duxi. Mulier quædam Agendici Senonum, cum ad annum XXXVIII. valetudine integra perveniſſet, neque adhuc uterum geſtaſſet, certiſſima habuit concepti fœtus indicia, menſtruis purgationibus non jam, ut antea ſtatis temporibus, erumpentibus, & frequenti uteri motu jam manifeſto, ac tumore lumborum & abdominis paullatim ſuccreſcente, mammiſque lacte turgentibus. tandem decurſo ſtatæ geſtationis curriculo graveis puerperii labores, & alvi tormina experiri cœpit, urina ad aliquot dies ſuppreſſa, quæ poſtea currente veluti alveo magna vi erupit, profuſo illo ichore non tam ex veſicæ meatu, ut medicis videbatur, quam ex muliebribus loculis ſcaturiente; &

tunica

tunica disrupta una cum serosis recrementis sanguinis coacti quasi rhombus emersit. ex eo mammæ concidere visæ, & motus infantis aut ignavus, aut nullus, ac labores mulieris tolerabiliores fuere, quæ à ludibrio illius fœturæ totum triennium in lecto decubuit, semper de valetudine adversa, de duritie, de tumore, de torminibus alvi, ac de inutili illo pondere, quod per se mobile pro vario gestantis motu modo in hanc, modo in illam partem procumbebat, quamdiu vixit, conquesta. cum videretur à vicinis, ut erat satis lepido ingenio, respondere solita erat, fore, ut fœtus, quem utero gestabat, cum parentis exitio aliquando prodiret. fato post XXVIII. gestationis illius annum functæ dissecto abdomine uterus rugosus apparuit, & versicolor, tactu durus & veluti testaceus, sectoque rursus eo, vix tandem renitente ad novaculæ aciem portentosa mole gypsea, eductus fœtus bene conformatis membris ac eodem prorsus, quo cæteri positu, de cætero pœne lapideus, ita tamen ut ossa capitis quasi cornea interlucerent. partes autem internæ, viscera, cor, cerebrum, naturalem habitum servabant, nisi quod

quod ultra modum induruerant, non tamen ut externæ. Hodie adhuc corpusculum illud Agendici à prætereuntibus miraculi instar visitur, expers putredinis & teredinis. De eo scripsere Io. Alibosius Augustodinensis, qui postea Henrici IV. Archiatros fuit, & Simo Provencherius Lingonensis, præstantes medici, causas concretionis, & post extinctum fœtum duritiei contractæ, cum potius putrefieri debuisset, ex arte rimati. quas rerum naturalium peritis amplius discutiendas relinquo. tantum addam huic gemellum fere naturæ miraculum proximis annis Lutetiæ in illustrissima fœmina visum; sed post quinquennium seu medicamentis seu ferramentis frustillatim eductus fœtus fuit, eundem proculdubio exitum, si diutius in utero hæsisset, habiturus, quippe qui jam lapidescere incipiebat.

ZACV-

ZACVTO LVSITANO,
Medico Amſtelodamenſi,
IOH. BEVEROVICIVS S. D.

PRævenisti me manu, Vir Clariſſime, non mente. Quis enim ita barbarus, cui non notum Zacuti nomen, cui non ſumma voti ſit, in amicitiam tanti viri admitti? Quam ultro ut offerres homini obſcuro, nunquam ſperare auſus fui. Cur ipſe ambire eam diſtulerim, niſi in maximas occupationes cauſſam conjecero, nullam equidem afferre queam. Nec hæ modo me excuſare poſſent à carmine, quod amice petis, ſed præcipue ingenium ad poëſin non natum. Et ſtultum certe videtur, conari aliquid repugnante genio & natura. Φύσιος γὰρ, ut vere lib. de Arte artis noſtræ princeps, ἀντιπρασσούσης, κενεὰ πάντα. Tanti tamen apud me valet authoritas tua, ut immemor præcepti Horatiani,

Tu nihil invita tentes faciaſve Minerva,

infantiam meam prodere maluerim, quam mandatis tuis non obſequi. Ita in me quoque verum eſt illud poëtæ jam laudati,

Scribimus indocti doctique poëmata passim.

Habes Græcum epigramma Musis & Apolline nullo. in quo cum nihil possis aliud, affectum ut probes, rogo. Illud unum exprimere conatus sum, ingenii tui monumentum, ejus esse præstantiæ, ὡς ὁ οὐδεὶς ἂν, ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ὁ Μῶμος μωμήσασθαι δυνάιτο. Primum tuarum Historiarum tomum habeo, reliquos videre nondum contigit. decrevi brevi, quæcunque in lucem dedisti, legere, & ex iis ansam arripere sæpius te compellandi, quæque bonis avibus inter nos auspicata est, literarum commercio fovere amicitiam. Excudunt nunc Elsevirii tractatũ meum de Calculo plane παράδοξον, cui comites dabo doctorum aliquot virorum epistolicas de Lithiasi observationes, quorum numero ut & te adscribas, rogo & flagito. Vir Excellentissime vale, & me reconditæ eruditionis tuę admiratorem, amare perge. Dordrechti XXII. Octob. CIↃIↃCXXXVII.

Calcu-

Calculos non gigni in ſubſtantia, ſed cavitatibus renum. Fernelii hallucinatio. Difficilis calculoſorum curatio; Remedia præſtantiſſima.

IOH. BEVEROVICIO,

Senatori, & Medico Dordrechtano,

ZACVTVS LVSITANVS S. D.

AD Dionyſium ſcribens Plato diſputat rectius ne ſit ſalutis, an gaudii munus per epiſtolam amicis ſuis deferre: ego vero utrunque tibi, vir ſolertiſſime, & opto, & voveo, cum te de ſalute mea ſollicitum, nullo meo merito oſtenderis. ſalutis quippe, dum te, tantum virum de ſalute noſtra monitum, certioremque facimus, rati gaudium potius eſſe noſtras gratulari literas, cum tuas non minus avido, quam læto animo acceperimus, ſalutis, eruditioniſque tuæ prænuntias, per quas humaniter, meque immodice laudas. quæ omnia etſi prædices benignius multo, quam verius, tamen gaudeo ea mihi tribui abs te, quæ ipſe in me neutiquam agnoſco, quandoquidem non tu ex ea hominum ſorte

mihi videris, quos Homericus ille Heros tantopere odit, qui aliud in lingua promptum, aliud in pectore clausum gestare consueverunt. Literæ ergo tuæ ingenti me voluptate affecerunt. quæ quidem tanti mihi sunt, ut nullo pacto credam posse me illis rescribendo satisfacere. Deus bone, quantum Atticæ, excultæ, quantum deniq; amabiles, ut in iis summus amor, summaque eruditio contendere videantur, neque facile utrum excellat, dignosci possit. Scriptis magnus es, eruditione maximus. quoties enim opera tua cedro dignissima contemplor, eorum jucundissima lectione delector, & juvari doctissimus quisque potest: nam ex eorum facundia fructus, ex elegantia voluptas, ex auctoritate summus honos conciliatur. Non me amor, aut adulandi studium fallit, à quo semper tanquam intestino morbo abhorrui. neque enim à labiis dissentiunt præcordia, concordat in me scriptio cum mente, lingua cum pectore. Quod vero addis te habere nunc sub prœlo tractatum de calculo, monesque ut si aliquid novi de hoc morbo habeam, libenter promam, tibique aliquam observationem communicem, quam

quam illi inſerere poſſis: plurimas tibi pro hac animadverſione præſto gratias, gratulorque maxime, quod me, hominem vix intra proprios lares notum, dignum judices, ut in doctorum virorum albo, quorum magnus eſt numerus in noſtro Belgio, in Europa, imo in orbe toto, ſim reponendus. Cum liber tuus de calculo lemniſco adornandus lucis uſura fruatur, hærebo in illius doctrina eximia, dies, nocteſque: nam tu vir laudatiſſimus, es mihi unus mille inſtar, cui tam medico, quam poëtæ, ſuas artes, ſua munera præſtat Apollo. Sed ne parœmia major ſit, quam opus totum, accedo ad negotium.

Nullus eſt morbus plus carnifex, & atrox calculo, & renum, & veſicæ: facilius enim, voto meo, uterum à concipiendi munere abſtrahes, quam renes calculoſos à gignendis calculis. Hos in renum cavitatibus, ut firmavit *Galenus*, non in eorum ſubſtantia produci, ut *Fernelius* retur, certa res eſt, & à claſſicis experimento munita. Deinde cum hic prurigine laborarit mordendi *Galenum*, vetereſque ſcientiſſimos audacia, & temeritate fuerit inſectatus, fragili funda-

mento nixus medicos hortatur, ut credant causam calculi vesicæ, non esse crudum, ac crassum succum, qui per venas, naturalesque ductus cum urina in vesicæ capacitatem excurrit, in qua tandem loci calore exarefactus sensim lapidescit: nequit enim intelligere quo pacto libera existente vesicæ cervice possit limus ille tam diu illic morari, quum videat, & sanguinem, grumum, pus, & mucosam, lentamque pituitam, aliaque multo crassiora facile illinc profluere foras cum urina. Hoc demum convictus argumento aliam occepit causam calculi vesicæ investigare, ac comperisse monet, omnem calculum in vesica conclusum, rudimentum quoddam è renibús traxisse, è quibus per nephriticum dolorem excidens, si grandiusculus est, in vesica aliquandiu hæret, ac plerunque persistit, illicque allatarum sordium adhæsu coagmentatur, dum verus, confirmatusque lapis fiat. Ita quidem neminem hactenus, inquit, se offendisse in vesica calculum habere, qui nephriticis doloribus diu vexatus antea non fuisset. Quæ opinio falsa, incerta, fabulosa, & commentitia est, & à medicorum primariis reprobata:

bata: oblitus enim eſt *Fernelius* pueros fere omnes calculo veſicæ laborantes, quorum tamen vix ullus unquam renum calculo antea fuit afflictus. Peculiaris quippe eſt pueris veſicæ calculus, non renum, ſenibus vero renum, & non veſicæ, ut *Hip. lib.* 6. *epid. ſect.* 3. *text.* 15. confirmavit.

Demum cum hic truculentus morbus plurimos jugulet, & incipiens vix curari poſſit, 6. *de ſanit. tuend. cap.* 6. & ſi per annum duret, nullum curatum vidiſſe, neque juvenem, neque ſenem *Galenus* fateatur, quia intemperies illa fit habitualis, quæ nullo modo poſtea removeri poteſt, iccirco ſemper mihi ſatius viſum fuit, parte artis præſervativa uti, quum, monente *Galeno*, 2. *de natural. facult. cap.* 8. *in princip. multò melius ſit imminentem morbum præcavere, quam factum curare.* Hoc pacto fidiſſimo experimento compertum habeo pro curandis iis qui in miſerrimum hunc morbum frequenter labuntur, uti præſidiis, quæ tum craſſam, lutulentamque materiam, quæ futura eſt cauſa calculi, per alvum evacuent, primas vias clementer à mucoſo humore abſtergant, vaſa urinaria,

 renes,

renes, & veſicam à ſabuloſa ſubſtantia mundificent, & harum partium calorem attemperent, à quo ſolum calculos generari, priſci, & juniores confirmarunt. In hunc uſum, ad præſervandos calculoſos à gignendis calculis, omnium præſtantiſſimum eſt electuarium hoc.

℞. Fol. ſen. ℥ ſs. ſem. carth. polipod. epithym. & hermodactylor. ana ʒ ij. aniſi ʒ j. flor. cordial. ʒ iij. capil. vener. m. j. glycyrrh. raſ. & contuſæ ℥ j. ſs. radic. aſparag. & gramin. an. ℥ j. cicer. rubeor. num. xx. ſem. althææ ʒ j. paſſular. ℥ j. coque ſecund. art. in ſufficienti aq. quantitat. quouſque remaneat lib. ſs. adde theriac. ʒ j. lapid. judaïci ℈ ij. ſem. urtic. & citruli an. ℈ j. pulver. terebinthin. ʒ ſs. Balſami ℥ ſs. pulv. virgæ aureæ ʒ j ſs. pulv. oſſium Meſpil. ℈ ſs. liquiritiæ ʒ iij. pulv. fol. ſen. ʒ ij ſs. Mecoachæ ʒ ij. hermodactylor. ʒ j ſs. Mannæ ℥ j. pulp. cæſ. ℥ j ſs. aniſi, & cinnamom. an. ʒ ſs. tartar. vini albi. ʒ ij. pulv. ligni nephritici ʒ j ſs. pulveriſanda pulveriſentur tenuiſſime, & excipiantur cum ſaccharo quod ſit ſatis ut fiat electuarium.

Doſis

Doſis ejus eſt ab ℥ ſs. uſque d. ʒ vj. vel ℥ j. ſumitur jejuno ventriculo, ſuperbibitis ℥ iiij. vel v. vini gallici, vel rhenani, vel aquæ quæ ex ligno quodam indico efficitur, quæ poſt coctionem, aut infuſionem varios præ ſe fert colores, arcus cœleſtis inſtar, nullo mutato ſapore, vel odore, de cujus eximiis facultatibus pro repurgandis renibus à ſabulo, & ad renum vitia, & urinæ difficultates, & incommoda late diſceptat *Nicolaus Monardus in lib. aromatum.* Porro virga aurea, herba eſt, caule rubente, binum cubitorum, alto, pellucido, & lævi, cui folia olivæ incumbunt, orbiculatim denticulis minutiſſimis inciſa, & in ſuperiori parte lævia: flores profert in ſummo caule ſpicatos, aurei coloris, qui ut ematuruerint, in pappos abeunt. de cujus efficacia in hunc uſum legendus Matthiolus *lib.* 4. *in Dioſcorid. cap.* 31. Denique ſi aliquid ſit quod in tui gratiam præſtare poſſim, impera, ad nutum exequar libentiſſime, dummodo ſcias te habere in hac auguſta urbe ſenem, etſi invalidum, & ſtudiorum laboribus jam fatigatum, de quo tanquam de optimo amico cunctis plura poſſis polliceri. Vale

ergo vir ſuaviſſime, & reipublicæ medicæ ſidus fulgentiſſimum, Zacutumque tuum, tui celeberrimi nominis licet inconcinnum præconem, ama, ſuſtine, fove. Amſtelodami 25. Octob. 1637.

tuus per ſaxa, per ignes

ZACVTVS LVSITANVS, M. D.

Aliud ex alio negocium in cauſa fuit, cur oblitus fuerim gratiam tibi præſtare pro Epigrammate, quod in meorum operum laudem tam cito adſcribendum curaſti. Exibit liber hilaris & ovans in medicorum manus, tantique viri auctoritate decoratus in publicum prodire non recuſabit, invidorumque calumnias triumphans contemnet. pro quo officio, beneficio potius, Principes medici tibi gratulari non ceſſant: & ego, quamdiu ſpiritus hos regat artus, tuæ celeberrimæ famæ ero vocaliſſimus præco in æternum.

D. IOH. BEVEROVICIO,

Scabino & Medico inſigni,

S. P. D.

CORN. à SOMEREN Med. Doctor.

REcte Seneca, vir Clariſſime, Rarum eſt, fœlix idemque ſenex. Nulla eſt corporis noſtri tanta integritas, quæ non facile à contrario ſuo labaſcit. Quid multa? Ima permutat brevis hora ſummis. vt vita noſtra nihil aliud ſit quam ſplendida miſeria.

Nam noſtri bene ſi computentur anni,
Et quantum tetricæ tulere febres,
Maliquε dolores à vita meliore ſeparentur:
Infantes ſumus, & ſenes videmur.

Vt non immerito grande illud Philoſophorum decus Seneca exclamet; Heu quam multa pœnitenda occurrunt vivendo! Vt cætera omittam, partes ſeri ſanguinis craſſiores, vi caloris renum aut veſicæ, ubi induruere, miſeriarum iliada vides. Ita ut plerumque calamitatum harũ finis à morte dependeat. Cum autem vix tam minuta eſt corporis noſtri pars quæ à lapide immunis eſſe poſſit, nulla

tamen calamitoſior vis λιθιάσεως, nec homini capitalior hoſtis calculo renum aut veſicæ: utpote qui doloris acerbitate, ſymptomatum magnitudine, humorum corruptione, vigiliis, partiumq; ad tuendam vitam neceſſariarum interceptione ægros in exitium præcipitet. Ad curam ergo ejus, accipe obſervationem à me conſcriptam, vir ampliſſime, in gratiam Dominæ cujuſdam ægræ, quam jam nuper habui ſub mea cura. Septem nunc annos, per intervalla tamen, matrona quædam honeſtiſſima triginta annorum (cujus nomen ob amplitudinem familiæ lubens prætereo) conqueſta fuit de dolore calculi circa dextræ regionis renem. mingit urinam craſſam, turbulentam, rubram, loturæ carnis ſimillimam (ab attritu, renes, ut opinor, exedente) interdum tamen lymphatam. Morbum nephriticum, ſalvo tuo accuratiori judicio, eſſe judico. Dolor enim, & à mala intemperie, & ab unitatis ſolutione acerbiſſimus eſt, & cruciatus ingens. Efficiens vero cauſa, ut mihi quidem videtur, eſt nimia renum caliditas, ac ſiccitas. Materia vero hujus mali pituita quædam craſſa, lenta, ac viſcida eſt; pus vero graveolens,

veolens, album in urinis apparet, admixtum tamen & aliis humoribus. Pro catarctica causa, in hac Domina est inordinata victus ratio: usa enim perpetuo est cibis crassi succi, sicuti piscibus, caseo, lacte, butyro, ovis assis, durisque: quorum album en difficilis est digestionis, & pituitam producit. Ventriculi etiam adest imbecillitas, ac cerebri frigiditas & humiditas. Vnde pituitosorum humorum cottidie successit copia. Hepar tamen ac cor calidum habet: hirsuta enim est, nigra, ac carnosa, latisque venis, & in iram prona: color enim nigriusculus adustionem aliquam bilis indicat. Quia tamen major copia pituitosi quam biliosi humoris adest, quæ diu in renibus remorata, concreverunt ibidem calculi friabiles, ac arenulæ, ob bilem pituitæ admixtam. Materia hæc partim à renibus attracta, & partim ex ventriculo frigido missa est: Valetudinaria plerumque est, ac parum sui curam gerit. In venis multa congessit cruda, quæ paulatim ab hepatis & renum calore calefacta, & exusta, in lapillos friabiles conversa & concreta sunt. Itaque cum in hac matrona urinæ excernendæ actio esset læsa (urinam enim sum-

ſummo cum cruciatu, crebro, guttatim, conatibus multis, inſtar eorum, qui teneſmum patiuntur, reddit, quod tamen magis familiare iis qui calculo veſicæ excruciantur) judicavi ſemper partem eam dextri lateris affectu aliquo nephritico præter naturam occupari; cum & una cum vomitu, ἀνατροπῇ, ſubverſione ventriculi, & ſtupore crurum è directo laboret, quod vel ob venarum repletionem, quæ ad renes & ad crura divaricantur, vel ob muſculi ψόας dicti compreſſionem, cui renes ambo incubant (unde & nervorum coarctatio, ac ſtupor) vel ob compreſſionem nervi, qui in cruris muſculos expanditur (quamvis ſtupor perfecti, & ponderoſi calculi ſignum à Medicis plerumque perhibeatur) evenire credo. Νάρκη ȣ̃ μηρȣ̃ κατ' ἴξιν, ait divinus ſenex Hippocr. (cujus beatiſſimum & plane divinum ingenium, verba ſunt Macrobii, nec fallere, nec falli unquam potuit.) Dolor hic Nephriticus augebatur ſæpe cibo aſſumto, à diſtentione ſcilicet ventriculi ac inteſtinorum. Et ut de hoc affectu certior fieri poſſem, pathognomonica & propria ſigna mihi propoſui. Quia nephriticus dolor ſępe etiam colicum mentitur,

titur,

titur, ita ut peritis, & quammaxime exercitatis Medicis aliquando imponat. Verum hæc fortaſſe παρέργως. videor enim inſtituti mei limites prætergreſſus. redeo itaque. Dolor in hac noſtra ægra matrona ſæpe etiam tactu externo, admota ſcilicet manu, exacerbabatur, & ex catarrho decumbente in latus augebatur. Omnium primo talem huic noſtræ ægræ Dominæ præſcripſimus victus rationem: Aëre ut uteretur lucido, temperato. cibo vero potius elixo quam aſſato. Tenuiter ut nutriretur, curavimus. Satietas enim non ſolum exaſperat morbum, ſed etiam producit frequenter. Lacticinia, viſcoſaque omnia vitaret, diximus. Vinum tenue, album Rhenanum, necnon ptiſanam, loco potus biberet cottidie, juſſimus: Animi perturbationes ut vitaret, mandavimus, ac tale conveniens & alvum educens enema præſcripſimus, quod dolorē leniret citius quam medicamentum per os ſumptum. quia integris quaſi viribus ad renes perveniunt emollientium, doloremque ſedantium vires. Parva autem fiebat quantitas quæ injiciebatur, ne copia renes comprimantur, ac ut ægra matrona melius ad tempus

pus retinere possit. ℞. rad. althæ. lilior. albor. petros. ana ℥ j. aristoloch. rotund. ℥ ss. folior. betæ, violar. malvæ, althæ. mercurialis, parietar. an. m j. flor. chamo. melilot. an. m. ss. ficu. ping. n. v. furfuris, in linteo ligati, m. ss. summit. aneth. m. ss. sem. lini, fænugr. an. ʒ ij. fruct. Alkekengi n. vij. f. d. pro ℥ vij in q. s. aq. com. colat. add. bened. laxat. ℥ ss. elect. diacathol. ℥ j. ol. chamom. irini, rutac. an. ℥ ss. salis com. ʒ j. m. f. Clyster, qui aliquoties postea, cum alvus rursus adstricta esset, reiteratus fuit. Oleum rutaceum & irinum à me additum, quia ægra hæc Domina flatus in intestinis habebat plurimos, qui renes comprimerent, ac dolorem lateris affecti augerent. Cavi etiam perpetuo, ne vehementes injicerentur Clysteres, ne humorum copia major ad intestina traheretur, meatusque urinarii magis comprimerentur. Reddito clystere capiebat statim per os hunc subsequentem haustum. ℞. Mitrid. opt. Theriac. Venet. an. ʒ ss. aq. decoction. althæ. ℥ iiij. (in renum & vesicæ affectibus curandis, judicavi perpetuo, quæ dantur in magna dosi exhiberi debere) ol. amygd. dulc. recenter extracti

cti ℥ j. ſyr. de althæ. Fern. ℥ ſs. m. f. Hauſtus. Quem rurſus revomuit, una cum multis aliis pituitoſis ac bilioſis humoribus. Cum vero motum naturæ ad vomitum, ac ſubverſionem ventriculi viderem, judicavi ſtatim utile eſſe ſequens non admodum validum præſcribere vomitorium. ℞.aq.decoction.raphan.℥ iiij. oxymell. cum agar. ℥ j. pulv. rad. aſari ℈ iiij. aq. cinamo. ʒ j. m. fiebat hauſtus, ex quo large bilioſa multa, una cum pituitoſis, ſumma cum alleviatione, evomuit. Poſt vomitum tamen anodynis ex conſerva roſar. rubr. unius anni (ad roborationem ventriculi)laudani Quercet. gr. iij, in formam boli,tam intro aſſumtis, quam extra ex ol. ſcorpion. admotis, dolorem magis, magiſque conſopire, ac emulcere ſtuduimus. Sanguinem è vena poplitis cruris ſtupentis, quod è directo eſt renis affecti, mittere juſſiſſem, (ne ſanguinis multitudo, ob venarum tenſionem & expanſionem in partem affectam incumbens dolorem augeret) niſi conſervatrix,eam in puerperio nuper ſatis jam fuiſſe expurgatam, retuliſſet. Huic, quia cacochymia etiam aderat, dolore jam remiſſo,à vitioſis humoribus

ita

ita à me fuit expurgata. ℞. elect. diaphœn. bened. laxat. an. ʒij. cassiæ el. ʒ vj. sp. diacarth. diaturpeti cum Rheo, cremoris tart. an. ℈ j. aq. malvæ ℥ ij. olei vitriol. gutt. vj. m. f. Haustus. ex quo ventriculus, intestina, ureteresque satis benigne expurgati. Hinc quæ humores concretos emollire, meatusque urinarios relaxare possint, tam intro sumptis, quam extra admotis, ordinavimus. Sic enim postea cum diureticis medicamentis facilius arenulæ expellebantur, calculique friabiles fiebant, qualia sunt quæ sequuntur. ℞. rad. althæ. ℥ j ß. fœnic. petros. an. ℥ j. folior. malvæ, violar. althæ. an. m. j. capillor. ven. cicer. rubr. an. m. ß. uvar. passar. corinthiac. ℥ ß. glycyrrh. ras. ℥ ß. ficu. ping. n. ix. semi. 4. frigid. maj. an. ʒ j. papav. alb. ʒ ij. sem. chærefol. ʒ j. fructu. Alkekeng. n. ix. prunor. Damascen. n. xij. sem. anis. dauci, fœnic. milii-solis an. ʒ j. f. d. in q. s. aq. decoctionis secund. hord. mund. (quia prima flatuosa est) pro lib. ij ß. colat. add. syr. de althæ. Fern. ℥ ij. m. utebatur ex eo decocto bis de die ℥ vj. Fomentum hoc pro renum & vesicæ regione à nobis fuit additum, quo utebatur bis etiam de die

die calide cum mappis panneis madidis. ℞. rad. althæ. fœnic. petrof. ononid. an. ℥ j. folior. malvæ, violar. parietar. chærefol. an. m. j. arthemiſ. hyperic. rutæ, an. m. ſs. flor. chamom. meliloti, ſummit. aneth. (hæc ſunt anodyna, & calorem habent temperatum, ac calori noſtro naturali ſunt conformia, ipſumque adaugent ac delectant) an. m. j. abrotani, m. ſs. ſem. aniſ. fœnic. milii-ſolis, melon. an. ʒ ij. ſem. lini, fœnugræc. an. ℥ ſs. incidebantur groſſo modo; dein coquebantur pro balneo ſeu fomento, & ex reſiduo fiebat cataplaſma doloris ſedativum; addendo croci orientalis ʒ j. olei chamomil. butyri recent. olei lilior. albor. ſcorpion. an. q. ſ. His peractis dein locus renum calide hoc ſequenti unguento cottidie inungebatur ℞ butyri recent. olei amygd. dulc. axungiæ gallinæ, vel anſerinæ, vel cuniculi an. ℥ ſs. olei lilior. albor. (quod egregie emollit) ℥ j. ſcorpion. ℥ ſs. ol. keyrini, anethi, chamom. ungu. Agrippæ an. ʒ ij. m. f. linim. Poſtquam vero jam dolor eſſet mitigatus, humoreſque emolliti, meatuſque urinarii aperti (præmiſſis univerſalibus, ut à nobis ſupra relatum) quæ calcu-

calculum diminuere, arenulasque expellere valeant, à me per os exhibita; qualia sunt quæ sequuntur. ℞. Carabes alb. præp. ℈ ij. sem. paliuri (quod si desit, jujubarum ejus loco sumatur) ℈ ij (hæc duo sæpe summo cum successu, nutu Dei, à me experta; cum jam urina fuisset per aliquot dies suppressa) salis tartari vitriolati ℈ ß. nucis muscatæ ℈ j. sem. petros. macedon. ʒ ß. aq. decoction. cicerum rubrar. & althæ. ℥ iiij. syr. de althæ. Fern. ℥ ß. m. f. haustus. Aliud habeo, magne heros, quod magis mihi placet, ubi scilicet æger admodum est macilentus, biliosus, & siccus, ut sæpe fit, ac valde calidos habet renes; sicuti & hæc nostra matrona habebat. ℞. sem. papav. alb. melon. an. ʒ j. semin. cucumer. Alkekeng. rad. sive semin. saxi frag. an. ʒ ß. semin. milii-solis, petros. macedonic. anisi, fœnic. cicer. rubrar. genistæ an. ʒ ß. pulveris glycyrrh. ʒ ij. semin. apii ʒ ß. m. f. pulvis, dosis ʒ j. Vtebatur hoc pulvere bis de die cum liquore stillatitio fœnic. petros. aut decocto cicer. rubrar. althæ. hord. mund. glycyrrh. malvæ, aut (quod magis arridet nostro palato) vino Rhenano tenui. Aliud accipe, quod forsan,

ſan, vir clariſſime, magis arridebit, quamvis ſatis vulgare, forſan tamen tuo meliori judicio, melius. ℞. Therebinth. venetæ ℥ j ſs. ſalis prunellæ, pulveris geniſtæ an. ℈ j. m. f. bolus. Hoc medicamentum quod ſequitur mihi magis placet, quo etiam ægrota hæc Domina ſæpe uſa. ℞. Sp. lithontrib. oculor. cancri, ſemin. geniſtæ, macis, ſem. leviſtici, althæ. petroſ. macedon. ſanguin. hirci præp. an. ℥. ſs. liquirit. ℈ iij. gummi tragacant. baccar. lauri, piperis longi, ſemin. dauci, cinamo. an. ℈ j. cineris ſcorpion. cortic. ovor. an. ℥ j. m. f. pulvis. doſis. ℥ j ſs. miſceatur diureticis aquis ſtillatitiis. Pillulas poſtremo è therebinthin. veneta lota, cum aq. malvæ & torrefact. ut poſſit pulveriſari, addito pulvere glycirrh. ſemin. papav. albi, melon. ad ciceris, aut piſi magnitudinem aſſumpſit. Suppoſitorium ex ſpec. hieræ picræ Gal. ℈ ij. trochiſc. Alhand. ℈ j. ſalis & mellis an. q. ſ. fiebat, cui in cuſpide ſive cauda diagrid. præp. gr. iij. addebantur. ex quo ipſi alvus ſoluta ſemper fuit. Quare ſi balanis fœces educi poſſunt, auctor eſſem ut ſæpe ſupponerentur, neque tot enemata injicerentur, aut tam multa pharmaca pur-

purgantia per os exhiberentur. Tandem cum colophonem huic morbo quarto Novemb. anno millesimo sexcentesimo trigesimo septimo imponeremus, pro roboratione ventriculi, oleum macis, menthæ, absynthii, rosar. ana partes æquales, præscripsimus. & quia ardor in renibus ac lumborum regione supererat, oleo violar. rosar. ungu. rosato, quibus nonnihil aceti admixtum erat, renes ut inungerentur, mandavimus. Quibus omnibus nobilibus medicamentis sæpius, cum summa salute, nutu Dei, plurimorum ægrotorum sumus, viginti duorum annorum spatio, experti. In vesica vero lapis si hæreat, expelli medicamentis non potest. Lithotomo ergo hic opus. Sed ne diutius, vir amplissime, morer tua tempora, ero brevis; ac unum hoc tantum, de vesicæ calculo, addam, ne tibi sim oneri diutius. Casta quædam puella annorum duodecim à lithotomo, seu medico circumforaneo, me adstante, à calculo vesicæ paracentesi liberatur. Cumq; jam extractus esset calculus, vulnus postea à Chirurgo satis exercitato Nicolao Schavair occludi non potuit. & tanta vero copia ad annos aliquot efflu-

xit

xit cottidie craſſa quædam, ſubrubra, viſcida, ſubinde quoque alba, arenoſaque, per idem vulnus, urina; ut circum totum hoc jam inveteratum ulcus, imo & circa ipſius vulvæ labia, monticuli aut promontorii inſtar, lapidea quædam ſubſtantia coaluerit, quæ tamen leni attactu ac fricatione facile decideret. In cujus equidem locum indies nova continuo materia lapidea ſuppeditaretur, ac miraculi inſtar ſuccreſceret. Vivit & hæc puella etiamnum hodie ſuperſtes, eodem tamen & inveterato ſuo malo obſeſſa. Plura talia adducere poſſem, ſed hæc ſufficient, Vir clariſſime. tu quid una mecum de his ſentias, in doctiſſimo tuo libello, de renum & veſicæ calculo (quem ſub prœlo eſſe intelligo) nobis palam facies.

Οἶσθα καὶ ἄλλον μῦθον ἀμείνονα τοῦδε νοῆσαι.

Noſti alia his dictis longe meliora profari.

Salve interim cum tuis, à tuo Somero. Illuſtri Heinſio, cognato meo, viro ſupra laudem, & ſupra meritum in me prono, magno Vorſtio, Magnifico Pro-rectori, Viro Clariſſimo ac Doctiſſimo, Ampliſſimo

ſimo Goolio, cognato meo, Mathematicorum Archimedi, officia & ſalutem à me velim deferri. In muſeo noſtro, ex tempore, XIII. Novemb. M DC XXXVII. horis veſpertinis.

CONSVLTATIO DE LITHOTOMIA,
ſeu Calculi Veſicæ Sectione.

CONSILIVM PRIMVM.

IN expoſito oretenus affectu, & ſcriptis declarato, collecta ſignorum ſyndrome, ſuſpicari jure poſſumus, Illuſtriſſ. Virum veſicæ calculo torqueri, quem lithotomus cathetere deliteſcentem patefecit, ita ut nullus ſit dubitandi locus. Vtinam ita facile eſſet ipſum conterere, vel ſectione extrahere, ſicuti facile eſt generationis modum & ordinem proferre. Non eſt dubitandum, cauſam materialem ipſius eſſe humorem craſſum, cum aliqua bilis portione, qui ad renes collapſus, à calore attenuatus, in minimaſque partes

partes diſſolutus, in arenulas concreſcit; at craſſior pars, quæ in halitum diſſolvi non poteſt vel propoſito modo incidi, in lapillos degenerat, ideo aſſiduæ fuerunt arenularum & lapillorum excretiones elapſis menſibus. Neque fuit difficile, craſſiorem humorem ad veſicam propulſum ibi hærere, ac tandem cogi, & expoſito modo lapidis naturam ſubire: hinc dolores in Illuſtriſſimo Viro, hinc cruciatus, veſica ab improportionato objecto laceſſita: concreſcit magis lapis ex defluxu arenularum, quæ in unum coactæ majorem molem conſtituunt. Hinc facile colligo, craſſioris humoris mineram ex ventriculo pendere, qui frigida & humida donatus eſt intemperie. Favet humorum generationi humiditas, & capitis caliditas, quam aſſidua oculorum lippitudo & ophthalmia declarant, ex cujus impetu palpebræ ſubvertuntur: hic calor p. n. magis attrahit, & inde minus proba ſubſequitur concoctio, quæ à calore naturali perficitur: hinc excrementa multiplicantur, quæ ab hoc calore attenuata funduntur ad varias corporis partes, ideo ſubſequuntur expoſiti affectus, & præcipue expoſita ſymptomata.

pro quibus tria-quæsita Vir Illustrissimus proponit. 1. An lapis possit conteri, & in minimas partes, vel arenulas dissolvi. 2. Si non possit esse voti compos, quærit num sectione possit tuto extrahi. 3. Si sectio differatur in futurum ver, an dentur subsidia, quæ impediant illius augmentum usque ad futurum ver. *Respondeo ad 1. quæsitum*, non deesse antiquas & recentiores historias quibus patet, dissolvi talem lapidem. Verum *Gal. in 6. Epid. 26.* sola chirurgia sanari hunc affectum asserit. Concors & ego cum viris Exc. assero, non posse hunc lapidem conteri, ideo diuretica quam plurima tentata tantum abest, ut lapidem in arenulas dissolvere potuerint, ut potius majus augmentum addiderint: etenim ante 6. menses urina supprimi sæpe consuevit, quod in præsentia non contingit. Exiguus enim lapillus facile ad vesicæ os potuit propelli, major factus, non ita prompte dilabitur, neque urina supprimitur. Accedit, quod perexiguus lapillus, undique in vesicæ foramen sese immittens, exitum impediat, sed cum majore mole urinæ locum undique non potest occupare. Ex diureticorum etiam usu patet, cur in præ-

ſentia non excernat arenulas & lapillos, quandoquidem ex tali uſu redditæ fuerunt venæ patentiores, & renum magis laxa ſubſtantia, & aperta, unde confluxis humoribus à renibus ad veſicam aditus magis patens evaſit. Quanti fecerit hanc conditionem *Hipp. & Gal.* licet ex pluribus ipſorum ſcriptis cognoſcere.

Efficiens cauſa referenda eſt ad hepatis & renum calorem, quo illud fervet, & renes æſtuant. *Quoad 2. quæſitum*, confugiendum ad ſectionem tanquam ad ſacram anchoram, de qua nihil certi polliceri poſſumus, cum anceps ſatis ac dubium ſit remedium. Ante hanc ſectionem plura ſunt tentanda remedia, quæ totum & partem reſpiciunt; & præcipue, quæ ante ſectionem humorum impetus ſiſtunt, quæ in ſectione propellunt, & poſt ſectionem accidentia corrigunt. Verum cum in præſentia talem ſectionem reſpuat, incumbendum præſervationi. hoc prima facie videtur non ſolum laborioſum & difficile, ſed impoſſibile, cum lapis paucis menſibus, me judice, in majorem molem fuerit adauctus; ſed non eſt eadem lex, neque idem ordo cum inordinata vivendi norma & aſſiduo diu-

reticorum uſu, quæ erit cum præſcribendis auxiliis; neque video tam brevi tempore adaugeri lapidem ſine occaſione expoſita. Novi hic Ampliſſ. Senatorem tali lapide detentum cum jugi excretione craſſioris humoris in maxima copia: tamen multis menſibus & forte annis non fuit auctus. quod colligo ex propriis accidentibus. Præterea elapſis annis quidam Cauſidicus fuit ſectus, & lapidis fruſtulum relictum, quod temporis tractu intulit priora ſæva ſymptomata: tranſactis pluribus menſibus iterum fuit diſſectus, & fruſtulum extractum, cui adhærebat exiguum augmentum factum poſt inciſionem unius anni cum dimidio, ab inordinata vivendi norma. Secus continget Illuſtriſſimo viro ex recta regula vivendi & pluribus auxiliis, deſumendis ex Chirurgia & Pharmacia. Sed prius perpendamus illa deſumpta ex Chirurgia, & an ex præſervatione liceat mitti ſanguis. Non eſt dubitandum, quin peccantes humores diſtent à ſanguinis natura: imo videtur Illuſtriſſimus patiens potius cacochymus, quam ſecus. Verum licet ſanguis non peccet, ut cauſa principalis, videtur peccare ut coadjuvans,

 cum

cum calidus humor deferat crassos & lentos humores ad penitiores partes;ideo probamus aliquam sanguinis missionem ex cubito, quæ etiam oculis ipsis prodesset. *Quoad fonticulos*, eos nullo pacto probamus, quia si illos velimus inurere pro præservatione & revulsione à vesica, vix ac ne vix quidem tam brevi spacio usque ad sectionem id obtinebimus. Quoad frictiones, laudantur in partibus superioribus gratia revulsionis, & nequaquam in infernis. Quoad pharmaciam, probamus Lenientia consueta & syrupos præparantes consuetos. Facta præparatione, exhibendum est medicamentum ex Agarico cum pauxillo Rhabarbari, cum Syr. ros. & de Polypodio; essemque contentus hac simplici purgatione, cum vir Illustrissimus abunde fuerit expurgatus. Credimus tamen, necessaria esse toto tempore hyemali lenientia aliqua blanda, sicuti cassiæ pauxillum, & pilularum ex Aloë lota, bis, vel saltem semel in hebdomada; intermediis vero diebus, quam maxime laudamus usum oxymellis ad ℥ ij, cum *Gal. 6. de locis aff. c. 4.* habeat hæc verba: *Oxymel per se lapidem terere posse.* *quam autoritatem* semper magni

facimus ad calculi præſervationem & curationem. Deinde in cibis, gratia attenuationis, ſi addamus ſuccum limonum, quia attenuata materia craſſiori, tollitur occaſio augmenti lapidis, hac lege, ut nunquam omittatur oxymel. *Pro dolore & urinæ ardore*, ſi maxime urgeret, hoc remedium tenet primum locum, Decoctum, quod conficitur ex floribus Nenupharis, violarum, ſem. pap. albi, ſebeſten & liquit. quæ omnia bulliant in aq. communi, ex quo decocto ardor ille ſedari poterit. Quoad Decoctum ex Salſa & China, nos omnino improbamus, quoniam & fundit humores, & fuſos compellit ad renes, unde materia lapidis augetur. Accedit quod decoctum non corrigit malas viſcerum temperaturas, quæ altas fixere radices. Præterea improbamus diuretica valentiora, quia devehunt materiam ad veſicam cum lapidis augmento & majori dolore. Recta vivendi norma viro Illuſtriſſimo notiſſima eſt.

Sanctorius Sanctorius, & Hieronymus Theobaldus, Medici Veneti.

CON-

Consilivm II.

Qvamvis in lapidis extractione non possint præscribi certæ regulæ, quibus æger tuto possit regi, propter varietatem symptomatum, quæ supervenire solent post incisionē, & cum *quid agendum* semper desumatur ex præsentia indicantium: nam à futuro nulla desumitur indicatio; tamen potest quædam universalis norma proferri, ægro utilis & necessaria. *Tria sunt perpendenda. primum spectat ad ea, quæ occurrunt ante sectionem.* 2. *tempore incisionis.* 3. *post incisionem.* Quoad 1. eligendum est congruum & opportunum tempus, scilicet in vere; sed quia quandoque est inæquale, ideo debet esse constitutio, quæ non vergat ad calidum. Primum præsidium totum corpus respiciens erit conveniens expurgatio scriptis consignata: semper erunt dirigendi oculi ad prædominantes humores, quod colligemus ex habitu totius, sed præcipue ab ipsa evacuatione, cum ex humorum prædominio cuncti morbi prodeant. Hic notandum, omnem corporis expurgationem tentandam esse exigua virium jactura, habita

ratione non ſolum ad illas vires, quæ poſſunt expurgationẽ ſufferre, ſed multo magis ad illas, quæ poſſunt vincere magnum morbum, ut eſt ſectio, & lapidis extractio. ideo erit tentanda per epicriſin, paulatim præparando, & paulatim purgando præcipue humorum prædominium. Notandum, quod præparantia ſeu attenuantia & detergentia debeant adminiſtrari ante ſectionem pluribus diebus; nam attenuatis humoribus alias majori impetu ruerent ad partem læſam. Notandum 3, ſanguinis miſſionem non eſſe tentandam multo tempore ante inciſionem, quia parum conferret, quandoquidem educitur ſanguis non ſolum ad imminuendam ipſius copiam, ſed etiam ad revellendum à parte affecta. quo igitur proximior erit inciſioni, eo melior. Modus educendi ſanguinem probaretur iteratis vicibus, quia melior revulſio contingeret, quod ſæpe notavit Galenus, fieret etiam citra virium jacturam. Recta vivendi norma ſemper erit inſtituenda, quæ reſpiciat quantitatem, tempus & ordinem. Quantitas & qualitas, in principio purgationis, non erit admodum tenuis. quæ temporis tractu

erit

erit imperanda. Bibat ſemper vinum, quod non ſit generoſum, & diluat aqua cocta cum ſantalis: etenim vinum eſt vehiculum omnium humorum. talis facultas infringitur aqua. Accedit, quod Santalum præter exiccationem, qua egemus, robur etiam inducat viſceribus & ſiſtat humores, ex quibus imminent cuncta accidentia poſt ſectionem. Aliquibus diebus ante abſtineat à vino, & loco ipſius bibat aquam cum Santalis & *Sorbeto*, hoc eſt, *Syrupo Conſtantinopolitano*; nam ita viæ anguſtiores redditæ impediunt humorum tranſitum, ideo aqua ſit cum majori quantitate Santalorum. His cunctis diebus fiant frictiones partibus ſupernis ad evacuandos humores ab infernis, & non exerceat corpus. Duobus vel tribus diebus ante inciſionem, utatur *clyſtere ex ſolo oleo roſato tepido*, cum nullum detur præſidium, quod magis poſſit occurrere laboranti veſicæ, illo excepto, quod per anum injicitur, cum veſica recto inteſtino adhæreat. Tale oleum reprimit ſanguinem, & illas venas corroborat: cum venarum ſurculi, qui conſtituunt infernas hæmorrhoidas, promanent à ſurculis venæ cavæ, qui etiam per

veſicam ſunt diſſeminati. Quam maxime probo, duobus diebus ante inciſionem ut illis utatur, quæ poſſunt *ſomnum conciliare*; nam vigilia cunctos humores diffundit, vireſque diſſolvit, quia fieri non poteſt, in negotio, ubi de vita agitur, quin aſſiduæ ſint animi paſſiones, quæ ſomnum impediunt, coctiones perturbant, & humores liquant ac fundunt: id corrigi non poteſt, niſi ſomno. Verum præter hæc poteſt conſequi etiam ſummum beneficium, incraſſando eoſdem humores eodem medicamento, ne impetu, ex facta ſectione, ruant ad veſicam. id fiet præſidio admodum accommodato, quod paratur Venetiis. Quantitas, modus ac tempus, tum poteſt præſcribi, cum particularis ægrotantis conditio id patefaciat. 2. Animadverſione dignum eſt noviſſe, quid conferat ægrotanti in ipſa ſectione. Probavimus Exc. Santorius & ego, ut facta inciſione, & digito immiſſo, priuſquam impellatur aliud inſtrumentum, intromittatur apto inſtrumento oleum, quod inſerviat ad extrahendum ipſum lapidem majori facilitate, quam ſine oleo. Laudavit Excellentiſſimus Santorius oleum Amygd. d. ve-

rum

rum melius esse credo oleum rosatum omphacinum, vel completo mixtum. hoc facilem parabit exitum lapidi, dolorem demulcere valebit, sed quod magis est, & quod magis probo, poterit inflammationem arcere, fluentem sanguinem & humores propellere, & laboranti parti robur indere, imo experientia cognovimus, in vulneribus nullum dari præstantius remedium. Extracto autem lapide olea non dimittantur consueta, & negotium totum reliquatur perito artifici, neque Medicus debet manus in alienam messem mittere. Post sectionem plura solent supervenire accidentia, quibus certe artifex, medicinæ ignarus, non potest, neque valet succurrere. Faxit Deus, ut liber evadat. Hæc symptomata multa solent esse, & inter ea *inflammatio*, quæ sanguinis extractionem & alia requirit præsidia, quæ non possunt proponi, nisi cognito ægrotantis statu, librata virium jactura redigendo morbum & symptomata ad certum examen: etenim nullus moritur, cui accidentia non superveniant, quæ necem inferant. Quibus assistere debet diligens & peritus Medicus, vario modo & ordi-

ne rectam vivendi normam, & medicinam instituendo. Comes huic morbo solet esse *urinæ maximus ardor ex vulnere:* hic mitior redditur vario præsidii genere, quod dirigitur ad variam vulneris conditionem. Hic parantur varia hujus conditionis præsidia, tuta omnino, quæ absque dubio valent ardorem demulcere. Caveatur, quo magis fieri poterit, ab aqua, & omni alia potione, nisi febris intensa esset, quæ sine humectatione urinam fervidiorem redderet, ex qua major excitatur ardor. Clysteres hoc tempore sint molles, loco juris cum lacte, vel lactis sero & oleo rosato, cum cassia & sacchari portiuncula. Caveat omnino, ne hæmorrhoides excitentur, quæ ob vicinitatis consensum maxima læsæ vesicæ damna producunt. Hæc currente calamo.

Hieronymus Thebaldus
Medicus Venetus.

CON-

Consilium III.

Veficæ calculo laborare patientem Illuſtriſſimum, eſt ita conſpicuum, ut fruſtratorium cenſeam, alias vitiatæ mictionis cauſas in ipſo perquirere: ſiquidem frequens dejiciendi cupiditas, dolor lancinativus, & veluti corroſivus ad extremitatẽ glandis expanſus, acſi virgæ canalis eſſet exulceratus, mictio cruenta poſt equitationem, vel iter in curru habitum, hæmorrhoidum intumeſcentia, & æſtus, prægreſſa arenularum excretio, ſubſidentiaque materiæ cujuſdam tartareæ, in urinis apparens, lentoremque materiæ contrahens ex diuturna mora & diuturnitate affectus, octo ab hinc annis excruciantis virum Illuſtriſſimum abſque ullo levamine à quocunque remediorum genere, vel ſaltem perexiguo, nihil aliud indicare poſſunt, quam veſicæ calculum, quemadmodum ſuſpicati fuerunt, & non immerito, viri doctiſſimi, & Lithotomi, certiores facti, primo immiſſa candela cum linimento, quæ in extremitate leviter abraſa fuit, tum immiſſo cathetere argenteo, quo calculum ipſum ſe perſenſiſſe confeſſi ſunt,

ſunt: calculuſque præſens eſt aliqua aſperitate donatus non lævigatus, ut marmoreus, vel mucore quodam illitus; tunc enim neq; abraſiſſet candelam in tranſitu, neque dolores inſignes produxiſſet, neque tam facile cruorem cauſaſſet in violento motu: non tamen eſt inſignis, licet à multo tempore genitus, quoniam inſigne pondus non excitat, non dolorem continuum, non urinæ ſtillicidium, non ſtranguriam; neque impedit ſcalarum deſcenſum, neque ſentitur digito, per podicem immiſſo: hocque ideo factum eſt, quia vir Illuſtriſſimus fere continuo uſus eſt diureticis, & evacuantibus, mineram ac fomitem deturbantibus, alioquin in majorem molem fuiſſet adauctus. Genitus autem eſt hic calculus ex pituita prædominante à capite partim fluente, partim in ventriculo humido frigido genita, accedente incongrua victus ratione, & imperfecta ciborum attritione, cum ſub dominio craſſæ bilis & exuſtæ, in æſtuante hepate genitæ, accedente nimio fervore renum, ad ſeſe talem materiam attrahente, & immodico diureticorum uſu plures cruditates ad partem affectam comportantium. Ob
hanc

hanc eandem effervescentiam jecoris & capitis, cum inæquali temperie ventriculi, & aliorum viscerum, non solum antehac subjectus fuit dysenteriæ, lienteriæ, diarrhœæ hepaticæ; febribus mali moris, phrenitidi, aliisque gravissimis affectibus, sed & in præsentia patitur inversionem palpebrarum, cum rubore, illachrymatione, & fluxione materiæ viscidæ & glutinosæ, profluentis ad angulos oculorum, & facilime subjicitur inflammationibus in quacunque parte corporis, ubi postea ex levi aliqua occasione conscissionem & exulcerationem aliquam patiatur. & hæc de affectu & causis.

Hujus autem affectus sanatio, cum duobus procurari possit, medicamentis scilicet, & chirurgica operatione: medicamentis equidem, me judice, sanari non poterit, sed sola manuali operatione: non quod medicamenta prorsus sint interdicenda, siquidem Epicerastica & Anodyna dolorem demulcebunt. in quem usum potissimas partes tenet *oleum amygd. d. extractum sine igne cum succo limonum & cytoniorum*: dejectoria & blanda vomitoria fluxionem arcebunt,

&

& diuretica temperatiora materiam aliquam fluxam poterunt evacuare, absque ullo nocumento, ideoque tuto administrari poterunt. sed medicamenta illa, quæ præscribi solent ad atterendum, comminuendum & dissolvendum calculum, omnia in vanum præscribentur, siquidem officiunt manifeste jecori, & toti corpori, absque eo, quod lapidem ipsum valeant comminuere, & expellere. medicamenta enim extrinsecus applicita vix quicquam præstabunt, præter doloris remissionem, quod præstabunt etiam balneum ex oleo vel emplastrum aliquod regioni pubis applicatum. medicamenta vero interna vel sumentur per os, vel injicientur per syringam, aut siphonem: per os assumpta, leviora vires amittent in transitu, generosiora adurent jecur, renes & sanguinem; injecta per siphonem, non diu retinebuntur, propter exquisitum sensum partis affectæ; præterquam quod calculus, me judice, est ita durus ex diuturna mora, ut solo malleo conteri possit. quare unicuique medicamento valedicendum; sola etenim incisione, à perito Lithotomo facta, sanari poterit. quam credo esse opera-

operationem tutiſſimam in hoc anni tempore, in hac conſtitutione corporis & in hac ætate: neque faceſſit negotium, quod facile inflammationibus ſubjiciatur, præmittenda enim eſt totius evacuatio, ſanguiniſque detractio, permittendumque poſt inciſionem, ut aliquid ſanguinis exeat ex parte affecta, repellentibuſque tandem inhibenda eſt fluxio. quare tota ſanatio in operatione chirurgica eſt reponenda, neque ullam aliam video ſalutis ſpem, quoad veſicæ calculum. Oculorum autem affectus non ſolum indigebit evacuatione totius, & revulſione, ſed etiam inuſtione fonticuli in ſiniſtro ſaltem brachio, ſi abhorret ſetaceum; & hoc pro derivatione: indigebit quin etiam refrigeratione ſanguinis & jecoris, cum ex cichoraceis ipſis tantum, vel etiam cum uſu Seri deſtillati, quod magis laudo, quam aquam virginis; ac tandem indigebit peculiari capitis expurgatione, & topicis refrigerantibus, & exiccantibus, oculis applicitis. quorum ſylvam cum proponant omnes auctores, ſupervacaneum duxi ſingillatim materias remediorum proponere. Et hæc ſunt, quæ ex uſu futura cenſeo

ſeo in caſu Illuſtriſſimi hujus patientis. Datum Patavii 2. Septembri 1624.

Benedictus Sylvaticus Med. practicæ Profeſſor in paritate primæ Sedis.

CONSILIUM IV.

ETſi veſicæ calculi ſigna perſæpe ambigua ſunt, & quibuſdam aliis affectionibus tam convenientia, ut magnæ inter Medicos ea de re diſceptationes excitentur; nulla eſt tamen in caſu Illuſtriſſimi viri dubitandi occaſio, an urinæ vitia, quibus jam dudum torquetur, à veſicæ calculo proficiſcantur, ſiquidem immiſſo cathetere à duobus peritiſſimis Lithotomis manifeſte deprehenſus eſt; ut ſi omnia alia ſigna deficiant, hoc ſatis eſſe poſſit ad mali cognitionem. Idem tamen alia etiam arguunt, nempe continua ſtranguria & dyſuria, quæ maxime exacerbantur equitatione, ſeſſione, ambulatione, ſcalarum aſcenſu; ad hæc aſſiduus inter mingendum teneſmus, colis tentigo, urina craſſa, alba, cum hypoſtaſi craſſa & tenaci, præterea frequens arenu-

arenularum exacto tempore excretio, quæ multis abhinc menſibus amplius non apparet. Adde, minutiores etiam calculos olim redditos fuiſſe, cum ingenti lumborum cruciatu & ſubinde ſanguinis excretione, & quo tempore mingendi moleſtia perſeveravit; primo quidem tolerabilior, ob minutiores & puſillos calculos in veſica relictos; deinde vero gravior, adaucta calculi mole ex arenularum decidentium, craſſique excrementi ſenſim facta agglutinatione. Calculus ergo veſicæ, tum aliqua aſperitate atterendo, tum ſalſo muco, quo oblitus eſt, mordicando collum veſicæ, perpetuum infert ardorem; mole ſua exitum urinæ impediendo dyſuriam facit; eadem gravando, duritieque ſua exaſperando, per omnes validiores corporis motus cuncta accidentia efficit deteriora. Quandoque craſſi quoque excrementi defluxione ad veſicam eadem mala modo imminui, modo ingraveſcere contingit, prout plus minuſve materiæ mitioris aut mordacioris deorſum labitur. An vero unicus in veſica calculus exiſtat, an multiplex, an grandis, an parvus, difficilis eſt omnino conjectura, quæ tamen ad curationis faci-

facilitatem non parum confert. Vnicum adesse calculum asserunt Lithotomi, qui Syringam experiendi gratia immiserunt: quod suspicari inde etiam licet, quod neque ex toto urina supprimitur, nisi per rarissima & longissima intervalla; & minor est in mingendo conatus & dolor, quam in habentibus plures calculos, etiam exiguos, uti quorundam calculo olim laborantium & post mortem dissectorum casibus didici. Magnitudinem vero calculi comparant Lithotomi moli castaneæ, quæ media est quodammodo magnitudo, ad quam vesicæ calculi pervenire ut plurimum observantur. Et profecto aliter credi non potest, quam duorum annorum spatio, quo hac ægritudine tenetur vir Illustrissimus, calculum ad hanc molem excrevisse, cum & multæ arenulæ excerni olim conspectæ sint, quæ nunc retinentur, sensimque cohærere & conglutinari possunt; atque multa tenaxque pituita jugi defluxu ad vesicam ruat, quam oblinere, & veluti crusta obducere lapidem necesse est. Atque hæc causa est, quod Illustrissimus Dominus abhinc aliquot mensibus citatam equitationem perferre amplius nequeat,

nequeat, quæ tamen ante annum per quadrantem horæ absque molestia sustinebatur. Generatio vero calculi fuit ejusmodi: crassior materia, præsertim pituitosa renibus communicata, & diuturniorem ibi moram trahens, cum ob proprium lentorem, crassitiemque, tum fortasse ob aliquam renum angustiam, à præternaturali eorum calore paulatim excocta, hisque tenacibus partibus evanescentibus, in lapides tum minutiores & arenosos, tum grandiusculos obdurata est; inde pulsi ad vesicam lapilli partim excreti sunt, partim retenti; sicque assiduo arenularum affluxu, & crassioris muci adhæsu, grandiorem molem, tractu temporis, acquisiverunt, atque in unum corpus coierunt. Pituitam communicat viis urinariis totum corpus, vitio præsertim ventriculi languidioris, multa etiam ex improbo victu excrementa congerentis; nec non cerebri humidissimi, ad aliquam caliditatem vergentis, unde continua fere ad oculos quoque fluxio utcunque mordax delabitur: factumque est immodico diureticorum usu, ut ea excrementa majori nunc impetu quam antea ad renes decurrant,
uri-

urinamque alias tenuem, crassissimam modo reddiderint. Ex his constat, periculosissimum esse hoc malum, sive curationem tentes, sive negligas. In curatione enim non pauci deficiunt, aut supervenientibus accidentibus enecantur; loquor de curatione, quæ sectione perficitur. Neglecta curatione ipsa dolorum assiduitas & magnitudo ægros tandem conficit. Itaque non immerito à nobis quærit Vir Illustrissimus, *possitne mitiori, minusque crudeli & ancipiti modo curari vesicæ calculus, quam sectione; secundo an impediri saltem possit augmentum calculi, atque averti gravissima illa symptomata, à quibus interitus imminet; denique an sectio commode & absque periculo vitæ differri possit in proximum ver, cum sibi vix liceat per gravissimas occupatiönes anceps hoc remedium hac tempestate experiri.*

Ad primum respondeo, curari quidem aliquando vesicæ calculos ope medicamentorum, multorum casibus exploratissimorum, quæ Illustrissimus Dominus legere potuit ad *Horatium Augentium & Ferdinandum Epiphanium*, quale hoc anno compertum est efficacissimum in

casu *Hieronymi Moneginæ ex Ord Min. conventualium S. Francisci*, emplastrum ex Cæpa alba cocta in vino albo, calide admotum pubi, quo bis repetito, calculum triennio in vesica gestatum in minutissimasque particulas divisum eminxit, pristinamque sanitatem recepit; vix tamen esse quicquam sperandum ex horum remediorum usu, in casu Illustrissimi Domini, quandoquidem multis validissimisq; medicamentis calculum frangentibus usus est, per multum tempus, non modo sine juvamento, sed etiam cum damno, provocata nimirum majori, quam antea, humorum copia ad vesicam; unde conjicio, calculum in eo concretum non esse friabilem, & ex arenulis tantũ sibi mutuo cohærentibus compactum; sed durum & ex crasso, lentoque muco firmissime obdurato concretum, qualis exsectione sola tollitur. itaque Lithontriba denuo tentanda esse non arbitror, ne provocato majori fomite lapis citius augescat, nisi forte externum illud emplastrum experiri placet, quod absque ullo periculo fieri potest.

Sectionem vero tentare placeret, quæ licet periculo non careat, utcunq; tamen tuta

tuta esse observatur, si in peritum inciderit artificem, qualis est *Iohannes Maria Nursinus*, Lithotomus Venetiis degens; sub cujus cura ausim salutem polliceri, cum calculus neque sit tam grandis, ut magnum vulnus requirat ad extractionem, neque tam exiguus, ut difficulter apprehendi possit, neque tam friabilis, ut apprehensus rumpi valeat, & in particulas dissilire.

Ad 2 *respondeo*, non posse multo tempore impediri lapidis augmentum, quia fluxio ad partes urinarias revocari omnino nequit: unde ex continua excrementi adhæsione aliquod incrementum, etsi lentum, accedere lapidi necesse est. Quæ causa est, ut calculi accidentia mitigari non possint, sed pro calculi augmento necessario increscant. *Hinc patet tertii quæsiti solutio*, an sectio differri possit in medium annum absque periculo. Cum enim lapis grandior eo tempore sit evasurus, necessario dolores augebuntur, & fortasse ex continua vesicæ attritione, vel ulcus in ejusdem collo, vel gangræna excitabitur, quibus præsentibus nequaquam sectio tentatur. Ergo quam citissime cogitandum est de remedio, quod uni-

unicum supereſſe videtur, ſectione inquam, & ad hanc præparandum eſt corpus. Quod ſi hoc tempore id facere vel nolit, vel non poſſit Vir Illuſtriſſimus, danda eſt opera, ne malum increſcat & calculi accidentia ingraveſcant, quoad ejus fieri poſſit. Impedietur calculi augmentatio, ſi fluxio divertatur à renibus & veſica, ſi optimo victu, partiumque affectarum, & inprimis capitis corroboratione inhibeatur copioſi excrementi regeneratio, denique ſi urinariæ viæ interdum emundentur miti aliquo remedio, poſt debitam corporis expurgationem, ne videlicet ſecum rapiant pravos humores ad veſicam. Pro diverſione humorum utiles eſſent duo fonticuli, alter in brachio ſiniſtro, alter in crure dextro, à quibus multum utilitatis oculis quoque adferetur. Conveniet quoque frictio extremorum facta matutinis horis, & frequens uſus fl. caſſiæ extr. ℥ ſs. paulo ante cibum, quæ etiam urinæ acrimoniam utcunque leniet. Huic intermiſceri poterit uſus pilularum de Aloë cum ſucco Roſ. ſi ad ℈ j. ſemel aut bis in hebdomade paulo ante cœnam aſſumantur. Pro capitis & oculorum corroboratione placet

cet uſus conſervæ Anthos, Eufraſiæ & Roſ. in æquis portionibus, ſi ℥ ij. utatur à cœna, vel mane, per 4. horas ante prandium, per multos dies. Placet quoque aſſiduus uſus per totam hyemem vini medicati, cum China, Lentiſco, Betonica, Eufraſia & Roſis. Ad mitigandam urinæ acrimoniam præſtantiſſimus eſt pulvis ex *una parte ſacchari candidi violati, & duabus partibus pulveris radicis Althææ*, ſi ſumatur quotidie cochlearis menſura ex momento vini albi, duabus circiter horis ante prandium. Conferet etiam illinitio pubis cum oleo amygd. d. expreſſo ſine igne. Interim neceſſaria eſt quoque victus ratio optima. Eligatur aër minime nebuloſus, ventiſque obnoxius. Victus, quoad ſubſtantiam, ſit boni ſucci, ideo caveat eſum multorum piſcium, & bonis parce veſcatur. Abſtineat fructibus, exceptis paſſulis, pomis & piris coctis. Eligantur carnes pullorum domeſticorum, avicularum montanarum, vituli lactentis, hædi; item ova gallinacea recentia. Quoad qualitatem, vitentur acria & ſalſa, item vaporoſa, uti lac, & craſſa, glutinoſaque, uti lacticinia, bellaria non fermentata. Quoad quanti-

tatem

tatem cœna ſit parcior duplo, quam prandium. Somnus ſit moderatus, & ad illum non ſe componat, niſi duabus horis exactis à ſumto cibo. Vinum ſit potius album, ſubſtantia referens aquam, non intenſi odoris. Ambulatio ſit familiaris, ſed lenis, & ante cibi ſumptionem. Noxia eſt diuturna ſeſſio, & violentus quicunque motus, vel equitationis, vel vectionis. Quod ſi ſectionem meditetur, purgari debet per decem dies circiter ante operationem; ſed medicamento blando, ſubtrahente potiſſimum calidos humores, qui fluxionem irritare poſſent ad veſicam cum inflammationis periculo. Itaque vel capiet Syr. roſ. ſolut. & mannam, in potione, vel caſſiæ flores in bolo. Tum per 5. dies ſumet juſculum alteratum cichorio, ſoncho, taraxaco, portulaca, cum Syrupo acetoſo: & altero die, quo hoc juſculum ſumet, curabit ſibi mitti ℥ vj. circiter ſanguinis ex jecoraria dextra. Poſt ſextum diem repetet jam dictum pharmacum. Victus eo tempore debebit eſſe mediocris, quia plenior augeret plenitudinem, unde imminet periculum inflammationis; tenuior vero dejiceret vires, quæ in ſectione validæ

esse debent. Triduo ante sectionem abstineat vino, ut sanguis sit quietior, & abstineat ab omni cibo, & condimento salso, & aromatico. Modus operandi & secandi dimittendus est peritis Lithotomis, in quorum dexteritate tota patientum salus versatur. Post operationem id est agendum IllustrissimoDomino, quod agendum esset, si aliam ob causam vulnus in vesica accepisset. Nimirum utendum victu tenui, absque vino, usque ad ulceris agglutinationem, in qua procuranda hoc tantum moneo, transacto inflammationis periculo, præsentissimum esse ad citam agglutinationem Balsamum Occidentale, vulneri instillatum, superpositis quoque filamentis eodem Balsamo imbutis.

Ioh. Prævotius, Rauracus, Medicinæ pract. Professor. Patav. & Horti Medici Præfectus.

CON-

CONSILIVM V.

Ex Italico idiomate in Latinum translatum.

REgimen, quod Generosissimus Dominus per hanc hyemem observare cupit, quo calculi augmentum, quantum fieri poterit, in vesica impediatur, debet esse tale, ut primo minus incrementorum pituitosorum & biliosorum in corpore generetur, & ut deinceps excrementa genita & collecta evacuentur, aut divertantur à renibus & vesica. Inserviet etiam ad futuram incisionem, facilem lapidis extractionem, & simul vulneris citam, tutamque consolidationem, hunc servare ordinem. 1. Laudo, ut accipiat hac hyeme ter quaterve sequentem potionem horis quinque ante prandium.

℞. *Fol. Cichor. Beton. Agrimon. Cap. Veneris.*
Borrag. Sonchi ana P ſs.
Vvar. passul. prunor. Damasc. ana ℥ ij.
Rad. Gramin. ℥ ij. *bulliant ad* ℥ iij.
Colaturæ infunde per noctem,
Fol. Senæ, ℥ ſs. *Agar. trochisc.* ℈ iiij.

Flor. Violar. Malvæ ana P j.
Glycyrrhizæ ℈ j.
Expressioni adde Mannæ el. ℥ j.
M. F. potio ℥ iiij.

Aliis diebus, summo mane, sumat hanc potiunculam, sed prius mittat sese in balneum, quod usque ad mamillas pertingat, factum cum herbis subjiciendis:

℞. *Pariet. Violar. Malvæ ana M iij.*
Furfurum M vj. Gran. Alkekengi ℔ ß. M.

Potiuncula sive decoctum debet esse hoc:

℞. *Fol. Malvæ M j. Equiseti M ß.*
Cicer. rub. ʒ ij. Gran. Alkekeng. num iij.
IV. sem. fr. major. mund. an. ʒ ß.
Milii-solis ʒ j. Glyc. ℈ j.
Bulliant s. a. ad ℥ iiij. adde colaturæ pulv. Lap. Spong. ʒ j. M. f. potio brevis.

Laudo præterea clysteres infra scriptos per aliquot vices, singulis septimanis ad minimum semel. Diæta erit talis: pro potu utatur aliquando decocto sive Clareto, aliquando vino temperato, & diluto aqua cichorei, vel malvæ. Laudo supra modum Sorbetum illud Turcarum, Sy-

rupum nempe Conſtantinopolitanum: Aliquando bibat aquam hordei cum paſſulis, & ſem. coriandri, prout plus minuſve caloris p. n. in corpore deprehenditur.

Pro cibo laudo carnem vitulinam, vervecinam, juvenem, aſſam & elixam, aves montanas, turdos, perdices: laudo inſuper alias quoque aviculas, item lepores, carnes bovillas, cum raphano ruſtico, vel petroſelini radice, vel carottis luteis, vel paſtinacis, vel rapis præparatas: item piſces marinos, paſſeres, truttas, lucios aſſos, aut cum oleo & aqua, & petroſelino coctos, minutimque diſſectos. Poterit etiam comedere mala perſica cocta, poma dulcia, aut pruna; vitet vero carnem ſuillam, aliaſque aves aquaticas. Laudo rapas, napos & carottas luteas, cum pauxillo butyri ſub veſperam coctas. Si erit præſcribenda regula, quæ convenit per dies decem, aut duodecim ante inciſionem, quæ ſerviat ad refectionem renum & veſicæ, quo minus inflammatio ad vulnus concurrat, tunc temporis laudo, horis veſpertinis, ova duo recentia, ipſo die parta, & hordeum coctum cum juſculo, vel aqua cum butyro

recenti, vel panatellam factam cum aqua & pauxillo butyri, item placentam ex duobus ovis conquassatis, cum pauxillo lactis, sive emulsionis sem. Melon. recentis. Horis vero matutinis jusculum cum pane, de carne vitulina assa, & elixa: Vitando in edendo & bibendo omne illud, quod poterit renes & vesicam calefacere.

Claretum fieri debet aquosum, non adeo generosum, cum paucissimis speciebus, quantum licet. Equitando tunc temporis sese non fatiget, nec etiam frequenter plaustro vehatur: eat modice.

Ad maculas crurum accipiat pulverem ex Sinapi cum aceto in formam linimenti redactum, & post sudorem crura inungat. Clysteres erunt facti cum jure pingui, vitello ovi, ℥ j sacchari, & ℥ iij olei amygd. d. in pauca quantitate, & non valde calidi; ac si fortassis Generosiss. Baro sentiat ventositates, misceat ℥ j olei de Chamæmelo, &c.

Adrianus Spigelius, Bruxell. Chirurg. & Anatom. Prof. P. Patavii.

CON-

Consilivm VI.

CVm Illustris & Generosus Dominus à Medicis multis multa collegerit consilia, quæ ratione essentiæ, morbi, causæ, accidentium, & partis affectæ plena sunt & plana, nolo in superfluis conterere tempus, sed prætermissis ambagibus rem ipsam aggrediar.

Quod V. G. calculo vesicæ laboret, manifeste patet ex tentamine cum Syringa, qualitate & doloris situ. Dolent enim epigastrium, pecten, & perinæum, præsertim in motu violentiori, quæ indices sunt vesicæ affectæ per calculum, siquidem in Generoso Domino patiente vesicam per se non esse læsam, actiones & excreta attestantur. Calculo deprehenso, cœptum est cogitari de curatione ejus tuta; dubitari vero, an sectione auferendus. nec quidem immerito, cum operatio Chirurgica, *teste Hippocrate*, sit periculosissima, præsertim in senili subjecto, in disposita minus corporis constitutione, & tempore operationi inepto. Inde non temere & præcipitanter ad sectionem accedendum duxi, præcipue cum aliqua spes in dextro

medicamentorum uſu &accuratiori diætæ obſervatione affulgeat, quando lapis nō adeo durus & magnus deprehenditur, urina non impeditur, dolor tolerabilis, motus commodus, & per urinam multa ſabuloſa, & viſcoſa materia adhuc libere excernitur. Verum extra controverſiam eſt, quod calculus inveteratus ac firmiter compactus, ſeu in ſiliceam duritiem concretus, nullis medicamentis comminui, liquari, ac reſolvi poſſit; è contra mollis, rarus & ſpongioſus nulla cum difficultate. Curatio calculi tutiſſima in materiæ viſcoſæ, quæ arenulam colligit & cogit, evacuatione conſiſtit, nec non impediendo, quo minus ea ibi generetur: illud fit pharmacia, hoc diæta. Cum Generoſus Dominus ſit calidioris hepatis, renumque, ventriculi imbecillioris, & bilioſæ conſtitutionis, vehementiora, calidiora, & corroſiva ſumme ſunt fugienda, & manendum in detergentibus, aperientibus, & incidentibus, qualia ſunt clyſteres lenes, & detergentes, vomitus lenis, cum natura ad illum proclivis: deinde ſumme proſunt ſequentia ſæpiſſime in plurimis cum fructu probata.

℞. *Sem.*

℞. *Sem. Malvæ Alth. ana ʒ iij.*
4. fr. major. ana ʒ j.
Hordei mundi ℥ ij.
Cicer. rub. ℥ iij.
Caricar. ping. num. ix.
Sebesten num. vij.
Glycyrrh. rasæ ʒ vj.
F. horum omnium decoct. in aq. simpl. ℔ iij. ad medietatis consumpt. de quo decocto ad placitum per biduum bibatur. Vel sumatur *syrupus de Althea Fernelii ℥ j ſs. Aq. Fabar. ℥ ij.* Misce pro haustu.

Pro lenienda alvo hæc debent esse in usu.

℞. *Terebint. lotæ cum Aq. raphani ℥ ſs.*
Gran. Berb. minutiss. concis. & in aq. portulacæ per noctem infus. ʒ ſs.
Pul. succini al. opt. pp. ℈ j.
Ol. Amygd. dul. q. s. M. cum sacch. fiat Bolus.

Si magis placet absque Terebinthina:

℞. *Flor. Cassiæ n. extr. ʒ vj.*
El. Diasebesten ʒ ij.
Extr. rhabarb. ℈ j.
Succi liquir. ℈ ſs.
Cum sacch. q. s. fiat bolus.

Si magis placet potio:

℞. *Flor. cassiæ recent. extr.* ℥ *ſs.*
El. de ſucc. roſar. ʒ *ij.*
Tartari vitriolati ℈ *j.*
M. cum aq. petroſelini & parietar.
q. ſ. f. hauſtus.

Vel ſumantur *pilulæ de Terebinthina.* Fortiora Morbus hic non fert, quod in frangendo quoque lapide obſervandum, ubi illa medicamenta plurimum valent, quæ habent parum ſubſtantiæ, & multum qualitatis, & non ſapiunt corroſivum & lixivium, inter quæ mihi probantur *ſpiritus ſalis & vitrioli dulcis*, item *ſpirit. Terebinthinæ, Ol. Cryſtallor. & ſuccini, Tartarus vitriolatus, ſal ſtipitum fabarum, Ononidis &c.*

Vltimo, ſilentio non præteribo ſecretum *Iohan. Bapt. Theodoſii.* à quo ſe minime deceptum prædicat:

℞. *Fol. Althææ recent. manip. j ſs.*
Butyri recent. ℥ *iij.*
Mellis lib. ſs. Bulliant in aq. q. ſ. ad 3. de quo bibatur calidus hauſtus brevis, mane & veſperi.

Hæc pro temporis anguſtia currente calamo: faxit Deus, ut omnia feliciter ſuccedant. Ratisbonæ.

Iohan. Freitag, Med. D.

EVEN-

EVENTUS.

CUm Illustriss. & Generosiss. N. N. per annos aliquot Experientissimorum Medicorum & Chirurgorum judicia varia de dolorifica corporis sui affectione collegisset, tandem sub finem fere Iulii Mensis, anni currentis, huc sese contulit, ut peritissimi Lithotomi nostri, Ioh. Iacobi Merckii dexteritate, per sectionem, à vesicæ calculo, tot annos eundem hactenus affligente, liberaretur. Quo autem corpus alias inflammationibus obnoxium, eo magis ad operationem istam disponeretur, acidularum usum præmittere voluit, tam intemperiei calidioris temperandæ causa, quam etiam ea propter, ut adhibitis simul aliis convenientibus mediis primæ viæ circa viscera concoctionis, una cum renibus & vesica, eo magis purificarentur. Mox igitur, hic Vlmæ uno atque altero Enemate adhibito, Vberlingam ad Acidulas sese contulit: ubi reiteratis aliquot vini laxativi dosibus, per octiduum cum διφορίᾳ potum Acidularum continuavit. Quo facto vicissim Vlmam abiit, eo fine, ut decrescente Luna, simul aëris ambien-

ambientis intemperie non admodum calida concurrente, negotium ſectionis inſtitueret. quod ut eo felicius σὺν Θεῷ ſuccederet, Claretum laxativum per triduum uſurpavit; ſuccedente ſanguinis per V. S. detractione, die $\frac{31 \text{ Iulii.}}{10 \text{ Aug.}}$] 1626. necnon ſubſequenti octiduo naturæ quietem concedendo, diætam exquiſitam & moderatam obſervando, vinumque penitus vitando, non neglectis interim alterantibus temperandi ſanguinis bilioſi gratia ſæpius de Conſerva Rad. Cichorii, roſar. corticib. citri cond. & Magiſt. Corall. rub. de emulſionibus appropriatis, de Syrupis convenientibus, de juſculis alteratis, decoctione herbarum & rad. &c. una cum iteratis enematibus, ex emollientibus & refrigerantibus decoctis, cum oleo roſato & violato permiſtis &c. non intermiſſo uſu Syrupi papaver & ſimilium veſpertino tempore ad ſomnum promovendum utilium, aliquid aſſumendo. Quibus continuatis die $\frac{7}{17}$ Aug. fuſis primo ad Deum precibus, ſectioni artificis ſupra dicti, Illuſtriſſimus Generoſiſſimuſque Heros ſeſe ſubjecit. quæ ad votum Illuſt. Generoſ. ſuæ protinus ita fuit peracta, ut abſque ulla

mora,

mora, prima apprehenſione calculus duarum unciarum, lævis, ſolidiſſimus, & maxime compactus, extraheretur. Huic operationi licet nullus Medicorum intereſſet, utpote cum noſtram præſentiam ob inſignem pudorem Generoſiſſimus non expeteret, ita tamen eandem peractam fuiſſe vulnus ipſius ſectionis nobis poſtea monſtratum teſtabatur, ut nihil quicquam deſideraretur. Sed quid fit? vix juſto convenientique modo reponitur Generoſiſſ. æger, & ecce! dolores pungitivi circa regionem veſicæ ſuboriuntur, eo uſque ut nox prima poſt ſectionem laborioſa ſatis eſſet. Cum autem fomentatione circa veſicæ regionem adhibita dolor pungens, ipſaq; urinæ retentio leniretur, tandem una cum urina grumi ſanguinis in veſica concreti per vulnus rejiciuntur, quibus rejectis, nox quieta magis ſubſequitur. At die poſt ſectionem quarta $\frac{10}{20}$ Aug. pungitivi dolores cum interno ardore totius infimi ventris ſub umbilico tam miſerabiliter ægrum invadunt, ut noctem integram ejulatibus conſumeret. qua de cauſa nihil aliud, quam inſignem veſicæ, finitimarumq; partium inflammationem
inde

inde colligebamus, inprimis & vulnere, & toto perinæo, cum ſcroto, livore nigreſcentibus. Omni igitur ingenio, tam iis, quæ per os aſſumuntur, quam etiam enematibus & injectionibus in veſicam, una cum externis etiam, malo huic obviam ivimus, ſed fruſtra penitus, magis magiſque viribus vitalibus ſuccumbentibus; donec Generoſiſſ. Heros $\frac{13}{23}$ Aug. circa ſextam matutinam pie expiraret. cujus anima cælitus æternum vivit; corpus autem quod mandato defuncti Illuſtr. & Generoſiſſ. ad iter in Patriam ad ſepulturam condiendum erat, ſequenti modo fuit inventum. Caput non apertum, ſed ad petitionem integrum relictum, & infuſione convenientium per nares & aures præſervationis gratia fuit præparatum. In pectore nihil p. n. obſervabatur, niſi quod pulmones in ſiniſtra parte totius cavitatis pectoris membranæ coſtas ſuccingenti eſſent firmiter annexi. Veſicula fellea copioſa bile referta calculos habebat numero xxx. quorum unus inſtar caſtaneæ nucis, coloris ſubflavi, pondere ℥j. alter inſtar nucis avellanæ pondere ℥ſs. reliqui vero minores erant, & inſtar melonum, corian-

dri,

dri, miliique ſeminum conſpiciebantur. Ventriculi, lienis, jecoris, renum, & inteſtinorum ac meſenterii conſtitutio naturalis erat, uſque ad inferiorem inteſtini recti ſitum; ubi veſica plus juſto craſſior atque carnoſior, cum adjacente prædicti inteſtini parte, propter excedentem inflammationem ſphacelo correpta, penitus nigricans, interioris ſuperficiei ratione, conſpiciebatur, alias integra, nec ullibi læſa, præterquam eo in loco, ubi per vulnus in collum ejus ſtylo exploratorio tranſitus dabatur, quod vulnus ita comparatum erat, licet jam etiam inflammatione communicata liveſcens, ac nigricans, ut, reſpectu latitudinis, perinæi ſeptum non attingeret, nec anum vel ſcrotum, reſpectu longitudinis, afficeret. unde colligendum firmiter, præſertim cum primis diebus vulnus omni aliena qualitate deſtitueretur, accidens illud non à vulnere, ſed ab interna cauſa plenitudinis ſuam originem habuiſſe. quocirca partibus dictis omnibus exemptis, interior abdominis muſculoſa ſubſtantia ſurſum verſus uſque in pectoris cavum corruptione nigra ſuffuſa quoque conſpiciebatur. Quæ omnia ad peti-

petitionem miniſtrorum Ill. & Generoſ. D. Baronis demortui, prout peracta fuerunt, nos infra ſcripti Medici, qui vocati præſentes ut plurimum conjunctim fuimus, teſtari voluimus. Actum Vlmæ Suevor. $\frac{13}{23}$ Aug. Anno MDCXXVI.

Gregorius Horſtius, D.
Ioh. Regulus Villinger, D.
Sebaſt. Stromajerus, D.

Aqua Antinephritica

Eidem Ill. & Generoſiſſ. Baroni à Religioſo quodammodo Gallo communicata.

℞. *Rad. Fœniculi,*
Eryngii marini,
Petroſelini ana lib. iij.
Fruct. Roſar ſylv.
Viſci Quercini ana lib. j.
Sem. Bardanæ major.
Minor. ana lib. j ſs.
Sem. urticæ,
Saxifragiæ,
Petroſelini ana ℥ vj.
Fiat infuſio in lib. xx. vini Malvat.
dicti

dicti Malvasia de Garbo. Huic infusioni adde

Succi limonum,
Parietariæ,
Raphani,
Petroselini ana lib. iiij.
Misce omnia. & destilla in B. M. usque ad fæces.

℞. *Salis urinæ humanæ,*
Ex Charabe,
Mercurialis ana ℥ j.

F. infusio horum in prædicta aqua, & servetur: usus aquæ erit ℥ iij. cum gutt. v. spir. vitrioli quatuor hor. ante prandium, purgato optime, ut decet, corpore.

FINIS.

Ad

Ad virum Clarißimum

D. IOH. BEVEROVICIVM,

Scabinum & Medicum excellentissimum, cum libellum de Calculo sub prœlo haberet.

IActet Arabs, Grajusque suos, jactetque peritos
Artis Apollineæ Roma superba viros;
Non minor exsurgit Dordrechto gloria per te,
Phœbeæ doctas dum seris artis opes.
Utile commisces dulci, jucundaque pandis
Dogmata, vel seræ posteritatis opus;
Abditaque enodas, quæ quondam prisca vetustas
Credidit incertas semper habere vices.
Magne vir, addictas cui qui negat esse Sorores,
Ille simul Phœbum lumen habere negat:
Mente sagax, veterum qui res indagine volvis,
Et quæ præcipue sæcula nostra ferunt.
O genii felix! à quo ceu fonte perenni
Ambrosius manat, Pegaseusque liquor.
Illustrem hoc uno se jactat patria cive,
Gaudet & antiquis Belga tulisse parem.
Perge, ô, nec cessa bene cæptum absolvere fœtum,
Et videant lucem, qua meditata foves.
Nobilior fœtus toto haud nascetur in orbe,
Quam si hostis lapidis, te meditante, venit.
Vix ullus tibi morbus obest: sed dira nephritis
Renibus insidias vix medicanda struit.
Ede laboratos igitur, vir docte, libellos,
Ede: nec ulterius supprime si qua latent.
Sic faveant Musæ, sic te comitetur euntem
Laus alma, illustris gloria, grandis honor.
Utque suos prisci celebrarunt ante magistros,
Nostra celebrabunt sæcla Bevervicium.

Ponebat Collegæ suo

CORN. à SOMEREN Med. Doct.

IN-

I N D E X.

A.

Ari-

B.

C.

Colici

D.

E.

F. Fer-

F.

G.

For rest of index see end of volume


IOH. BEVEROVICII
EXERCITATIO
IN
HIPPOCRATIS
APHORISMVM
de Calculo

AD N.V.
CLAVDIVM SALMASIVM
Equitem, & Conſ. Regium.

Accedunt ejuſdem argumenti
Doctorum Epiſtolæ.



LVGD. BATAVORVM,
Ex Officinâ Elſeviriorum.
cIↃ IↃ c XLI.





IOHANNI BEVEROVICIO,
Philosophiæ, & Medicinæ Doctori, & in re Medica versatissimo,

BENEDICTVS SYLVATICVS S. D.

Perillustris, & Excellentissime Domine,

QVemadmodum à studiosissimo, & eruditissimo hoc juvene mihi consignatæ fuerunt literæ tuæ Exc^{tiæ}. datæ sub VI. *die mensis Maii proxime præteriti, ita in ejusdem reditu in patriam,* Exc^{tiam}. *tuam resalutandam duxi in confirmationem antiquæ nostræ benevolentiæ, admonens me nondum ab* Exc^{mo}. *Veslingio recepisse opus tuum de Calculo renum, & vesicæ, quod libentissime vidissem, certò mihi persuadens, non nisi perfectum opus à tuis manibus emanasse. Et revera* Dignotio Calculi Vesicæ *indies mihi redditur magis recondita. Ante quatuor menses consului pro nobili Veneto stranguria detento ab aliquot*

menſibus poſtquam ceſſaverat dolor articularis, cum ſubſidentia materiæ craſſæ, viſcidæ, & tartareæ in urinis, ideoque judicavi illum calculo veſicæ laborare, quanquam nullæ præceſſerint arenulæ. *Rediit Venetus, curatus fuit diureticis refrigerantibus, lacteque caprillo, meliuſque habere viſus fuit, tuncque experimentum factum fuit cum cathetere, & cum candela cerea, neque calculus fuit inventus, ex quo deveneram in opinionem, nullum adeſſe calculum. Iter habuit in curru & in equo, abſque ulla moleſtia majore, mox ante menſem ardentiſſima febre correptus fuit ex pituita ſalſa, cum maxima albedine & lentore linguæ, cum ſiti inextinguibili, vigiliis, & extenuatione corporis. Ex qua pituita ſalſa judicavimus poſuiſſe provenire etiam Stranguriam. Obiit tabefactus. Diſſecto cadavere invenimus in Veſica Calculum magnitudinis ovi gallinacei, in Rene dextro alium Calculum minorem triangularem, in Rene ſiniſtro abſceſſum jam ſuppuratum, jecur, veſicam, inteſtina eryſipelate detenta, ex qua inflammatione eryſipelacea obiit, cum præſentia tamen calculi, quanquam de ipſius præſentia dubitatum*

fuerit,

fuerit, neque tamen erat mucositate, aut membrana aliqua involutus, ut hinc impediretur attactus ipsius. Hoc dixi, & annotavi, ut hinc pateat Calculi præsentiam in vesica non semper notis innotescere, licet sit eximiæ magnitudinis, propterea gratissimum fuisset annotare signa diagnostica, proposita à tua Exc^tia. quam toto corde saluto, & per longum tempus incolumem desidero. Dabam Patavii XXXI *Augusti* cIɔ Iɔc XXXIX.

BENEDICTO SYLVATICO,

Equiti nobilissimo, & in Academia Patavina ordinariam Medicinæ practicam primo loco, & prima cum laude profitenti.

IOH. BEVEROVICIVS S. D.

SVmmo cum gaudio iterum accepi literas tuas, quibus me antiqua eruditione, & nec loci, nec temporis longinquitate antiquata benevolentia complecti dignaris, Sylvatice, Equestris, & Apollinei ordinis decus. Recte profecto te docuit diutinus usus, acri judicio subactus, verissimum esse, quod dixit ordinis

noſtri princeps, *κρίσις χαλεπὴ*, *Iudicium difficile.* Hinc ſcribis dignotionem Calculi veſicæ indies tibi magis reconditam reddi, afferſque nobile calculoſi exemplum, in cujus renibus & veſica poſt obitum inventi calculi, cum vivus nullas excreviſſet arenulas, ſed tantum materiam craſſam, viſcidam, & tartaream in urinis ſubſidentem: At hanc potius, quam *ψαμμώδεα*, ſive arenas cum urina emiſſas, certum eſſe ſignum calculi veſicæ, & quidem grandioris, me quoque docuit diutinus uſus. Hujus cauſſam in libro meo demonſtravi, à nemine demonſtratam. Quomodo igitur Arenæ in excreta urina ſubſiſtentes haberi poterunt, ut nonnullis viſum, pro certo & indubitato Calculi veſicæ ſigno? Summus medicinæ dictator, & parens, author laudatur. Sed qui ita intelligit verba Hippocratis, illaqueatus manet phraſi Hippocratica, irretitus rationibus, implicatus experientia. Aphoriſmum divini ſenis, cum is olim Patavii in ædibus Exc^mi^. Sanctorii, collegæ tui, *τῷ μακαρίτου* futuro candidato ſorte, uti apud vos fieri amat, obveniſſet, præter mentem interpretum medicorum, non autem medicinæ, ut mihi

qui-

quidem adhuc videtur, explicaveram. Longo poſt tempore conſcribens libellum de Calculo, (quem te jam vidiſſe non dubito, ſed, niſi affectui indulgeas, probaſſe) cum animadverterem ea de re apud noſtros οὐδὲν ὑγιὲς, ac pleroſque difficultatem notaſſe, ſuſtuliſſe neminem, dum vagantem, vel errantem aliorum opinionem aucupari nolo, operæ eſſe duxi meam proponere, ſed ut olim conceptam adoleſcenti, nulla aſſertione approbatam. Malui enim, ſi quis meliora, quod non dubitabam, afferret, parum confirmatam ſponte remittere, quam penitus inſitam, veluti nova potius, quam bona ſcribenti, σαρκαστικῶς evelli. Namq;

Πάλιν δρομῆσαι μᾶλλον, ἢ δραμεῖν κακῶς,
Satius recurrere, atque ut curras male.

Medicinæ apud nos profeſſor vulnus per literas interpretes monſtravit, ſed medelam, quod maluiſſem, interpres ipſe non attulit. Quare negotii mei eſſe putavi in rem ipſam altius inquirere, &, quia voti compos aliter fieri poſſe deſperabam, ad ſummum eruditionis oraculum confugere. Sed cum Vir nobiliſſimus ea reponeret, quibus plane aſſentiri non poſſem, volui ipſe quid tentare,

& collidendo ejus rationes cum meis, ſcintillas veritatis elicere. Quam fœliciter, facio judicii tui, cui doctiſſimo, & experientiſſimo doctori meo, mea omnia lubens meritoque ſubjicio. Æternum numen veneror, αἰδεσιμώτατον ἐμοὶ κάρα, te in iſta viridi vegetaque ſenectute diu ſervet incolumem. Dordrechti Nonis Januarii CIↃ IↃC XLI.

CLAVDIO SALMASIO,
Equiti, & in ſanctiore conſiſtorio Regis Chriſtianiſſimi Conſiliario,

IOH. BEVEROVICIVS S. D.

CRebriora & majora ſunt tua, Vir nobiliſſime, in immerentem beneficia, quam ut verbis gratiæ tibi agendæ ſint. Egregio operi præfationem illam defuiſſe mallem. Quod vir magnus, &, ut vere ſcribis, amicus meus ὁ πάνυ, eam libelli famoſi loco habeat, nullus miror. Plus enim ejus famæ obeſt fulta tot rationibus tanti viri oratio, quam famoſus alicujus ſycophantæ libellus. Sed, me etiam in eadem eſſe ſententia, unde colligas, *plane ac dilucide à me expreſſum,* equi-

quidem profectò plane ignoro. Id enim antum dixi, vel dicere volui, poſſe illud ccidens abeſſe, ut loquuntur Logici, ſiie ſubjecti corruptione. Quis hoc neget? Scilicet Salmaſius minus erudite de Vſuris ſcriberet, niſi perſtringeretur nomen ejus viri, qui jam tot annos, ut decus & ornamentum Academiæ, ab omnibus eruditis cultus eſt. Sed Satyras alios pro ſcuto habere quis probet? Verum

Non noſtrum inter vos tantas componere lites.

Non fuit certe in noſtra manu. Noſti enim omnes me olim nervos intendiſſe, ne parva ſcintilla, quod tum præſagiebat animus, in magnum aliquando erumperet incendium. Nunc jacta eſt alea, & eo progreſſum, unde vix datur referre pedem. Sed & hoc θεῶν ἐν γούνασι κεῖται, quibus non minus charum eſſe credo, ſi charitati litetur, quam ſi ſacrificetur veritati. Ego hic dego procul à Jove & fulmine, atque, humi dum ſerpo, nuper deſcribere aggreſſus ſum urbem noſtram, imò jam ad umbilicum duxi. Non Bataviæ, non Hollandiæ tantum me torſit, quantum Dordrechti etymologia, nec ulla mihi earum ſatisfacit, quas varii

varias attulerunt. Et hic inveni, quod (nisi sæpe nimis molestus sum) consulerem lubens βιβλιοθήκην ἔμψυχον. Locus est apud Plinium tuum lib. IV. cap. XV. *In Rheno ipso prope centum M. p. in longitudinem, nobilissima Batavorum insula, Caninefatum, & aliæ Frisiorum, Cauchorum, Frisiabonum, Sturiorum, Marsatiorum, quæ sternuntur inter Helium, & Flevum.* Hadr. Junius, in Bataviæ historia, authoritate vetusti exemplaris manuscripti pro *Sturiorum*, legendum esse censet *Tusiorum*; quam lectionem quoque sequutus est libro de antiquitate reip. Batavicæ clarissimus Grotius. Tusios hosce ponit Junius in septentrionali Hollandia, putatque eorum superstites reliquias etiamnum esse in pago *Oppertoes*, quasi dicas Vlteriores Tusios. At nullum hic Tusiis locum dari contendit Cluverius in Germania antiqua, & Junium manifesti erroris coargui indicat verbis Taciti, quibus *utrasque Frisiorum nationes usque ad Oceanum Rheno prætexi, ambireque immensos insuper lacus* gravissimus author affirmat. Sed Junius ipse, ut in re dubia refellere, & refelli sine pertinacia paratus, qui certiora argumenta prioris lectio-

lectionis, aut posterioris fideliora documenta contulerit, eum Apollinari laurea donandum censet. Quam ex Plinio Plinianis exercitationibus jam olim promerito non est quod ex hoc mustaceo laureolam proponere laborem. Iste tamen scrupulus me male habet, quod videam virum eruditum, qui nuper remp. Hollandiæ edidit, scribere ad gentis Tusiorum etymon *Thuridrechti* fortassean civitatis appellationem referendam. Non minus me movet vox ὑφίςαται, quam Hippocratis interpretes *subsident* vertunt, ego *sistuntur*; quod tanquam novum, veluti legem sine tabella, antiquatum volunt, qui vetera tantum vaticinantur. Vtinam tua authoritate, quæ merito omnibus pro cynosura, meam opinionem defendere, vel mutare liceat. Vt & hic, inspecta, si tanti, pag. cxxiii. libelli de Calculo, me docere velis, obnixe rogo. Vale, Nobilissime domine, & animum ejus memorem gratumque accipe, quem tot ac tantis amicitiæ pignoribus æternum tibi devinxisti. Dordrechti, prid. Kal. Quinctil. cIↃ IↃC XLI.

IOHAN-

IOHANNI BEVEROVICIO, Dordracenæ civitatis Senatori amplissimo, Medicinæque Doctori excellentissimo,

CL. SALMASIVS S.

MIrum verò, Clarissime vir, te iterum urgere de Satyra, & libellis famosis, quasi aut horum in quenquam aliquando auctor fuerim, aut satyram pro clypeo adversariis objectem. Non meum est talibus armis pugnare; sed eorum, qui satyras αὐτόχρημα, & γυμνῇ τῇ κεφαλῇ contra me scribunt, centum & quinquaginta versibus constantem, Scriverio alicui dedicatas, qui libellos famosos in meam aream conjiciunt, qui minantur se baculis ad necem usque me esse contusuros, & in canalem conjecturos, ut ibi largius consueto Batavas aquas bibam. Hæc igitur quæ mihi opprobras, illis sunt occinenda qui arte alia aut telis aliis non possunt se defendere quam satyris & libellis famosis. Si cujusquam fama ruit tibi amici, non per me, aut mea opera hæc illi ruina accidit, sed per semetipsum, τοῖς ἑαυτοῦ πτεροῖς ἁλίσκεται. Ego ostendi tantum vulnera,

non

non feci ; nec impressi. An si quis false, aut inepte commentatus sit , & ego hoc detexerim ac prodiderim, debeo statim pro alterius famæ homicida traduci? Nisi indicassem, alium occupasset hoc facere. Si putant recto adhuc talo stare posse & falsa esse quæ in illis reprehendi vel deprehendi potius , tum mea ipsius ignominia fuerit, in me illa omnia recident quæcunque in illos dixi. Audeant igitur in hanc arenam descendere, & viri per me sunto. Quæ malum invidia est si non possunt aliter dicere, quin recte & optimo jure eos castigaverim, me in illos animadvertere, quæ prolata & probata utilitati publicæ ac literariæ cedant. Denuntio tibi & illis in limine adhuc eos esse, ludum jocumque , quæ jam dedi interpretari debere, prout erunt quæ sequentur post ista præludia. Ita cum bona conscientia quæ peccarunt redarguam, ut modestiam in me non desiderent nisi pergant pro truculentia accipere & quidem grassatoris, quod eos errare doceo. Quod ad Plinii locum, non possum Cluverii sententiæ accedere de utrisque Frisiorum nationibus. Certe ita & Plinius eos nominasset ut & Tacitus. At ratione caret ut nominatis Frisiis,

post

post duarum gentium vocabula iterum Frisios commemoret. Potius dixisset, Vtrosque Frisios. *Sed cum Frisios dixerit, quis non putet utrosque ab eo comprehensos? Scripti omnes quos vidi eo loco legunt* Tusiorum *pro Sturiorum, & inter eos Codex Regiæ Bibliothecæ antiquissimus & optimus. Vestrum est quærere qui sint illi Tusii, & an ibi locum possint habere, de lectionis antiquæ veritate tantum est, quod possim affirmare. Quod ad verbum* ὑφίσαται *attinet in Aphorismo Hippocratis, ut dicam quid sentiam non mihi videtur æque bene per* sistuntur *Latine reddi, quam ut vulgo reddiderant* subsident. *Rem ipsam videamus. Vt* sistuntur *illud tuum probes,* ἐν οὔρῳ *accipis pro in vesica. Quod neutiquam mihi arridet. Ipse Hippocrates contra est, qui* οὔρου *nomine plane intelligit urinam emissam, in cujus imo cum subsidunt* ἀμμώδεα *ex eo colligi pronuntiat vesicam* λιθιᾷν. *Ergo subsidentes in urina jam emissa arenulæ indicium sunt* κύστεως λιθιώσης. *Ponamus* ὑφίσαται *esse subsidunt, &* οὖρον *accipi pro* κύστει, *quid hoc erit, arenulæ quæ in vesica sistuntur, indicant vesicam* λιθιᾷν. *Ita diceremus ignem in foco positum signum esse ignis in*

foco

foco consistentis. Explicat ibi Hippocrates per quæ indicia colligantur morbi. Colligitur itaq; vesica λιθιῶν cum in urina excreta apparent subsidentia sabulosa. Non minus verus est Hippocratis aphorismus quod multi arenulas reddunt cum urina qui nunquam nec renum nec vesicæ calculo afficiuntur. Nec quod multi calculo laborant, qui tamen non fundunt arenulas aut sabulosa. Vbi fumus apparet, certum est ibi ignem esse, non tamen ubicunque ignis est, ex eo loco necessarium est fumum exire. Nam & ignis plerumque sub cinere latet, qui fumo non proditur. Sic & in renibus & in vesica multi calculos habent, quorum tamen indicium per urinam sabulosa effundentem non proditur. Sed quisquis arenas effundit per urinas, quæ & in imo ejus urinæ subsidunt, certum est signum in ejus vesica arenas & calculos esse. Hoc est scitum Hippocratis. De renibus ideo nihil dixit, quia & quæ ex renibus provolvuntur arenulæ in vesicam descendunt, & ex vesica postea cum urina exeunt. Quæ porro in urina ubi excreta fuit, subsidunt, easdem antea in ipsa vesica subsedisse necesse est. Nec enim aliter fieri potuit. Atqui subsidentes hujusmodi

jusmodi arenæ in vesica omnino faciunt, ut λιθιᾷν dicatur. Quid enim quæso te ista ψαμμάδεα, nisi lapilli tenues? At quemcunque vesica tales habet ἄμμους, ut & ψάμμους, omnino λιθιᾷν dicitur. Ergo cum in urina quoque jam excreta subsidentes reperiuntur, utique indicium faciunt κύστεως λιθιώσης, id est lapillos vel arenulas habentis quæ per urinam excernuntur. Hic poteris illud Sutor ultra crepidam. Sed video dum tibi obsequor nihil me pensi habere ut traducar, & ridiculum me præbeam, qui non medicus tractem quod solorum medicorum promittere est. Certe nisi locus ille sic accipiatur, vix effugerit Hippocrates ille vester, quin rem falsam pro aphorismo constituerit. Quod esset turpissimum in tanto auctore. Vale, & me amare perge, quamvis amici tui parum amicus quia ipse non vult, nunquam certe inimicus futurus, quia id me non solum Christianitas prohibet, sed etiam humanitas. Iterum vale. Leydæ VII *Iunii* CIↃ IↃC XL.

Nobi-

Nobilissimo Viro,

CLAVDIO SALMASIO,

Equiti, & Cons. Regio,

IOH. BEVEROVICIVS S. D.

NEscio, quo fato, Vir Nobilissime, mea verba aliorsum, atque ego scripsi, iterum acceperis. Conquerebaris de iis, qui pro responso objiciebant Satyras; quas pro scuto habere, respondebam, nulli probatum iri posse. At hoc quomodo in te locum habebit, qui non scripseras? Sed de his plus satis. Pro veteri apud Plinium lectione restituta, summas habeo gratias; nec minores, quod me errore liberaveris in versione vocis ὑφίσταται. Quia tamen non videris sensum meum satis percepisse, dabis facile veniam, ut novi candorem tuum, si ea adduxero, quæ me in istam sententiam pertraxerint. Quod non melius fieri posse mihi persuadeo, quam si tuis ordine respondero. *Non arridere* tibi scribis ἐν οὔρῳ me accipere pro ἐν κύστει. Non mirum; quomodo enim tibi arridere possent tam ridicula, vel ipsi Heraclito ridenda? Absit ut ego contentum ita pro

con-

continente aſſerere auſim, qui nunquam audivi inter iſta *μετωνυμίας* exempla referre urinam pro veſica optimum doctorem meum Ger. Voſſium, qui diffuſe iſtam rem proſequutus eſt. Id tantum dixi vocem Οὖρον etiam ſumi pro ſero in veſica, antequam excretum eſt. At tu ſtatuis *οὔρου nomine Hippocratem plane intelligere urinam emiſſam.* Sed ſerum illud, antequam emiſſum, οὖρον vocari, ipſum Hippocratem auctorem dabo. Hinc & Galeno τὸ οὖρον ὡς ὀῤῥός ἐστι τῶν κατὰ τὰς φλέβας χυμῶν. Verba ſunt Hippocratis VI. Epid. Γλῶσσα οὖρον σημαίνει, quibus indicium peteret ex lingua, qualis eſſet urina, ſi οὖρον illi ſemper notaret urinam excretam. At de ipſa, ex emiſſæ inſpectione, quod faciunt Medici, longe certius judicari poteſt. Hoc eſt, veluti ſi quis de igne, qualis eſſet, cum ipſum videre poſſet, fumum conſuleret. Quare recte, ni fallor, interpretes, non de urina emiſſa, ſed de ſero ſanguinis exponunt, *Lingua ſerum, quale ſit, indicat.* Vbi Galenus ad meam quoque mentem τὸ οὖρον explicat, ἤτοι τὸ κυρίως οὕτως ὀνομαζόμενον ὃ καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἀποκρίνομεν, ἢ τὸν τῶν χυμῶν ὀῤῥόν. Hæc pro multis ſufficere credo ad

pro-

robandum, οὖρον Hippocrati significare
am urinam emiſſam, quam, quæ adhuc,
quod negas, in corpore ſubſiſtit. Sic &
οὖρα ἀπίστη ſæpius dicit de urinis ſuppreſ-
ſis; quæ certe nondum emiſſa. *Ponamus,*
inquis, *ὑφίσταται eſſe ſubſidunt*, (nec ipſe
negas) *& οὖρον accipi pro κύστι* (hoc mihi
affictum eſſe jam dixi, & ex libello edi-
to patet) *quid hoc erit, arenæ quæ in ve-
ſica ſiſtuntur, indicare veſicam λιθιῶν;*
Nihil aliud erit, quam verum calculoſæ
veſicæ ſignum, quod hic quærimus. Qua-
re fruſtra *ignis in foco poſiti, & conſiſten-
tis* exemplo ridetur. *Colligitur*, addis,
*veſica λιθιῶν, cum in urina excreta appa-
rent ſubſidentia ſabuloſa.* Qui hoc colli-
git medicus, exercitatis in arte ludibrium
debet. Non enim modo in ægrorum,
ſed & ſanorum urinis ſabuloſa ſubſidere
quotidie obſervant. Ac qui tales chirur-
gis ſtatim ſecandos traderet, næ ille plu-
res profecto

*Quam Themiſon ægros autumno occi-
deret uno.*

Pergis, *Non minus verus eſt Hippocratis
Aphoriſmus, quod multi arenulas red-
dunt cum urina, qui nunquam nec re-
num, nec veſicæ calculo afficiuntur.* Nec
quod

quod multi calculo laborant, qui tamen non fundunt arenulas aut ſabuloſa. Imo ob utrumque falſus & fallax eſſet divinus ille ſenex, qui Macrobio nec falli, nec fallere ſcivit. Neque majorem das ex fumo lucem, quale ego παράλληλον hic diſcutere ſuperſedeo. Mei inſtituti eſt, quod addis, *Sic & in renibus, & in veſica multi calculos habent, quorum tamen indicium per urinam ſabuloſa effundentem non proditur.* Recte, & in eo medicos habes ὁμοψήφους. Sed hinc recte etiam infero, Sabuloſa cum urina effuſa, ſi non præbent calculorum indicium, qui in renibus, aut veſica hærent, non poſſe haberi pro eorum ſigno, minus παθογνωμονικὸν, quale requiritur in Aphoriſmis. Mox accedis ad Hippocratem: *Sed quiſquis arenas effundit per urinam, quæ & in imo urinæ ſubſidunt, certum eſt ſignum, in ejus veſica arenas & calculos eſſe.* Imo tam certum eſt ſignum, ut vix aliud incertius. Quod Medici omnes, qui non tantum ex libris, ſed ex arte medendi & frequenti exercitatione ſapiunt, mecum confiteri debent. Quare neutiquam *ſcitum Hippocratis*, medicorum ſine controverſia principis. Galenus ipſe teſtatur

mani-

manifeſte errare Aphoriſmum, quia tantum veſicæ, non etiam renum facit mentionem. Sed nec hoc addito verum eſſe, vere aſſerit inſignis medicus Chriſtophorus à Vega, profeſſor Complutenſis. *Quandoquidem* (affero ipſius verba) *ſæpe videmus arenulas mingi, & hominem non laborare calculo renum, neque veſicæ, neque unquam laboraſſe.* Id ipſum & verba tua jam citata aſſerunt. Sed, quod ſequitur, plane militat pro mea ſententia. *Videmus multos*, inquit, *arenulas mingere, atque cum cohibentur, prædicimus calculum futurum. Cum enim ſemel excretæ fuerę, majorem movent calculi ſuſpicionem, cum retinentur, quam cum minguntur.* Nullum itaque Vegæ ſignum calculi, arenæ cum urina emiſſæ, ne quidem renalis, niſi ſubſiſtant, ſive ſiſtantur, in renibus aut veſica. Et hoc eſt ὑφίσταται, quod & in noſtro Aphoriſmo *ſubſiſtunt* vertit Medicus magni nominis Leonicenus. Non poſſum melius, quam Hippocratem Hippocrate explicare. Hic in Coacis iſtam vocem eadem ſignificatione poſuit, Οἷσιν ἁλμυρώδεα πτύελα καὶ βὴξ ὑφίσταται· τουτέοισι χρῶς ἐρυθραίνεται. Foëſius recte, meo judicio, vertit:

vertit: *Quibus ſalſa ſputa cum tuſſi ſubſiſtunt, iis corpus* (malim, *cutis*) *rubeſcit, &c.* Et eodem ſenſu Duretus, poſt Galenum Heurnio medicorum primus: *Si cui ſputa ſalſa, unaq; tuſſis quieſcunt, illi rubet corpus, &c.* additque in enarrationibus id fieri ex infirmitate partis, quæ amplius concuti nequit ad promovendam expurgationem humoris tabifici, qui in pulmonibus reſidet. Hanc ſignificationem confirmat ὑπόστασις, eodem ſenſu Hippocrati ſæpius uſurpata. Sic κοιλίης ὑπόστασις in iiſdem Coacis illi alvus ſubſiſtens, ſive ſuppreſſa, ὅταν γαστὴρ μὴ διαχωρέῃ, ut alibi loquitur. Sic ὑποστάσιας ὑγρῶν, quod itidem frequens eſt apud eundem, Galenus exponit τὰς ἔνδον μονὰς τῶν ὑγρῶν, ἃ προσῆκεν ἐκκρίνεσθαι. Idem volo hic indicare Hippocratem, ſi arenæ, quæ vacuari cum urina deberent, in veſica ſubſiſtant, ſignum eſſe in ea generari calculum. Hoc eſt, quod ipſe dicis, *Subſidentes hujuſmodi arenæ in veſica, omnino faciunt, ut* λιθιᾷν *dicatur.* At hoc non faciunt, quæ cum urina excernuntur, nec calculi indicium ſunt. Non magis quam ſi dicamus, qui excernit bilem, laborat ictero, qui pituitam, ei œdema moleſtum.

ſtum. Qui arenas, è quibus coagmentatis calculi generantur, ei calculus eſt in veſica. Imo illi potius, qui non excernit excernendas. Hæc habui, quæ pro interpretatione mea, veritatem falſo alias aphoriſmo conciliante, afferrem. Eam Patavii anno hujus ſeculi XVI Exc. Sanctorius albo probabat calculo: mihi tamen non probam, ſi tu atrum adjeceris. Quamvis enim ejus veritas parum dubia mihi videri nunc poſſit: nullus tamen dubito, quin vel uno à te verbo aliter edoctus, cito labaſcam. Vale, eruditorum decus, & ſtudiis noſtris favere perge. Dordrechti XVI Kal. Sextil. cIↃ IↃc XL.

Nobiliſſimo viro,

CLAVDIO SALMASIO,

Equiti, & Conſ. Regio,

IOH. BEVEROVICIVS S. D.

NObiliſſime Domine, Totus nuper in lectione muneris tui de Trapezitico fœnore, liberius fortaſſe ſcripſi, quam decuit Salmaſio-Beverovicium. Speraveram vel authoritate tua meam interpretationem ſtabilitum iri, vel fir-

mis

mis rationibus convulſum. Vtraque de ſpe cum decidiſſem, ad rem veritatemque, cujus te felicem è ſcriptis aſſertorem admiror, tua cœpi revocare, ſi forte incluſam tot medicorum commentationibus in ea inveſtiganda limatis, in lucem proferre poſſem. Te ipſum judicem requiro, ſed ſine affectubus iis, quarum cauſſas procul habes. Tota ſub te judice lis eſt, An arenæ in urina emiſſa indicent calculum eſſe in veſica, & An interpretatio mea veritati, & Hippocrati conſentanea ſit. Prius negavi, poſterius probare conatus ſum, nec mentem aut factum muto. Ridiculum enim eſſet Hippocratem in Aphoriſmis, quos jure medici pro Æſculapii habent oraculis, aliquid pro vero ſtatuere, quod ipſe in aliis alio loco falſi arguit. Afferam ipſa magni authoris verba, etiam in libello meo citata, ex libro περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν, quibus veteres Medicos, id aſſerentes, reprehendit. Πολλοὶ, inquit, τῶν ἰητρῶν οἱ μὴ συνιέντες τὴν νοῦσον, ὁκόταν ἴδωσιν τὴν ψάμμον, δοκέουσι λιθιῶν τὴν κύστιν· καὶ τούτην μὲν οὔ, &c. Neſcio quid clarius contra vulgarem Aphoriſmi explicationem afferri queat. Arabum medicorum, qui inſignes fuere pra-

practici, princeps Avicenna ſcriptum reliquit, *Sedimentum arenoſum in urina non facere calculoſos, ſed reddere homines à calculis immunes.* Quomodo igitur ſignum calculi? Nec te fugit, quod & inter alios de ſe ipſis teſtantur Matthæus de Gradi, & Epiphanius Ferdinandus, multos à pueritia arenulas excreviſſe, nullo unquam calculo vexatos, nedum veſicæ. Qua ergo ratione indicabunt Hippocrati τὴν κύστιν λιθιᾷν; Cum itaque interpretatio illa veritati, quod nemo negare poteſt, & ipſi Hippocrati, ut jam probavi, repugnet; an mea pro vero pugnet, & Hippocratis genio non adverſetur, nunc conſiderandum venit. Id conſequuturus mihi videor, ſi οὖρον Hippocrati etiam uſurpatur de urina in veſica, antequam emiſſa, & vox ὑφίσταται de iis, quæ in corpore retinentur. Locum addam, extra omnem, ut equidem cenſeo, contradicendi aleam poſitum, ex lib. IV. de morbis, ubi explicat quomodo calculus oriatur in veſica, ſimilitudine ferri in ignem conjecti, Οὕτω δὴ καὶ ἡ ὑποστάθμη ἐν τῇ κύστι, κάλλης γινομένης τοῦ φλέγματος, ἐξουρέεται, τηκόμενον ὑπὸ τοῦ οὔρου, &c. Vbi manifeſte ſumitur τὸ οὖρον pro urina, cum ad-

huc in vesica subsistit. Idem author est pueris sæpius calculum generari in vesica, adultis in renibus, quod lib. VI. Epid. hac periphrasi expressit, τὸ μετ' οὔρησιν σύναγμα παιδίοισι μᾶλλον. Vbi Galenus, & alii interpretes τὸ μεθ' οὔρησιν σύναγμα exponunt, eorum quæ post mictum in vesica subsistunt, concretionem. Ita ut σύναγμα Galeno nihil aliud ibi sit, quam σύστασις καὶ πῆξις. Et in libro, ubi obsoletas Hippocratis voces explicat, σύναγμα ab eo exponitur ὑπόστασις. Sic Glossæ veteres, Υφίσταμαι, *subsisto.* In qua significatione Hippocratem vocabulo ὑφίσταται usum fuisse, superioribus meis demonstratum puto. Possem & alios adducere primæ notæ scriptores, si vellem γλαῦκας εἰς Ἀθήνας, aut Phormione insanior inter sanos videri. Quanquam non arbitrer omnibus te lippis velle eodem mederi collyrio. Me docere, Vir nobilissime, ut pergas, & amare, etiam atque etiam rogo. Vale fœliciter. Dordrechti VII. Jul. CIↃ IↃC XL.

Duabus hisce literis respondit, & responsum edidit vir nobilissimus, cui iterum respondetur sequenti epistola.

Nobi-

Nobilissimo viro,

CLAVDIO SALMASIO,

Equiti, & Cons. Regio,

IOH. BEVEROVICIVS S. D.

NObilissime Domine, Tanti certe non putabam meas literas, quas privatim ad te dederam, ut publico iis scripto respondere dignareris. Sed ne minus te præberes ingenuum, quam ingeniosum probasti, caussam pro excusatione dicis; injustus ipse, nisi dixero justam. Equidem, si tibi visum fuisset publico invidere, & tantum thesaurum abscondere, ipse è Vestæ penetralibus eruere, & recondita ejus eruditione impulsus, maximo literati orbis commodo in apertissimam lucem proferre non dubitassem. Quamvis enim exigua sit gloria, magnis excidere ausis, & erudite refutari posse: Salmasii tamen dextera cadere, non ultima laus est. Non vis in Simplicio tuo (quo me, post tot munera, iterum obstrinxisti) *doctrinam Stoicam legi cum voluptate, sed potius cum dolore atque animi morsu.* Author est Aristoteles, contrariorum si alterum

adſit, alterum neceſſario abeſſe; at ego, ut te, qui me facis *tantum logicum*, condemnem, voluptatem animi, imò & corporis cum dolore ſimul conſiſtere poſſe contendo. Celebratur poëtis γλυκύπικρος ἔρως, celebratur dea,

Quæ dulcem curis miſcet amaritiem.

Mentem iis ægrotare ſcribit Hippocrates, qui parte aliqua corporis dolent, hoc eſt, cauſſam doloris habent, & dolorem non ſentiunt. Ego tamen ſanam in ſano corpore poſſediſſe ſemper credidi ſanctos illos martyres, cum in mediis flammis hymnum deo canerent, & acerrimos corporis cruciatus, quos infligebat μέγιστον τῶν κολαστηρίων, *pœnarum maxima*, vivicomburium, tuliſſe mente cœleſtis gaudii jam quodammodo participe. Stephanum protomartyrem, cum in cœlis Jeſum aſpiceret, atque gloriam Dei, & lapidibus cooperiretur à Judæis, nonne liceat dolore ſimul ac lætitia affectum credere? Qui, ut æquum eſt, vitæ melioris voto, ſacras conciones frequentat, nonne peccata ſua taxari dolens audit, emendandi propoſito lætus diſcedit? Quid vetat & ita legi divina, & plane admiranda in homine ethnico Epicteti moni-

monita? Hic ego Menedemum aliquem audire videor,

-- tantumne eſt ab re tua otii tibi,
Aliena ut cures, eaque, quæ nihil ad te attinent.

Quantillum mihi à variis negotiis otii ſit juxta mecum norunt, qui me. Sed quod dixi, nonnihil & ad me attinet. Licet enim fuſe, & operoſe demonſtraveris, quam ſit mihi curta ſupellex, vere tamen teſtari poſſum, munus tuum obviis ulnis à me exceptum, & nullum unquam me ſcriptum majori legiſſe cum voluptate. Conſequutus enim illum finem mihi videor, quem in Stoicorum libris legendis requirendum eſſe doces, nimirum *non ut titilletur lector, ſed ut emendetur.* Potuiſſem & illud admittere, atque ex elogiis tuis ἀμέλγειν ὀρνίθων γάλα, niſi animus tenuitatis ſuæ ſibi probe conſcius, ab immodicis & immeritis laudibus merito abhorreret. Non injuria carpuntur ab authore libri, Luciano adſcripti, πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν, hiſtoricorum nonnulli, qui ſuos in cœlum extollunt, hoſtes verò præter modum deprimunt. Tu, Eruditorum eminentiſſime, qui *ſolos Phœnices deplumare ſoles, cæteras avi-*

ciorum minutias inſuper habere, ne inter eas eſſem, ex muſca aquilam, vel, ut in proverbio uſitatum, elephantum facere voluiſti, tantiſque honorando me ornas & oneras elogiis, ut meæ ſortis homo, niſi omnem pudorem depoſuerit, talia ſine pudore non poſſit legere. Et ſane ſtupidior ſum, quod de Theſſalis dicebat Simonides, quam ut præconiis falli queam. Hic tu fortaſſis, quæ ſolet eſſe magnorum virorum urbanitas, quæres, an malim in eadem cum *graculis, monedulis, & corniculis corvuliſque* concludi cavea, quam iſta liberatum ſublimi ferire ſidera vertice? Profecto ſi Demoſthenes jure, ut videtur Plinio, lætatus eſt, quod illum anus Attica ita demonſtravit, οὗτός ἐστι Δημοσθένης, nullam cauſſam video, cur malle debeam accenſeri Coprianis, quam laudari cum Hectore Næviano, à laudato viro. Sed tuum eſt videre, ne dum in cæteris pluſquam Lynceus fueris, hic cæcutiiſſe arguaris, aut cæcutire voluiſſe. Equidem dum nemo non de morbis ſcribit, illi etiam, qui nullum unquam curarunt, Medici, quod de Philoſophis quibuſdam dicebat tuus Epictetus, ἄνευ τοῦ πράττειν, μέχρι τοῦ λέγειν,
factis

factis procul, verbis tenus, ne solus tam loquaci tempore mutus sim, μηδ' ὥσπερ κωμικὸν δορυφόρημα, κεχηνὼς σιωπῇ παραφεροίμην, *neque veluti comicum satellitium hians silentio prætervehar*, non male, nec ἀπροσδιονύσως facturum me putavi, si & ipse dolium, vel saxum volverem, & quæ de Calculo observaveram, literis consignarem. Videbar amicis, ob non raram in calculosis experientiam, hoc mihi meo jure quodammodo vendicare. Meticulosius tamen, meo me modulo ac pede metiens, id aggressus sum. Οἶδα γὰρ ἡλίκος ὁ κίνδυνος, εἰ κατὰ τῶν πετρῶν κυλίοι τις. καὶ μάλιστα οἷον τοὐμὸν πιθάκνιον, δεήσει γὰρ αὐτίκα μάλα πρὸς μικρόν γε λιθίδιον προσπταίσαντα, συλλέγειν τὰ ὄστρακα. *Novi enim quantum hoc sit periculum, si quis per saxa volvat, tale inprimis, quale meum est doliolum, ne valide quidem satis fictum, adeo ut si vel ad exiguum lapidem offendat; illico testulæ sint colligendæ.* Quod si vel in somnis cogitare potuissem, non ad exiguum hoc lapidem, sed ad ingentem petram collisurum, δειλότερος revera fuissem τοῦ παρακύπτοντος, & plane deterritus à scribendo. Hinc & interpretationem Apho

 rism-

rissimi nostri, ut olim ab adolescente conceptam proposui, nulla asseveratione affirmavi. Quia in dubio erat animus, & hinc ab authoritate, inde à veritate distractus, huc illuc impellebatur, visum consulere oraculum Salmasii, quem doctior orbis salem & solem omnis eruditionis meritò veneratur. Neque frustra eo confugi, cum tu generosum animum ad meas nugas demittere, &, quod dicitur, ἀετὸς μυῖας θηρεύειν, *aquila muscas venari* non sis gravatus. Vix debellatis Theologis, Jurisconsultis, Criticis amplissimum triumphum agere desieras, & Medicus è prœlio incruento ovalem tibi coronam necterem. Lepide olim negabat Alcibiades, se posse obsistere Eryximacho, quod vir medicus multorum instar sit. At tu, Vir præstantissime, qui revera πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, non est quod excuses, medico te respondisse ὑροσκοπικῆς imperitum, cum plus unico docueris libro, quam plurimi ab aliquot seculis ὑρόσκοποι καὶ ὑρομάντεις. Nullo enim negotio ἐπήλυς, quod dicitur, τὸν ἔνοικον, *hospes ejecisti indigenam*, nisi ipse majori jure ubivis indigena, & nullibi ἀλλότριον ἀμοῦς θέρος, aut falcem

mittis

mittis in alienam meſſem. Oſtendit olim Lucullus incredibilem quandam ingenii magnitudinem non deſiderare indocilem uſus diſciplinam. Si ille ad bellum Mithridaticum miſſus à Senatu, cum totum iter & navigationem conſumpſiſſet partim in percunctando à peritis, partim rebus geſtis legendis, in Aſiam factus imperator venit, cum eſſet Roma profectus rei militaris rudis, & tantus quidem, ut rex Ciceroni poſt Alexandrum maximus, hunc à ſe majorem ducem cognitum, quam quenquam eorum, quos legiſſet, faſſus ſit: quid miramur virum in omni diſciplinarum genere θαυμασιώτατον, abſque artis medendi exercitatione exercitatis omnibus palmam præripere? Equidem cum tua legerem diu multumque dubitabam an quid reſpondendum eſſet, & quamvis tentanti quid ſtatim occurreret verſus Sophoclis,

Ἀρχὴν δὲ θηρᾶν οὐ πρέπει τἀμήχανα,

Quæ efficere nequeas nec vel ordiri decet:

tamen jam deliberatam ἐχεμυθίαν ut abrumperem, neque veluti οἱ Ἁρποκράτῃ, ἢ Πυθαγόρᾳ τελεσθέντες, *qui Harpocrati, aut Pythagoræ initiati* plane obmuteſcerem, amici impulere. At quamvis abunde

perſpectum habeam parem cum tuis calculum vix quenquam, nedum me, poſiturum: ad eum tamen revertor, non quo majus nunc pondus me allaturum ſperem, ſed ne me ipſum, quod nec ſapiens voluit Socrates, condemnare velle videar. Iterum itaque non pro aris & focis, ſed de arenis in arenam deſcendo, non ut Dares aliquis gladiatorio animo, (præſto enim eſſet Entellus) ſed veluti Teucer, qui experientiam pro ſcuto Ajacis habeam, ita pugnaturus, tanquam ſi vincere non poſſem. Cui enim, quamvis vetus & nobilis gladiator, ſanguis hactenus tantas vires dedit,

Queis magnum Alciden contra ſtetit,

quin ſubito ſenſit Herculeam manum, nodiſque gravatum robur? Quod ut de manu ejus, qui contra duos non ſtetit, extorquere nemo potuit, quis cum eo, qui omnium tela *uno difflatu percellit*, manum conferre non exhorreſcat? Ego ſi mihi confligendum eſſet cum tali hoſte, aut poſt principia me proriperem, ut extra teli jactum meis calculi ſignum darem, aut certe metu haſtatorum tuorum abjecta haſta, & relicta parmula ignavus aufugerem. At verò cum ami-
ciſſimo

cissimo capite amice certaturus, ὑφίσταμαι, & pedem confero. Absit autem à chartis, atque animo prius, ut responsionem accipias, qualem nuper ab alio tibi datam, à me non metuere scribis. Aliter longe privatim tu de me, aliter publice de omnibus, qui elegantiores Musas colunt, es meritus. Et sane qui, contumeliis jactandis in immerentes & indignos, sibi placet,

Τί τὸν δ' αὖ εἴποις ἄλλο, πλὴν αὐτῷ πόνους
Φύσαι, πολὺν δὲ τοῖσιν ἐχθροῖσιν γέλων.

Quid aliud hunc, quam sibi creare dixeris
Ipsi dolores, atque risum malevolis.

Pythagoras, ut est apud Ælianum, dicere solebat, hæc duo divinitus data esse longe pulcherrima, τό, τε ἀληθεύειν, καὶ τὸ εὐεργετεῖν, *Veritatem amplecti, & aliis benefacere*, addebatque utrumque cum deorum immortalium operibus comparari posse. Tu, Vir magne, cum ut benefaceres, veritatem me docere rogatus volueris, ingratus sim nisi privatum hic & publicum beneficium agnoscam, eoque nomine me tibi devinctum & devotum. Non assumam tamen arbitrium, quod defers, de mutuo, qui sciam eum,

cui

qui cum Copriis res est, sive vincat, sive vincatur, commaculari. Quod dictum vulgari sermone tritum inter alias elegantias emblemate, & carmine nuper expressit ampliss. Catsius. Mihi certe satis negotii datum esse video, ut mea, quæ, quasi ventus folia, difflas spiritu, paullum suffulciam,

Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.

Duo sunt in Medicina, ut & in aliis artibus, recte judicandi κριτήρια, ratio & experientia. Hinc & optime monet Hippocrates lib. de Præcept. μὴ λογισμῷ πρότερον πιθανῷ προσέχοντα ἰητρεύειν, ἀλλὰ τριβῇ μετὰ λόγου, *non probabili prius ratiocinatione adhibita mederi, sed usu cum ratione juncto.* Quamvis verò, ut est apud Galenum, διὰ λόγου δοκεῖ πολλὰ τῶν θεωρημάτων εὑρῆσθαι, *multa præcepta ratione esse inventa videntur* : cogimur tamen κρίνεσθαι τούτων τὴν ἀλήθειαν ὑπὸ τῆς πείρας βεβαιουμένην τε, καὶ μαρτυρουμένην, *de eorum veritate judicium facere, prout stabiliuntur, & fidem accipiunt ab experimentis.* Quod si ullam, artem certe Medicam experientia fecit. Hac fretus non poteram in animum inducere arenas in

urina ſubſidentes habendas eſſe pro ſigno Calculi Veſicæ. Quare meam ſententiam examini tuo ſubjeci, vel ſtabiliendam, vel evertendam. Eam minus tibi probam videri declaraſti iis literis, quas accipiebam, cum vir, in patria hac, ſuprema functus dignitate, Gul. Stacmannus me de Calculo ſuo conſulendi cauſſa huc veniſſet. Illas proinde omnigenæ eruditionis viro, atque maximo nominis tui æſtimatori legendas dabam, qui qua voluptate eas legit, tanta admiratione ſuſpexit tuam in omnibus diſciplinis πολυμάθειαν. Poſtea cum ad illum ſcribendum eſſet, ſimul meas, quibus reſpondebam, miſi, ſed obſignatas, ut, ſi tibi ita videretur, eas quoque legeret, vir tum in aliis, tum in hoc præcipue morbo, curioſus. Illis mox non epiſtolam, ſed, qui ingenium in numerato habes, integrum paucis diebus (ô rem ſtupendam!) librum repoſuiſti. Memor ſcilicet præcepti Hippocratei ex lib. IV. de Morbis: Ἀνάγκη ἐστὶ πρὸς τὰ ἰσχυρῶς δοκέοντα τὰ πολλὰ ἱστόρια ἐπάγεσθαι, εἰ μέλλει τὸν ἀκούοντα ἐκ τῆς πρὶν γνώμης μεταστρέψαι, τοῖς ἑωυτοῦ τε λόγοισι πείθειν. *Neceſſe eſt eum, qui velit auditorem à priſtina ſententia deducere,*

ſuiſque verbis fidem facere, ad ea, quæ firmiter in opinione inhærent, multa argumenta adferre. Quamvis tibi mecum longe imparem congreſſum eſſe lubens merito agnoſcam, in hac tamen de Calculi judicio materia, non perſuadebis, ut ajebat ille, quamvis perſuadeas. Quæ hæc, inquies, nova hæreſis, quis igitur nos componet? Nos ipſi, ut ipſe præſcripſiſti. Propius igitur gradum confero, frontibus adverſis compoſiturus lites, ſed amicas. Quare non eſt, quod, quamvis propriam cauſſam agam, & quidem nullius patrocinio defenſam, ad clepſydram ſcribenti multum infundatur, ſed ſufficiet reſpondere, ut cum Platone dicam, πρὸς μικρὸν ὕδωρ, *ad puſillum aquæ.* Galeno noſtro Comment. in lib. 1. Hippocr. Epidem. ἀρεταί εἰσιν ἐξηγητῶν δύο αὗται, τότε τὴν γνώμην φυλάττειν τοῦ συγγράμματος, καὶ τὸ τὰ χρήσιμα διδάσκειν τοὺς ἀναγνωσομένους αὐτοῦ τὰ ὑπομνήματα. *Interpretum ſunt virtutes duæ hæ, ut & libri ſervent ſenſum, & commentariorum ſuorum lectores, quæ conducunt, doceant.* Meum eſt igitur oſtendere, quæ dixi, quæque dicturus ſum, non adeo aliena eſſe à ſenſu Hippocrateo, & utile fore lectori,

lectori, artis mystæ, (nam publice scribimus) si verba Semonis nostri ita accipiat. Dum autem ἐς ἀληθείην πρὸς τὸ ὑποδειχθὲν ἀποτελματίζεσθαι (juvat apud te Hippocratis verbis loqui) *veritatem ad id, quod demonstratur, repurgare*, quam possum, conor, brevissime, ut cum minus pondere, brevitate saltem placeam, curabo nihilominus, ne, ut plerunque qui breves esse laborant, obscuri fiunt, θολὸν aut atramentum cum sepia, quo minus deprehendar, materiæ, quam in clarissimam lucem protulisti, infudisse, remque ipsam obscurasse argui possim. Itaque ne idem sæpius occinam, & recocta crambe pariam fastidium, distincte gradatimque ista prosequar.

De duabus Hippocratis vocibus, & de τεκμάρσοις calculosæ vesicæ nobis controversia est. Sed, antequam ad illa accedis, præmittere nonnihil voluisti, quod præter mentem meam in literis meis interpretatus eras, qui tamen ita, ut jam video posses. Cum putares in Aphorismo Hippocrateo ἐν οὔρῳ me accepisse pro ἐν κύστει, scribebas tibi id non arridere. Cum verò me hoc statuisse negarem, probare contendis, recte id ita intelligi posse. An

non

non hic, Vir undecunque doctissime, cum Homerico Marte ἀλλοπρόσαλλος; Incomparabilis certe eruditio tua, ἀμφιδέξιον te, & in utrumque paratum reddit. Neque sane tibi, quo polles ingenii acumine, difficile foret, cum Protagora, τὸν ἥττω λόγον κρείττονα ποιεῖν, & verborum atque rationum industria, ut etiam caussa superior, caussa caderet. Quod tamen hic à te factum ostendere, non opis est nostræ, nec quicquid ubique est medicorum. Tecum equidem fateor, si Vrina sive οὖρον caperetur in Aphorismo nostro pro κύστει sive Vesica, maxime id commodum fore meæ interpretationi; sed quid hoc ad rem, si nemo Græcorum vocem istam ita usurpaverit? Quare nescio, quomodo tibi hæc exciderint: *Reddamus Latine, ut omnes reddiderunt interpretes, Quibuscunque in vesica sabulosa sistuntur, iis vesica laborat calculo.* Hæc est mea expositio, sed nemo interpretum ita reddidit, alioquin omnes doctores pro me haberem, quem vere scribis hic habere nullos. Quia verò *patera* poëtæ sumitur pro *vino*, & *vinum* pro *patera*, ideone *passim pro continente contentum, & pro contento continens?* Ita

κόπρ☉, te fortassis non improbante, acciperetur pro Copriano, & Coprianus pro κόπρῳ. Ipse judicem constituis in hac re clarissimum, & nunquam satis laudatum Ger. Vossium, utrique nostrum, ut vere scribis, amicissimum. Nec me declinasse magni viri judicium, ex meis, & illius literis videre nunc poteris.

Celeberrimo Viro,

GERARDO IOH. VOSSIO,

Historiarum Professori,

IOH. BEVEROVICIVS S. D.

CLarissime virorum, Quæ currente prœlo nuper de urbe nostra in chartam conjeci, quamvis parum digna oculis tuis, veteri benevolentiæ confisus, mittere audeo. Vidisti quæ magnus Salmasius ad me scripsit de interpretatione Aphorismi Hippocratei, cui responsionem paro, sed qualem meretur constans ejus in me amor, & admiranda τῆ θαυμασιωτάτου eruditio. Cum notasset sibi non arridere, quod τὸ οὖρον apud Hippocratem accepissem pro κύστει, respondi non mirum mihi videri, cum id ipsum ridicu-

lum

lum eſſet, nec me talem μετωνυμίαν edo-
ctum ab optimo doctore meo. Ille in re-
ſponſo, quod edidit, non adeo ridicu-
lum id eſſe aſſerit, ut mihi videbatur.
Paſſim, inquit, *pro continente accipitur
contentum*, *& pro contento continens*,
adducitque exempla à te in Rhetoricis
citata, quem etiam judicem hac de re ſu-
mit, neque ego recuſo. Sed quæſo te,
Doctor eximie, quia patera apud poë-
tam pro vino ponitur, & vinum pro pa-
tera, idcirco urina quoque poteſt dici
pro veſica? Si hoc verum, cur cum me
ita ſtatuiſſe crederet, id atro notavit cal-
culo; ſi falſum, cur cum à me ſcriptum
negaſſem, album adjicere voluit. Te,
cujus judicium ambo ſubire parati ſu-
mus, ut hoc pronunties ſententiamque
feras, vehementer rogo. Vale Vir cla-
riſſime, & mihi nunquam ſatis colen-
de. Dordrechti VIII. Eidib. Octobr.
cIↃ IↃC XL.

Medico, & Philosopho eximio,
IOHANNI BEVEROVICIO,
Senatori Reip. Dordrechtanæ

GERARDUS IO. VOSSIUS S. D.

SCio, jamdiu esse, quod promiserim, gratias me acturum tibi pro munere de eruditis fœminis: quod magnopere me delectavit. Atque istoc quidem, quod dixi, pollicebar, priusquam eo nomine obstringerer. Nempe, ut credere aliquis possit, quo celerius animum meum pascerem epulis inemtis. Quicquid de isto sit, ab eo tempore, quo dono istoc opus misisti, silui strenuè: non tam oblivione ullа, quam quia arbitrarer cessare aliquantisper posse hoc literarium officium nostrum in tot adversis; præcipue morbo meo gemino, & conjugis, & liberorum, & ex hisce etiam mortibus suavissimi Gerardi, & pro sexu non inferioris Ioannæ, unicæ filiæ meæ. Hanc taciturnitatem nostram minus te mirabitur nemo, qui scias, quam alioqui etiam negligens in epistolis esse soleam. Hoc offendit non paucos: non te, clarissime. & amicissime vir, ut satis inde video, quod nihilominus mittere volueris Dordrechtum

tum tuam, plerorumque liberorum, quos partim habeo, partim habui, natale ſolum. Vt parentem meum mittam, quem ea in ſacris doctorem habuit, & , matre mea defuncta, alteris nuptiis non indecori familiæ innexuit. Vt me quoque taceam, qui pueritiæ meæ ſtudia illi debeo, & fortaſſe plura, quam acceperam, refundere ſum conatus. Quorum, ut video, ne tu quidem poſteritatem pateris eſſe ignaram. Nempe ſic ſtat ſententia, quantum colligere poſſum, nullæ ut ad me, vel in publicum potius, chartæ prodeant tuæ, quæ non perhoneſtè meminerint veteris præceptoris: qui tamen, quando tua legit, etiam ſe diſcipulum lubens agnoſcit tuum. Atque illum affectum cognovi ex illis etiam, quæ decertata inter te, ſumme vir, & τὸν πάνυ Salmaſium. Huic te reſpondere ſcribis. Sane magis ſic elucebit veritas. Sed alternatio ſit, non altercatio. De quo plura adderem, niſi probè mihi notum eſſet, quanti virum facias; quantopere etiam improbes Coprianæum, & ſimilium ſcribendi morem. Vale, vir præſtantiſſime, & amice, atque intra unum alterum menſem opus noſtrum de gentili Theologia, & Chriſtiana phyſiologia expecta.

Iam-

Iamdiu prodiisset, nisi & me valetudo mea meorumque impediisset, & typographus magnopere moraretur, qui sepositis nostris, totus est in edendis, quæ illustris Grotius in IV. *Euangelistas pererudite elaboravit. Spero ea ante Kalendas Ianuarias lucem visura. Eximio Colvio, & quos alios nostri scis amantes, salutem plurimam dicito. Amstelodami* cIɔ Iɔc XL. *Postr. Id. Novembris.*

Vides amicas literas, sed de controversia proposita οὐδὲ γρύ. Neque iterato rogatum judicium amicissimi capitis hactenus impetravi. Sed tuo ipsius judicio (quo acquiescere paratus sum) me condemna, si potes ostendere ullum scriptorem usurpasse urinam pro vesica. Quod si ostenderis, ut non posse mihi persuadeo, quæram cur scripseris, cum me id statuisse putares, tibi id non arridere. At magis acutum cernis in Æsculapii sectatore, quam serpens Epidaurius, quod acutum male à me voci οὖρον impositum notas. Cum οὔρου, & οὔρῳ scriberem, facile fieri potuit, ut & οὔρον incogitantia scripserim pro οὖρον. Si majora non potuisses deprehendere, hac responsione mihi super-

ſuperſedere licuiſſet. Sed ſatis de lana, ipſam nunc telam detexamus.

Non opus fuiſſe ſcribis me tantopere laborare, ut probarem, οὖρον etiam ſumi ab Hippocrate pro urina, quæ nondum reddita eſt. At id à me factum, quia prius ſcripſeras, *eum* οὔρου *nomine plane intelligere urinam emiſſam*, poſtea in admirando reſponſo ſtatuis οὖρον *non ante dici, quam humor ille in veſica deſederit.* Ego verò ante id nomen obtinere Galenum authorem dabo. Is lib. VI. de Locis affect. cap. III. dicit in Diabete renum imbecillitatem accuſandam, utpote qui retinere urinam diutius non poſſunt. Ὥστε τὴν μὲν νεφρῶν ἀτονίαν ἄν τις αἰτιάσαιτο κατέχειν ἐπὶ πλέον ἐν ἑαυτοῖς μὴ δυναμένων τὸ οὖρον. Vides & in renibus dici οὖρον; Imò & ὀῤῥὸς, ſive ſanguinis ſerum, antequam in renes pervenit. Hæc enim ſubjicit Galenus, Ἀλλὰ πάλιν εἰ μέμφοιτό τις ὡς ἀτόνους τοὺς νεφροὺς, πῶς ἕλξουσιν εἰς αὐτοὺς ταχέως τὸ οὖρον. *Sed rurſus reprehendendo dicet quiſpiam, quum infirmi fuerint renes, quomodo fieri poteſt, ut urinam tam celeriter ad ſe attrahant.* Et paullo ante dixerat τοὺς νεφροὺς τὸ ὑδατῶδες ἐν αἵματι ἕλκειν, *renes id, quod aquoſum in ſanguine eſt,*

ad

ad se allicere (hoc est, quod ὀῤῥὸς communiter, & οὖρον quoque, ut jam monstravi, & οὖρα, quod negas, & postea ostendam, appellatur) καὶ πέμπειν ἐκκρίνοντας εἰς τὴν κύστιν τοὺς νεφροὺς διὰ τῶν οὐρητήρων, *& per ureteres excernendo in vesicam mittere.* Οὐρητὴρ, & οὐρήθρα, meatus urinarii, nomen habent ab οὔρῳ, urina, quam transvehunt, &, ut οὐρητῆρες proprie *appellantur meatus, per quos urina è renibus in vesicam evolvitur,* οὐρήθρα verò, per quem è vesica excernitur: ita οὐρητὴρ Hippocrati in Coacis sumitur pro οὐρήθρᾳ, id est, urinæ fistula, ut vocatur Celso, ac vicissim οὐρήθραν idem posuit lib. de Intern. affect. pro uretere. Si igitur tam οὐρητὴρ, quam οὐρήθρα nuncupatur meatus urinarius, tam per quem è renibus, quam per quem è vesica profluit οὖρον, non video quo nomine medici sint reprehendendi, quod οὔρησιν renalem statuant. At Hippocrates id non dixit, inquis. neque ille omnia, dux, non dominus. Tu posuisti triplex ex situ contentorum in urina genus, & νεφέλην esse, quod summa facie innatat, ἐναιώρημα, quod in medio propendet, ὑπόστασιν, quod in imo subsidet. Recte, & ex medicorum mente.

Verum

Verum Hippocrati νεφέλη etiam est
quodvis è tribus. Sic in Coacis præno-
tion. Νεφέλαι ἐν οὔροισι λευκαὶ μὲν καὶ κάτω,
λυσιτελέες. *Vtiles ſunt nubeculæ albæ, &
quæ infimum locum tenent.* Vbi νεφέλαι,
ſunt ὑποστάσεις, ſive ſedimenta. Et lib. II.
Prognoſt. Σκοπεῖν δὲ χρὴ τῶν οὔρων ἐν οἷσιν αἱ
νεφέλαι, ἤντε ἄνω ἤντε κάτω ἐῶσι. *Conſi-
derandæ in urinis nubeculæ, num ſupre-
mum locum, an verò infimum teneant.*
Vbi Heurnius, νεφέλας *hic vocat ea om-
nia, quæ in urinis apparent, ſive ſint nu-
beculæ, ſive enæoremata, ſive hypoſtaſes.*
Quod & ante illum Galenus non uno lo-
co annotavit. Quamvis igitur Νεφέλη ſit
Hippocrati generale nomen, non im-
probas tamen magis accuratam diſtin-
ctionem, quam Galenus, & reliqui me-
dici poſt Hippocratem amplexi ſunt, &
tu ex iis in eruditiſſimam Reſponſionem,
retuliſti, ut ſcilicet νεφέλη tantum acci-
piatur pro nubecula, quæ non τὰ κάτω,
ut ὑπόστασις, ſed, τὰ ἄνω, ſumma urinæ
petit. Sed quidnam hoc? *Si renes min-
gunt* (neſcio cur me olim docuerit Cl.
Voſſius mejunt Latinum eſſe) *etiam
ventriculus cacabit.* Anne eadem tibi
videtur ratio? In renibus ſecernitur ſan-
guinis

urinis serum quod vulgo ὀῤῥὸς, & οὖρον Græcis quoque medicis vocatur; cur igitur absurde dicuntur renes urinam, quam continent, reddere, sive οὐρέειν; Ita ventriculus posset dici cacare, si chylus, quem continet, stercoris nomine insigniretur. *Quid vetat*, inquis, οὐρητῆρας *ideo appellatos hujusmodi* διεξόδους *lotii, quia humor ille per eos transit, cui ejecto demum extra corpus appellatio* οὔρου *hæret?* Quid etiam vetat ventriculum vocare κοπροδόχον ἀγγεῖον, quia humorem eum continet, qui ejectus è corpore, stercus appellatur? Et eum posset dici cacare, quod in herniosis non semel vidi. Sic scribit Hippocrates de volvulo laborante, Ἐμέειν ἐνίοτε. πρῶτον μὲν φλεγματώδεα. ἔπειτα δὲ χολώδεα. τελευτῶν δὲ κόπρον. *Vomit interdum, primum pituitosa, deinde biliosa, tandem etiam stercus*, ut vertit Foësius. Forte illud τελευτῶν accipi queat pro *moribundus*, aut ad βίου τελευτὴν vergens, quomodo ea vox aliis usurpatur, & ita sumi posse apud Hippocratem VI. Epidem. ipse Foësius fatetur. Nullum enim ex iis, qui stercus ore rejicerent, unquam vidi servatum. Quod Galenus dixit VI. de Locis affect. Ἐξ τοῦ πάθους (εἰλεοῦ) σπανιώ-

ταῦτά τις ἐσώθη. *A quo affectu vix unquam quisquam potuit evadere.* Sed quia hoc præter naturam, addam alium Hippocratis, qui jure summæ est apud te authoritatis, locum, in quo stercoris excretio non ἀτόπως fortassis stomacho attribui possit ex lib. II. Prognost. Ὁκόσα δὲ τῶν ἀλγημάτων ἐκ τουτέων τῶν χωρίων μὴ παύεται, μήτε πρὸς τὰς τῶν πτυέλων καθάρσιας, μήτε πρὸς τὴν τῆς κοιλίης ἐκκόπρωσιν, μήτε πρὸς τὰς φλεβοτομίας τε, καὶ φαρμακείας, καὶ διαίτας, εἰδέναι δεῖ ἐκπυήσοντα, id est, interprete Foësio, *Horum locorum dolores qui neque per sputorum purgationes, neque fæcum alvi dejectionem, neque venæ sectionem, aut medicamenta, aut victus rationem sedantur, eos ad suppuratum tendere sciendum est.* Hippocrates eo loco inter caussas, quæ abscessum, evacuando ejus materiam, prohibent, ponit κοιλίης ἐκκόπρωσιν, & φαρμακείαν. Vocabulo φαρμακείας tantum uti consuevit de medicamento purgante, Galeno teste Comment. in VII. Aphorism. XXV. Φαρμακοποσίας καὶ φαρμακείας ἰδίως εἴωθεν Ἱπποκράτης ὀνομάζειν τὰς τῶν καθαιρόντων φαρμακείας μόνον. *Medicamenti potiones, ac medicationes consuevit peculiari nomine*

vocare

vocare Hippocrates eas medicationes, quæ per purgantia medicamenta fiunt. Quod si in loco citato idem est κοιλίης ἐκκόπρωσις, *fœcum alvi dejectio*, & φαρμακεία, *purgatio*, bis idem dixit. At hoc ab accurata Hippocratis brevitate maxime alienum. An non possit prius hoc de vomitione accipi, cum Hippocrati κοιλίη etiam usurpetur de ventriculo? Hic mihi videre videor te ridentem argumentum Coprianicum. Nec ego sane id urgeo, aut camarinam movendam esse duco, qui sciam τὰ κόπρια stomacho non convenire, &, si in eum, qui insani leonis vi fervere dicitur, natura cum fœcibus exoneraret bilem, πικρόχολον ἄνω, atque nimis stomachosum esset audax Japeti genus. Commodius κοιλίης ἐκκόπρωσις intelligi videtur de spontanea alvi dejectione. Sic idem lib. 1. Epidem. ἀπὸ τῆς κοιλίης ἐξεκόπρισε ἀθρόα, *ex alvo stercora affatim reddidit.* Sic & ἐκκοπρωτικὰ medici vocare solent medicamenta lenia, quæ stercus tantum educunt ex intestinis, non autem aliunde attrahunt, ut quæ simpliciter φάρμακα dicuntur. Sed tandem, tandem tempus est, ut ex hoc Augiæ stabulo, in quo me diu nimis tuum

illud, *Ventriculus cacabit*, detinuit, juvante Hercule egrediar, & ad amœniora pergam.

Non veriſimile tibi videri ſcribis quod poſueram in epiſtola mea totidem verbis: *Et ſi Nephritis, authore Hippocrate, non oritur ante pubertatem, ergo pueri quorum calculos idem coagmentari docet* μετ' οὔρησιν, *perfecto urinæ ductu, qui fit in veſica*, προϋπάρχον, *ſive rudimentum non traxere ex renibus. Namque alias nephritin paſſi fuiſſent ante pubertatem.* Hic addis: *Non video conſequentiam, qualem ex tua concluſione oriri vis.* At ego video, qualem volo. Regis veſtri olim archiatros Iohannes Fernelius, quo nemo Medicinam accuratius, & elegantius conſcripſit, putabat omnem calculum in veſica concluſum, traxiſſe è renibus nucleum quendam, verum ejus rudimentum, qui per nephriticos dolores ex iis in veſicam excidat, ibidemq; paulatim augeatur. Hoc ut plerunque, ita non ſemper verum eſt. Nam ſi calculus puerorum tale rudimentum traxiſſet ex renibus, neceſſario præceſſiſſet nephritis (quod fieri negat Hippocrates) ante pubertatem. Scribit enim Fernelius ne-

minem se offendisse in vesica calculum habere, qui nephriticis doloribus divexatus ante non fuisset. At offenderunt mecum Rondeletius, & alii, quos citavi, λιθιῶντας, nulla nephritide ante correptos. Ego rudimentum, sive προϋπάρχον non intellexi de arenulis, aut pituita, sed de re aliqua jam formata, sive nucleo lapideo, quem Fernelius necessario (ut plurimum fieri experientia demonstrat) è renibus primum vult descendere in vesicam, ut ibi augeatur, fiatque vesicæ calculus. Tu autem contra mentem meam me interpretaris *de crassamento, & fœce humoris ex renibus in vesicam delapsa, quæ in ea durescat, & in lapidem cogatur.* Quis autem ignorare potest, quod ex Hippocrate probatum is, *omnia ex renibus in vesicam descendere.* An alia via? Quod si rudimentum Calculi vesicæ ponis in fœce illa è renibus in vesicam delapsa, licebit & dicere hoc προϋπάρχον provenire ex ventriculo, qui id prius in cibo, vel potu ex ore accepit. Vides jam, nisi fallor, consequentiam, qualem ex mea conclusione oriri volo. Nam si omnis vesicæ calculus necessario nucleum, pro rudimento sive principio

concretionis habet è renibus, & iſte non deſcendit in veſicam abſque nephriticis doloribus, quod utrumque Fernelius ſtatuit: ergo pueri impuberes, quibus calculus eſt in veſica, nephritim paſſi eſſent ante pubertatem. Quod cum Hippocrati, & veritati repugnet, certum eſt in veſica puerorum calculos fere generari ſine nucleo illo è renibus. Et hoc idipſum eſt, quod dixeram. Fœcem enim, & materiam calculi è renibus per ureteres cum urina propelli in veſicam, cum alia non detur via, nemo in controverſiam unquam vocavit. Scribis ipſe in poſteriore reſponſo, quod edidiſti, *In plerisque veſicæ calculis, ſi frangantur, nucleus quidam ruber* (imo & aliorum colorum) *reperitur, quem corticatim pituita involvit. Multi autem etiam inveniuntur, abſque illo nucleo, cum ex ſolo urinæ craſſamento coagmentati fuere. Et tale eſt* συνάγμα μετ᾽ οὔρησιν, *quod deſcribitur à Galeno.* At prius eſt συνάγμα πρὸ οὐρήσεως. Et ſic jam, quæ ſæpius à te magno conatu,

Ἔγχεΐ τ᾽, ἀορέι τε, μεγάλοισί τε χερμαδίοισιν,

Haſtisque, gladiisq; & ſaxis grandibus,

oppu-

oppugnata ſunt, paucis ea videor ſtabiliiſſe, & monſtraſſe diſtinctionem illam, quam pro ſomnio habes, non eſſe cantherino ritu ab aſtante ſomniatam.

Scripſeras οὖρε nomine Hippocratem plane intelligere urinam emiſſam. Reſpondi, *ſerum illud antequam emiſſum, οὖρον vocari, ipſum Hippocratem authorem dabo. Hinc & Galeno τὸ οὖρον ὡς ὀῤῥὸς ἐστι τῶν κατὰ τὰς φλέβας χυμῶν. Verba ſunt Hippocratis*, Γλῶσσα οὖρον σημαίνει, *quibus indicium peteret ex lingua, qualis eſſet urina, ſi τὸ οὖρον illi ſemper notaret urinam excretam.* Hic tu, *Nollem*, inquis, *ut demonſtrares, οὖρον etiam ſumi de urina, quæ in veſica ſubſiſtit, locum Galeni à te allatum.* At ego cur nolles, cauſſam nullam video. Nollem ego, quæ ipſe abſurditatis coarguo, in me, quaſi ea ſtatuiſſem, ut abſurda reprehendi. *Vt demonſtrares*, ſcribis, *urinam etiam ſumi de urina, quæ in veſica ſubſiſtit* &c. Longe aliter ſonant mea verba. Dixi enim οὖρον vocari ſerum antequam emiſſum, idque probavi authoritate Hippocratis v. Epidem. Γλῶσσα οὖρον σημαίνει. *Lingua, ſerum quale ſit indicat*, addoque Οὖρον *ibi neceſſariò de ſero humorum, non de urina*

 emiſſa

emiſſa intelligendum eſſe, cum alias abſurde ex colore linguæ ſignum peteret, qualis eſſet urina, quæ ipſa inſpici poſſit. Vnde ergo tuus ille accuratus calamus hic tantum expatiatur, & mihi transverſus atrum ſignum allinit? Hæc enim tua verba ſunt: *Si quis ita interpretaretur, Lingua indicat, qualis ſit urina, nonne ludibrium deberet, ut tua tibi reddam, non ſolum Medicinæ theoricæ peritis, ſed etiam in arte exercitatis*? Deberet certe, & an non etiam mihi? Vides jam, opinor, quo jure mea mihi reddas. Scripſeram, *medicum, qui colligeret veſicam λιθιῶν, cum in urina excreta apparent ſubſidentia ſabuloſa, exercitatis in arte ludibrium debere.* At non deberet, quamvis mortalium doctiſſimus, qui non conſueverat calculoſorum urinas obſervare. *Et tamen*, addis, *quidam ſic convertunt, Lingua indicat quale ſit lotium. Quod eſt ineptiſſimum, falſiſſimumque.* Hoc me non tangit, cum ſcripſerim, *Recte interpretes non de urina emiſſa, ſed de ſero ſanguinis expoſuiſſe, Lingua ſerum, quale ſit, indicat.* Manifeſtum enim eſt, linguam ſignificare, quales ſint humores in corpore, ex eorum ſcilicet ſero, quod ipſam

ipſam ἀναθυμιάσει, & halituoſo vapore inficit. Hinc nimirum ſequitur apud Hippocratem, γλῶσσαι χλωραὶ χολώδεες, ἐρυθραὶ δὲ ἀφ' αἵματος &c. *Linguæ luteæ bilem indicant in corpore exuperare, rubræ ſanguinem* &c. Sic III. de Morbis: Ἡ δὲ καυσώδης λεγομένη, δίψα τε ἔχει πολλὴ, καὶ ἡ γλῶσσα πέφρικε. τὸ μὲν χρῶμα αὐτῆς τὸν μὲν πρῶτον χρόνον οἷόνπερ εἴωθε, ξηρὴ δὲ σφόδρα. προϊόντος δὲ τοῦ χρόνου, σκληρύνεται, καὶ τρηχύνεται, καὶ παχύνεται, καὶ ἐπιμελαίνεται. *In febre ardente ſitis multa detinet, lingua inhorreſcit, primo quidem tempore, qualis eſſe conſuevit, valde tamen ſicca eſt, procedente induratur, exaſperatur, dureſcit, & tandem nigreſcit.* Tanti verò iſta ſigna facit, ut curandi tempora ex iis petenda eſſe doceat. Addit enim paullo poſt: Ἢν δὲ μὴ ἐξ ἀρχῆς παραλάβῃς, ἀλλὰ ἤδη τῶν ἐν τῇ γλώσσῃ σημηΐων ἐνεόντων, ἐὰν χρὴ ἕως ἂν αἱ κρίσιες παρέλθωσι, καὶ τὰ τῆς γλώσσης σημήϊα ἠπιώτερα γένηται. καὶ μήτε φάρμακον δώῃς, &c. *At ſi per initia curandum non ſuſceperis, ſed ſignis jam in lingua exiſtentibus, ſinere oportet, dum judicationes præterierint, linguæque ſigna mitiora evaſerint, & neque medicamentum exhibueris* &c. Et ſic paſſim, quæ

huc afferre nihil attinet. Negas Galeno, Hippocratis optimo interpreti hic in Commentario, τὸ οὖρον esse quasi ὀῤῥὸν τῶν χυμῶν, *humorum serum*, opponisque mihi ejus verba, quæ pro me adduxeram, & adhuc militare credo. Hæc autem sunt: Τὴν γλῶτταν φησὶ σημαίνειν ὁποῖον ἐστὶ τὸ οὖρον, ἤτοι τὸ κυρίως οὕτως ὀνομαζόμενον, ὃ καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν ἀποκρίνομεν, ἢ τὸν τῶν χυμῶν ὀῤῥόν. *Linguam dicit significare Hippocrates, quale sit* τὸ οὖρον, *hoc est, vel illud quod sic proprie appellatur, & singulis diebus excernitur, vel serum ipsum humorum.* An non ibi manifeste dicit οὖρον Hippocrati significare urinam & serum humorum? At tu, *non dicit ibi Galenus*, inquis, οὖρον, *id est, urinam intra vesicam, vel in renibus adhuc subsistentem indicium facere de humoribus, ut se habeant, ut tu velle videris interpretari. Sed nec* οὖρον *sive urinam esse tanquam humorum serum*, τῶν χυμῶν ὀῤῥὸν *significat, uti etiam accipis. Vtrumque enim falsum.* Prius tibi voluisse videor, voluisse falsum est. Nec hoc ex verbis meis ullo modo elici potest. Posterius falsum non esse, ipsis Galeni verbis demonstravi. Scripseram: *Galeno* τὸ οὖρον ὡς ὀῤῥός ἐστι τῶν κατὰ τὰς φλέβας χυμῶν.

χυμῶν. Locum integrum afferam è Comment. I. in III. Epidem. VI. Ἱπποκράτης δὲ τοιούτους μὲν οἶδε χυμοὺς, πλήν τε τῆς ξανθῆς καὶ μελαίνης, ὑγρὸν δὲ καὶ ψυχρὸν τὸ τοῦ φλέγματος, ἀδηκτότατον δὲ καὶ μάλιστα οἰκεῖον ἡμῖν, τὸ αἷμα· καὶ μέντοι καὶ ὡς ὀῤῥός ἐστι τῶν κατὰ τὰς φλέβας χυμῶν τὸ οὖρον, αὐτὸς ἡμᾶς ἐδίδαξεν. *At Hippocrates tales humores cognovit, flavam & atram bilem: humidum verò, & frigidum ſuccum, pituitam: mitiſſimum autem, & nobis familiariſſimum, ſanguinem: præterea* οὖρον, *urinam ſerum eſſe humorum, in venis cententorum nos ille docuit.* Anne falſum igitur, quod dixi, τὸ οὖρον Galeno eſſe ὡς τῶν χυμῶν ὀῤῥὸν, cum is ipſum Hippocratem dicat nos ita docuiſſe. Et Galenus (ſic enim paſſim citas) de Renum affect. cap. I. cum dixiſſet renes ſecernere ac percolare ſeroſum excrementum à ſanguine, ſubjungit, ἐν ὅσῳ δέ ἐστιν ἐν ταῖς φλεψὶ καὶ ταῖς ἀρτηρίαις σὺν τῷ αἵματι, ὀῤῥῶδες περίττωμα λέγεται. ὅταν δὲ ἀποδιωχθῇ, λέγεται οὖρον. *Quamdiu in venis & arteriis hoc cum ſanguine currit, excrementum ſeroſum* (id eſt ὀῤῥὸς,) *cum ſegregatum eſt,* οὖρον *lotium nominatur.* Serum igitur à ſanguine in renibus ſecretum non eſſentia, ſed loco

tantum

tantum ab urina differt. *Qua in re, quæso te* (agnoſcis verba tua) *differt urina veſicæ jam effundenda, ab ea, quæ effuſa eſt?* Quod ad prius, addis. *Non ex urina, quæ intra corpus latet dignoſcitur* (quis hoc dixit?) *ac dijudicatur qualitas & habitus humorum.* Sed dignoſcitur ex emiſſa, & ex lingua, quæ tamen non indicat Medicis de emiſſa, ſed de χυμῶν ὀῤῥῷ ſive ſero humorum, quod à ſanguine innata renibus facultate ſecretum οὖρον vocatur, imo antequam ſecretum, ſi fides optimo Hippocratis interpreti. Clare enim dicit Hippocratem per τὸ οὖρον intellexiſſe vel illud, quod quotidie excernitur, vel ſerum humorum; quomodo & ipſe vocavit lib. VI. de Locis affect. loco ante citato. *Nam de urinis, qualis ſit*, addis, *non indicat lingua.* Hoc qui diceret è medicis, vidi neminem, & ego id tanquam abſurdum notaveram, ſcilicet indicium petere ex lingua, qualis ſit urina. Itaque tecum fateor *ridiculum, abſurdum, ineptum, & ineptiſſimum* eſſe, ex lingua judicare velle de urina: non tamen *falſiſſimum* indicium dare linguam, qualis ſit urina, equidem vel ex tuis verbis poſſe comprobare me, videor. Interpun-

pungenda vis Hippocratis verba, Γλῶσσα, οὖρον, σημαίνει. *Lingua, urina, indicativa sunt.* Vt nimirum lingua, non secus ac οὖρον, de humorum διαθέσει signum dare idonea sit. Egregia ſane animadverſio, & Hippocratis genio accommodata. Sic ſcripſit lib. IV. de Victus ratione in acut. text. LXXXIX. Βρώματα δὲ μάλιστα ἐπισημαίνει. *Edulia verò maxime indicia edunt.* Et ut hic ſtatim ſubjunxit variorum ciborum facultates: ſic in altero loco ſequitur peculiariter de urina, & lingua, ut Οὖρον ὁμόχροον βρώματι καὶ ὡς ἔσωθεν ἐὸν, ὑπὸ τῶν ὑγρῶν ξυύτηξις. *Vrina cibi & potus colorem refert, eſtque veluti humoris in corpore colliquatio.* Deinde Γλῶσσα ὁμόχροος τοῖσι ὑπερστάσεσι, διὸ ταύτῃ γινώσκομεν τοὺς χυμούς. *Lingua humorum præſtantiam colore refert; ideoque per hanc ad humorum dignotionem pervenimus.* Quæ loca etiam faciunt ad id, quod jam dicere intendo. *Si humor*, ut ex Hippocrate vidimus, & à te quoque annotatum eſt, *bile exuperante peccat, indicium ejus rei proditur lingua, quæ tum* χλωρὰ *eſt: ſi ſanguis exundat in venis, hoc etiam vitium ſignificatur lingua, quæ rubra eſt. Atque ita de cæteris. Hoc etiam præſtant*

urinæ.

urinæ. Hinc infero, si urinæ indicant quale sit humorum in venis serum, atque si idem præstat lingua: non est *falsissimum*, linguam indicare, qualis sit urina. Nam si lingua χλωρὰ, aut rubra, talis necessario erit urina, si utrumq; idem indicare debent. Attamen indicium, qualis sit urina è lingua petere, absurdum esse in epistola mea jam ante scripseram, antequam hoc nomine reprehensionem tuam, parum, ut jam vides, justam incurrerem. Cum abunde probassem τὸ οὖρον etiam usurpari de sero, sive urina, dum adhuc in corpore hæret, neque verum esse, quod statueras οὔρου *nomine Hippocratem plane intelligere urinam emissam*, confugis ad aliam lectionem, dicisque pro eo, quod vulgo in nostro Aphorismo legitur ἐν τῷ οὔρῳ, meliores codices, & Galenum commentatorem edere ἐν τοῖσιν οὔροισι. *Et* τὰ οὖρα, addis, *numero multitudinis enuntiata, ac absolute sic posita, urinas semper notant jam ejectas, nunquam ejiciendas. Produc, si potes, unum locum, ubi* τὰ οὖρα *aliter acceperit.* Nescio cur mihi hanc provinciam imponas, qui me facile possim, recepta lectione tueri, & ipse fatearis, τὸ οὖρον *in*

numero

numero ſingularitatis urinam tam redditam, quam intra veſicam hærentem deſignare. Video Hippocratem indiſtinćte ponere οὖρον & οὖρα, & in eodem ſæpe paragrapho, ut in Prognoſt. Νεφέλαι ἐμφερόμεναι τοῖσιν οὔροισιν, λευκαὶ μὲν ἀγαθαὶ, μέλαιναι δὲ φλαῦραι. Ἐς ἂν δὲ πυῤῥὸν εἴη τὸ οὖρον &c. Sic qui Græcis πνεύμων, Latinis pulmo, & pulmones, Vterus ipſi Hippocrati utroque numero ὑστέρη, & ὑστέραι. *Sed meum eſſe* vis, *vel unum dare teſtimonium, in quo* τὰ οὖρα *dicantur de urina conſiſtente intra veſicam.* Cur meum hoc ſit, neſcio. Sed quodnam teſtimonium dabo, ſi non ſufficit apud Hippocratem indifferenter legi in Coacis, οὔρου & οὔρων ἀπόληψις, pro urina retenta ſeu intercepta, ὅταν οὖρα (en iterum pluralem) οὐκ ἐχώρεε, *quando urinæ non prodeunt*, ut loquitur VII. Epidem. Neque ignoras Semoni noſtro ſuppreſſas urinas in Prorhet. vocari οὖρα κατεχόμενα, καὶ ἐπεσχημένα, & in Coacis ἐπισχόμενα, unde ἀπόληψις οὔρων, quam diximus, Galeno exponitur ἐπίσχεσις, quæ Hippocrati quoque alibi ἐπίστασις, ut & σχέσις. Ac qui V. Epidem. dixit οὔρου σχέσιν, ei VI. ejuſdem operis ponuntur αἱ ἐπισχέσιες τῶν οὔρων. Nec aliter

Aretæo,

Aretæo, veteri medico, & quo nullus Hippocrati dialecto, & brevitate scribendi propior. Hic fortasse dabit testimonium, quod petis, οὖρα nimirum in plurium numero etiam sumi pro urina, quæ adhuc in corpore hæret. Locus est lib. II. περὶ ὀξέων παθῶν cap. IX. Ἐπίκαιρον τῶν νεφρῶν τὸ ἔργον, ἤτε διάκρισις τῶν οὔρων ἀπὸ τοῦ αἵματος, καὶ ἡ ἀπόκρισις. Dicit renum opus esse secernere τὰ οὖρα à sanguine, & excernere, per ureteres nempe in vesicam, quod medicis quibusdam ideo est οὔρησις. An hoc de urina emissa accipi potest? nullo modo. sed de ea, quæ in renibus est, & ex iis profluit in vesicam. Sic idem paullo post, τοῦ λίθου ἐς τὴν κύστιν διὰ τῶν οὔρων ἐκπίπτοντος, *calculi per urinas in vesicam excidentis*. En iterum τὰ οὖρα numero plurium, antequam in vesicam delapsa, cujus excretio eidem οὔρων ἔξοδος. Posteriori loco facile tibi esset pro τῶν οὔρων substituere τῶν οὐρητήρων, qui sunt τῶν οὔρων (en iterum pluralem) ἀπὸ νεφρῶν ἡ ὁδὸς ἐς κύστιν, ut idem author loquitur lib. I. περὶ χρονίων παθῶν cap. III. Quod si istud velles, etiam repugnante Turnebiana, & aliis editionibus, habe & alterum ejusdem locum, κοιλίαι δὲ σμικραὶ, ἰσθμοειδέες

ἐς

ἐς τὴν τῶ οὔρων διήθησιν. *Renes sinus habent exiguos, cribrorum instar foraminibus pervios, ad percolandas urinas.* Vbi idem dicit, quod Galenus in definitionibus medicis, cum οὖρον ita definit, ἐστὶ περιήθημα τοῦ αἵματος ἐν τῇ μεγάλῃ φλεβὶ καταφερόμενον διὰ νεφρῶν, καὶ οὐρητήρων ἐν τῇ κύστει. Vertis, *Vrina est humor liquatus ex sanguine in majore vena per renes, & ureteres in vesicam descendens.* Sic dixit Hippocrates loco supra citato οὖρον esse ὡς ἀπὸ τοῦ ὑγροῦ ξυντήξιν, *quasi humoris colliquationem.* Alias vertissem περιήθημα, ut & Budæus interpretatur, excolamentum, percolamentum, quod & convenit cum διηθήσει Aretæi. Nihil enim minus est urina, quam humor liquatus, aut sanguis liquefactus, sed serum, quod in renibus per processus ἰθμοειδέας, sive carunculas angustas, quas mamillares vocant Anatomici, quod papillis mamillarum simillimæ sint, à sanguine secernitur, & percolatur in canales in utroque rene ab ureteribus efformatos, à quibus derivatur in vesicam. Sic eidem Galeno sudor, qui eandem cum urina habet materiam, non dicitur liquatus humor, sed excolamentum tenuis, & serosæ humiditatis in

in ſanguine, ἱδρώς ἐςι, inquit, τὸ περιήθημα τ͂ ἐν τῷ αἵματι λεπτῆς καὶ ὀῤῥώδους ὑγρασίας. Hæc & tua videtur eſſe ſententia, cum inde urinam ſcribis Lucretio dici *ſaccatum corporis humorem*, quia περιήθημα eſt, quaſi per renes, veluti per ſaccum colatum. Sic ſcribit Plinius diacodium fieri ex capitibus papaveris diſcoctis, deinde ſaccatis, iterumq; cum melle decoctis. Ita σακκίζειν, & σακκελίζειν, per ſaccum excolare Græcis, quod Martialis dixit *ſacco tranſmittere.* Vti & in vinis medicatis conſuevit, quod hodie vocant colare per manicam Hippocratis, id eſt, ſaccum. Et hæc quidem ſufficient de voce οὖρον. Venio ad alteram.

Quamvis reliqua pro me facerent, tamen, te judice, cauſſa caderem in expoſitione vocis ὑφίςασθαι, quam ſumpſi pro ſiſti, ſeu ſupprimi, in qua ſignificatione Hippocrati uſurpatam negas. Produxeram locum è Coacis, ubi Aldinus, & reliqui codices, quod nemo interpretum mutavit, edidere, πλύελα ὑφίςαται, *ſputa ſiſtuntur*. Sic ibidem κοιλίης ὑπόςασις, *alvus ſuppreſſa*, & alibi ὑποςάσιες ὑγρῶν, *humorum ſuppreſſiones*, cum tu dirimis controverſiam nova emendatione, &

pro

pro ὑφίσταται legendum eſſe contendis ἐφίσταται, & pro ὑπόστασις & ὑποστάσιες ſimiliter ἐφίστασις, & ἐφιστάσιες. Non ſatis etiam eſſe putas, ſi probarem alio loco Hippocratem vocem ὑφίστασθαι, aut inde factum nomen ὑπόστασις uſurpaſſe, ut interpretatus ſum, ſed opus eſſe, ut, ubi de urinis ſermo eſt, ibi vel ſemel reperiri ſuppreſſionis ſignificato. *Locum unum,* ſubjungis, *ſi produxeris, tum ſane victor eſto.* Non ita aberrat mens mea, ut cum Salmaſio de victoria contendam, ſatis gloriæ ſit huic homini, quod, licet longe impar, tecum certaſſe feretur. Sic aliquando, ut eſt apud Theocritum,

Ὗς ποτ' Ἀθηναίην ἔριν ἤρισε.

Auſa eſt cum diva ſus decertare Minerva.

Putarem ſatis eſſe ſi Hippocrati ὑφίστασθαι pro ſiſti uſurpatum probaſſem, quamvis forte non peculiariter de urina. Quod ſi illud, quod vis, obtinere debet, multæ voces apud Hippocratem ſignificationem ſuam perdent. Sed nec hoc me premit, ſi mihi concedis authoritatem tuam, ut & mihi diſſecare liceat hunc nodum, & in Aphoriſmo noſtro pro ὑφίσταται legere ἐφίσταται. Tum enim opti-

optima eſſet interpretatio mea ex tua emendatione. Sed ne tantum mihi aſſumam, conabor & ex aliis authoribus oſtendere, ut feciſti in ἐφίστασθαι (de quo nemo ambigit) etiam ὑφίστασθαι ſumi *pro reſtitare & curſum inhibere.* Producis Polybii locum de exercitu procedente, & ſubinde reſtitante, ὁ δὲ ἐπορεύετο ἄλλοτε καὶ ἄλλοτε ἐφιστάμενος. *Ille autem incedebat identidem reſtitans.* Poſtea ſubjungis me *docere nunquam poſſe* ὑπόστασιν *pro urina, aut cujuſcunque alterius rei ſuppreſſione ſumi, neque verbum* ὑφίστασθαι *idem eſſe quod ſtare, vel ſiſti.* Vtrumque probatum à me arbitror, ſi vulgata & recepta ab omnibus ſervetur lectio apud Hippocratem & Galenum, nec à te contra codicum fidem mutetur. Id tamen alia ex aliis via perſequemur. Ad locum Polybii jam citatum ſcribis, *Optimè hæc verba indicant quid ſit* ἐφίστασθαι *Græcis, &* ἐπίστασις, *ceſſatio, mora, reſtitatio. Quod in exercitu cum inter eundum aliquando ſtat ac reſiſtit, dicimus vulgò* faire alte. *Vos Belgæ,* Blyven ſtaen, *aut* Stil ſtaen. Recte: ſed idem ſignificare ὑφίστασθαι exemplis jam aliquot è claſſicis authoribus demonſtrabo.

Poly-

Polybii loco opponam alium illi plane geminum è non minus nobili historico, Thucydide nempe, lib. IV. μάχης γενομένης ὀλίγον μέν τινα χρόνον ὑπέστησαν οἱ Κυθήριοι, ἔπειτα τραπόμενοι, κατέφυγον. *Commissa pugna, Cytherii, quum paullisper* substitissent, *terga dantes, fugam capessunt.* An non hic etiam exercitus restitatio? Si *verbum* ὑφίστασθαι *non idem est, quod stare*, male Plinius ita vertit verba Aristotelis. Hæc ejus de cervis verba sunt, Ἐν δὲ τῷ φεύγειν, ἀνάπαυσιν ποιοῦνται τοῦ δρόμου, καὶ ὑφιστάμενοι μένουσιν ἕως ἂν πλησίον ἔλθῃ ὁ διώκων, τότε δὲ καὶ πάλιν φεύγουσι. Hoc est, interprete Plinio, *Et alias semper in fuga acquiescunt*, stantesque *respiciunt, quum prope ventum est, fugæ præsidia repetentes.* Ita Thomas Magister ὑφίσταμαι pro ὑπομένω in usu esse testatur, adducitque hæc Mercurii ad Timonem apud Lucianum, ὑπόστηθι ὦ Τίμων δι' ἐμέ. *Subsiste Timon mea gratia.* Sic ὑφιστάμενοι apud Plutarchum exponuntur à Budæo, in Comment. linguæ Græcæ, qui hostibus resistunt, & eidem Magistro ὑπόστασις insidiæ, quæ struuntur ab eo, qui ὑφίσταται, id est, κρυφίως ἵσταται, stat in latebris. *Suidas*, inquis, ἐφίστασθαι *inter-*

interpretatur ἀναμένειν: & ita profecto linguæ Græcæ periti ὑφίσαϑαι exponunt ὑπομένειν, quorum utrumque significat *subsistere*, & *permanere*, & ὑπομεῖναι eidem Suidæ est καταλειφθῆναι, *relinqui.* Posses hic iterum dicere *vitium hoc esse argumenti, quod non sim docendus, cum tantus sim logicus.* Ego tantus logicus! ὦ θαυμάσιε, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων; Nisi me ludis, parum logice colligis ex vitioso argumento tantum me esse logicum. At ego non sic argumentatus sum, ut notasti, Σύναγμα *est* ὑπόστασις, Σύναγμα *est etiam* σύστασις, ergo σύστασις *est* ὑπόστασις. Aliter apparet in epistola mea, quæ Galenum modo citat σύναγμα exponentem σύστασιν & ὑπόστασιν. Nam si voluissem dicere ὑπόστασιν esse *concretionem*, ut tu arbitraris, *& coagulationem lapidis*, non addidissem, *Sic Glossæ veteres*, Ὑφίσαμαι, *Subsisto*. Nam alioqui, cum τὸ *Sic* ad priora se referat, potuisses & hoc mihi adscribere, *Subsistere* me putasse idem esse, quod *concrescere seu coagulari*. Et tum sane tantus fuissem Grammaticus, quantus nunc fingor logicus. Addideram, in ea significatione Hippocratem vocabulo ὑφίσαϑαι usum fuisse

fuiſſe me putare, ut & verterat Leonicenus, nec non, ut poſtea vidi, Rabelæſus, Mercatus, & Mercurialis. HIC tu, *Dicamus*, inquis, *ex Gloſſarum interpretatione*, arenas in urina ſubſiſtere, *quis me prohibebit intelligere de arenis ſubſidentibus in urina? Quæ ſubſident in fundo matulæ, nonne etiam ſubſiſtunt?* Quod tu ſat multis de ἐφίστασθαι probare volueris ſumi pro *reſtitare & curſum inhibere*, id ipſum poſſum de voce *ſubſiſtere*, ut factum in τῷ ὑφίστασθαι. Sic dixit Livius, *feras ſubſiſtere*, id eſt, excipere & non cedere irruentibus, ut interpretatur Budæus. Et, ne plura proferam, *ſubſiſtere undam* dixit Virgilius, de ea cujus curſus inhibebatur.

Tybris ea fluvium, quam longa eſt, nocte
tumentem
Leniit, & tacita refluens ita ſubſtitit
unda,
Mitis ut in morem ſtagni.

Qui mihi hanc impoſuiſti legem, ut quamvis ὑφίστασθαι ſumeretur alibi pro ſupprimi, probandum eſſe apud Hippocratem ita intelligendum eſſe, ubi de urinis ſermo eſt: eum velim & demonſtrare τὸ *Subſiſtere* apud quenquam veterum

uſurpari de urinis, cum ſubſident. Sed de his, cum nihil interpretatio faciat ad textum Hippocratis, plus ſatis philoſophatum eſt.

Poſt verba, rem ipſam inſpiciamus. Verteram Aphoriſmum, *Quibus in urina ſiſtuntur ſabuloſa, illis veſica calculo laborat*. Tibi miram eſſe viſam talem verſionem ſcribis, quod rem latentem ſtatuat ſignum rei æque latentis, & Galeno Signum definiatur, οὗ γνωσθέντος ἕτερον ἀγνοούμενον ἡμῖν γινώσκεται καὶ καταλαμβανόμενον, *quo cognito aliud, quod ignoratum eſt nobis, cognoſcitur, & comprehenditur*. Addis, *Tu verò ex re pariter ignota rem non minus ignoratam cognoſci ac percipi poſtulas*. Quæſo te, Vir nobiliſſime, an hoc latens & obſcurum ſignum eſt, cum quid retinetur in corpore, quod excerni conſuevit ac debet? Nonne in ileoſis & hernioſis, quibus omnimoda κοιλίης ἀπόληψις, *alvi ſuppreſſio*, recte atque ordine præſagimus κοιλίης ἐκκόπρωσιν, uti hic ſtercoris per os rejectionem vocare liceat? *Quomodo*, inquis, *ex tuo interpretamento illius Aphoriſmi, calculus, qui in veſica abſconditus eſt, calculoſæ veſicæ ſignum præ ſe ferret?* Reſpondeo

deo id, quod dixi, arenas, vel ſabuloſa, quæ cum urina excerni conſueverunt, ſi ſiſtantur in veſica, indicare eas ibi in calculum conglobari. Quo non puto ex re pariter ignota rem non minus ignoratam velle cognoſci. Æque enim manifeſtum animadvertere aliquid excerni, quam ſupprimi, quod ante excerni ſolet. Vt ex cohibitis fœcibus prognoſticum ſumitur lethalis, quem dixi, vomitus, ita ex retentis arenis ſignum calculoſæ in veſica concretionis, vel calculi jam concreti. Sed, quia hæc tibi non ſatisfacerent, comprobabo ex Hippocrate, ab ejus doctrina non alienum eſſe indicia petere ab urina ſuppreſſa. Lib. II. Prognoſt. Αἱ ἐκ καταψύξιος οὔρων ἀπολήψιες, κάκισται. *Intercepta à frigore in acutis urina, peſſima.* Similiter in Coacis, Ἐν χολώδεσιν οὔρου ἀπόληψις κτείνει συντόμως. *In bilioſis urina intercepta mortem brevi affore ſignificat* Sic & paullo ante, Κύστις ἀποληφθεῖσα, ἄλλως τε καὶ μετὰ κεφαλαλγίης, ἔχει τι σπασμῶδες. *Veſica intercepta, maximeque cum capitis dolore, convulſionem quandam minatur.* Ibidem, Οὔρου ἀπόληψις καὶ βάρος ἐν νειαίρῃ, σημαίνει ὡς τὰ πολλὰ στραγγουρίην ἔσεσθαι. *Vrina inter-*

cepta, & ad imum ventrem pondus, ut plurimum futurum urinæ stillicidium denuntiat. Si dixeris loca hæc quidem indicare de urina suppressa, sed non de iis, quæ cum ea excerni solita, in corpore retinentur, velut ego Aphorismum exposui: dabo alia, quæ proposito nostro magis accommodata. In Coacis ita scriptum; Καυσώδεσι κατόχως, κάκιστον οὖρον ἐστὶ τὸ ἔκλευκον. *Febre ardente cum alto stupore detentis, exalbida urina pessima.* Quibus verbis consentit libri IV. Aphorismus LXXII. Ὁκόσοισιν οὖρα διαφανέα λευκὰ, πονηρά· μάλιστα δὲ ἐν τοῖσι φρενιτικοῖσιν ἢν ἐπιφαίνηται. *Quibus urinæ albæ, & perspicuæ, malæ: maxime vero si in phreniticis apparent.* Color in urinis sanorum est subaureus, vel flavus; Causus autem & Phrenitis cum oriantur ab humore bilioso, qui ejusmodi morbis laborant, bonum est, si non modo bile tinctas, sed plane imbutas meiant. Quod si ita constituti reddant albas urinas, signum bilem retineri, & alio deferri, scilicet ad caput, quod in catocho, & phrenitide pars affecta; at talis translatio, quia morbum auget, mala. Βέλτιον γὰρ, ut optime Galenus, ὥσπερ ὅλον τὸ νόσημα χολῶδες

οὕτω καὶ τὰ οὖρα φαίνεσθαι χολώδη. τὰ δὲ ὑδατώδεα τῶν οὔρων, τοιαῦτα γάρ ἐστι διαφανέα λευκὰ, παμπόλλην τε τὴν ἀπεψίαν δηλοῖ, καὶ προσέτι τῆς ξανθῆς χολῆς ἅπασαν τὴν ὁρμὴν ἄνω γεγενέναι. *Melius ſiquidem eſt, ut ſicuti totus morbus eſt bilioſus, ſic & urinæ appareant bilioſæ. Aquoſæ autem urinæ (tales ſunt albæ atque perſpicuæ) magnam cruditatem oſtendunt, & præterea flavam bilem totam ad caput rapi.* Hic bilis, quæ ſolebat, & debebat cum urina expelli, cum retinetur, indicat Hippocrati & Galeno; an igitur adeo mirum arenas, quæ cum urina emitti ſolebant & debebant, cùm cohibentur, ſignificare eas conglobari, & abire in calculum? Vnum adhuc, ſed inſtituto noſtro proximiorem locum afferam è Coacis: Νεφρῶν ἐξαπιναῖον ἄλγημα, μετ' οὔρου ἐπισχέσιος, λιθιδίων οὔρησιν ἢ παχέων οὔρων σημαίνει. *Derepente obortus renum dolor cum urinæ ſuppreſſione, calculorum, aut urinæ craſſæ mictionem indicat.* Quia urina ſupprimitur, colligit Hippocrates calculum in cauſſa eſſe, vel craſſos humores, quidni ergo liceat, quia arenæ, quæ excerni conſueverunt, ſupprimuntur, judicare eas coire in calculum? Sed age te ipſum,

quo major mihi patronus esse non potest, in auxilium vocabo, &, quod maxime improbas, ex verbis tuis comprobare conabor. Ipse, qui vulnus inflixisti, amica manu medicinam facies. Non aliter, quam olim

Vulnus Achilleo quæ quondam fecerat hosti,
Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.

Cum scripsisses Hippocratem dicere, arenosa sæpe excerni ab illis, qui calculum non habeant, quia arenæ illæ non in corpus coierint, subjungis: *Cum paucæ numero arenæ, vel arenosa cum urina exeunt, tum signum videtur majorem partem in vesica, vel renibus in lapidem converti, vel jam esse conversam.* Si, ut paullo ante ex Avicenna produxeras, qui magna copia arenosa egerit per urinam, signum vix dubium dat, lapidem in ejus vesica, vel renibus non concrescere, & si paucæ numero exeunt, signum est majorem partem in vesica, vel renibus in lapidem converti, vel jam esse conversam: an non mihi ex hisce verbis tuis firmum & indissolubile argumentum petere licet, si non paucæ, sed nullæ arenæ, ante excerni solitæ, exeunt, signum

id

id eſſe, omnes in veſica, vel renibus in lapidem converti, vel jam eſſe converſas? Vide ut ipſe confirmes tuis verbis interpretationem meam, quam tot machinis oppugnas, &, dum diruere vis, veritate coactus ſuffulcis. Ego medicum, qui colligeret ex ſubſidentibus in emiſſa urina arenis calculum hærere in veſica, ſcripſeram exercitatis in arte ludibrium debere. Hic tu iterum mirabundus, Ain' tu? Equidem ajo, & αἰεὶ ἐρίω. Agamemnon Homericus ſuas copias cum paucioribus Trojanis conferens, hanc rationem ſupputat Ἰλιάδ. β.

Τρῶας μὲν λέξασθαι ἐφέστιοι ὅσσοι ἔασιν,
Ἡμεῖς δ' ἐς δεκάδας διακοσμηθεῖμεν Ἀχαιοὶ,
Τρώων ἄνδρα δ' ἕκαστον ἑλοίμεθα οἰνοχοεύειν,
Πολλαί κεν δεκάδες δευοίατο οἰνοχόοιο,
Τόσον ἐγὼ φημὶ πλέας ἔμμεναι υἷας Ἀχαιῶν,
Τρώων.

Si velimus Trojanos recenſere incolas.
Nos autem in decades digeramur Græci,
Et ex Trojanis viros ſingulos ſumamus,
qui pincernam agant,
Multæ certe decades deſideraverint pincernam,
Tantũ ego puto plures eſſe filios Græcorum
Trojanis.

Ita vere poſſum aſſerere, ſi ratio ineatur eorum, quibus in urina arenæ ſubſident abſque veſicæ calculo, cum iis, qui illo ſimul laborant, & hiſce συμπόταις (ut ſolent ita affecti Baccho potius, ut ſtatuis, quam Nymphis litare) præbendum ſit à pincerna calculoſo δέπας ἀμφικύπελλον, multas decades carituras pincerna. Dicis ſufficere in Medicina, quamvis non ſemper, ſi ſæpius ita fiat. Recte. Sed rarius multo ejus veſica λιθιᾷ, qui cum urina arenas excernit. Atqui, ut ſcribit Galenus Comm. II. in Prorrh. οὐ τῶν σπανίων, ἀλλὰ τῶν ἢ διηνεκῶς, ἢ ὡς τὸ πολὺ γινομένων εἰς τὰς προρρήσεις χρήζομεν. *non raris, ſed illis, quæ perpetuo, vel ut plurimum contingunt, in prædictionibus utimur.* Non decimus, non vigeſimus eorum, quibus arenæ cum urina expelluntur, laborat veſicæ calculo, Imo & è majori numero vel duo, vel nemo. Hoccine ergo ſignum ex arte, & ingenio Hippocrateo? Negabat Carneades apud Ciceronem, ullam eſſe artem, niſi quæ cognitis, penituſque perſpectis, & in unum exitum ſpectantibus, & nunquam fallentibus rebus contineretur. At ſignum hoc de arenis utplurimum fallere, raro id,

id, quod vis, indicare, malo propriis oculis, qui hoc millies viderunt, fidem habere, quam quorundam ἰατρευσόντων scriptis, qui de morborum signis non à se obſervatis judicant, ut cœci de coloribus. Nam ut ſcribit Hippocrates περὶ εὐσχημοσύνης, Καλὸν ἐκ τοῦ διδαχθέντος ἔργου λόγος. *Præclara res eſt, quæ ex opere, quod quis didicit, proficiſcitur oratio.* Εἰ δὲ μὴ ἐξ ἐναργέος ἐφόδου (lubens Semonis noſtri verbis loquor, ἐκ πείρας.) ἐκ δὲ πιθανῆς ἀναπλάσιος λόγου, πολλάκις βαρείαν, καὶ ἀνιαρὴν ἐπήνεγκε διάθεσιν· οὗτοι δὲ ἀνοδίην χειρίζουσι. *Si verò ex non evidenti obſervatione, verum ex probabili rationis fictione initium ducatur, plerunque gravem, & moleſtam infert affectionem: hi verò viam inviam ingrediuntur.* Docuerat me experientia, non modo in ægrorum, ſed & ſanorum urinis ſabuloſa quotidie ſubſidere, quibus nullus in veſica calculus. Hic ego non de calculoſis, ægros intelligebam, ut mea verba obtorto collo rapis, ſed aliis morbis affectos, quos ſæpe tum arenas cum urina vidi excernere, cum nunquam ante excreviſſent. Id fieri ob imbecillitatem renibus à morbo illatam in libro meo de

Calculo annotavi. Sed quid ſi dixero, te mihi hic iterum amicam manum porrigere, dum laudas hæc Avicennæ, *Si quando ſani, & maxime ſenes meiant urinam nigram, cum dolore, aut ſine dolore, ſignificare, quod lapis gignitur in veſica.* Cur vero eos, qui arenas ſine dolore, aut moleſtia ejiciunt, non ſanos vocem, cum ſanitas actionum integritate, morbus actione aliqua manifeſte læſa medicis definiatur? Pro tali te non habes, qui ſæpius arenoſa cum urinis reddere te ſcribis. Non minus tamen verum eſſe contendis Hippocratis Aphoriſmum, quod multi arenulas reddunt cum urina, qui nunquam nec renum, nec veſicæ calculo afficiuntur: nec quod multi calculo laborant, qui tamen non fundunt arenulas aut ſabuloſa. Reſponderam ob utrumque falſum, & fallacem fore divinum illum ſenem, qui Macrobio nec falli, nec fallere ſcivit. *Immo*, reponis, *& falſus eſt aliquando, quod ipſe de ſe eſt faſſus, & proinde falſus ipſe prior, fallere alios deinde potuit.* Iſtud quoque notarunt Celſus, Plutarchus, & Quintilianus, adduntque magnum virum errores ſuos confeſſum eſſe, ne poſteri errarent,

rent, & deciperentur eadem ratione, qua ille ante deceptus erat. Reſpexiſti procul dubio cum illis locum in lib. v. Epidem. ubi author ingenue fatetur opinionem ſuam fefelliſſe capitis ſuturas in ſe teli noxiam continentes. Ἐξελεψάν μου, inquit, τὴν γνώμην αἱ ῥαφαὶ ἔχουσαι ἐν σφίσιν ἑωυτῇσι τοῦ βέλεος τὸ σίνος. At hoc inter Medicinæ, quæ manu operatur, ut & calculum veſicæ non noſſe, vitia numerat Hippocrates lib. I. de Morbis: Κατὰ δὲ χειρουργίαν οὐκ ὀρθῶς ἐστι τάδε· μηλῶντα κεφαλὴν μὴ γινώσκειν, εἰ τὸ ὀστέον κατέηγε· μήδ' ἐς κύστιν αὐλίσκον καθιέντα, δυνάσθαι καθιέναι· μήδε λίθου ἐν κύστει ἐνεόντος, γινώσκειν. *Capitis os ſpecillo admoto, fractumne ſit, non dignoſcere, & fiſtulam in veſicam immiſſam demittere non poſſe, neque lapidem in veſica eſſe ſcire.* Sed qui optime noſti Galenum, & alios librum illum v. ἐπιδημιῶν ab Hippocratis operibus abjudicare, vides me negare poſſe, Semonem noſtrum fuiſſe faſſum, ſe eſſe deceptum, & falſum in ſuturis. Sed illud multum urgere non eſt neceſſe. Cum enim hominis ſit, ut ait Cicero; errare, labi, decipi, non putandum eſt eum adeo alienum fuiſſe ab humano omni, ut errare

non potuerit. Scriptum eſt ab Hippocrate, Γυνὴ ȣ̓ ποδαγρῶ, *Mulier podagra non afficitur*. Quod quamvis falſum ſit, non tamen falſum fuiſſe Hippocratem ſtatuit Galenus. Et ei ὁμόψηφος Seneca Epiſt. x c v. refert id in fœminarum intemperantiam, quæ non fuerit ævo Hippocratis. *Maximus ille medicorum*, inquit, *& hujus ſcientiæ conditor fœminis nec capillos defluere dixit, nec pedes laborare. Atqui hæ jam & capillis deſtituuntur, & pedibus ægræ ſunt. non mutata fœminarum natura, ſed vita eſt. Nam cum virorum licentiam æquaverint, corporum quoque virilium vitia æquaverunt. Non minus* &c. *Quid ergo mirandum eſt, maximum medicorum & naturæ peritiſſimum, in mendacio prehendi, cum tot fœminæ podagricæ calvæque ſint? Beneficium ſexus ſui vitiis perdiderunt: & quia fœminam exuerunt, damnatæ ſunt morbis virilibus*. Non ipſe igitur falſus alios fefellit, cujus verba, tanquam dei voces veneratur Galenus, utpote veritatis & ſcientiæ philoſophi, quemadmodum merito eſt appellatus Ariſtoteli. Hunc tantum medicinæ dictatorem poſuiſſe calculoſæ veſicæ ſignum in arenis

cum

Noſtra demum ætate innotuit Valvula, ad coli inteſtini principium, oſtioli inſtar, deorſum ſpectans, ut fœcum refluxus prohiberetur. Hujus ſe inventorem eſſe mihi olim Baſileæ prædicabat diligentiſſimus idem Anatomicus Caſp. Bauhinus, quem ei quoque viro honorem in publicis diſſectionibus deferre ſolebant duo Anatomiæ Patavinæ lucida ſidera, Aquapendens, & Placentinus. Venæ lacteæ, à lacteo humore, quem continent, ſic dictæ, quia tantum in vivis animalibus apparent, hactenus latuere, donec magnus naturæ indagator Gaſſendus eas inveniret, quas nos etiam in ſectione vivorum canum ſatis manifeſtas conſpeximus. Sed hæc, quamvis plurima superſint, de manca, & imperfecta veterum anatome attuliſſe ſufficiat. Addam & alia, in quibus poſt natis cedunt. Generalia morborum omnium ſigna petuntur ex pulſu & urinis: quorum ille cordis, & arteriarum conſtitutionem, & quale ſit corporis robur indicat, hæ jecoris humorumque ſtatum, & morbos ex his genitos repræſentant. Quare Medicis exacta utriuſque cognitio ſummopere neceſſaria eſt. At exactam non habuere veteres.

Ars

Ars Pulſuum, ſive motus arteriarum, qualis hodie in uſu eſt, vix nota fuit Hippocrati, certe non admodum exculta, ut fatetur ipſe Galenus, qui multis eam libris explicavit, ſed argutius, quam certius, aut utilius. Poſt eum, & Philaretum, fœlicius id proſequuti ſunt recentiores medici. Veteres quoque de Vrinis imperfectam habuere notitiam, multaque neceſſaria ignorarunt. Sed quia vetuſtioribus major apud te fides, audi Theophilum, cujus verba, quod prolixiora ſint, Latine tantum apponam: *Hippocrates* (cum ei tamen ſit A & Ω) *circa has res invigilans, parva quædam, certeque ſpecioſa, quaſique florem hujus negotii, paſſim obiter modo attigit: neque urinarum genera, neque ſpecies, neque differentias, neque cauſſas, neque judicium, neque prævidentias diſpoſitionum futurarum præter naturam, vel ſanorum corporum, vel ancipitum ægrimoniarum, neque alia multa, quæ numeris omnibus abſoluta diſputatio poſcere videtur, adamuſſim abſolvit. Compari modo & Galeno in eo, quem περὶ κρίσεως inſcripſit, libello, ubi res, quæ ad urinæ diſciplinam ſpectant, carptim tractat, neſcio quonam pacto parvæ*

parva curæ fuit, de hac re non curiosius sollicitiusque disputare. Bonam namque negotii portionem, vel omnino intactam, vel inchoatam tantum, vel parum denique enucleatam de urinis sive genus, sive species, sive differentias consideres, disciplinam reliquit. Post hos deinde longo temporis tractu Magnus medicus atque philosophus, ratione quidem, sed sine periculis usu (qui mater artium existit) observatis, scientiam de urinis posteris tradere aggressus est. haud absurda sane distributione de lotiis disciplinam auspicans, de eorum differentiis & speciebus, plus quiddam aliis scripsisse videtur: de prognosticis verò, quæ ex urinis sumuntur, pluribus omissis, claudam & ipsus quoque de lotiis artem tradidit: adeò quidem ut ad perfectam earum rerum cognitionem, à posteris medicæ rei studiosis sectatoribus millia desiderentur, & sese extricare non potentes, absolutiorem ejus rei scientiam indagare conantur. Et quanquam ipse Theophilus absolutam omnibus numeris se suscipere scripserit de Vrinis disputationem, & diligentius, quam alii, in hanc rem incubuisse judicetur Actuario, imperfectam tamen hic eum adhuc tra-

ctatio-

ctationem iſtam reliquiſſe dicit, ut qui ab ipſa velut experientia orſus, neque differentias, neque cauſſas, neque alia, quibus tractatio abſolvitur, poſuerit. Poſſim præter hæc, ſi opus eſſet, demonſtrare in aliis morborum ſignis, ut & cauſſis, ac remediis, multa reperta fuiſſe à recentioribus, quæ *antiqui medici magiſtra experientia* non fuere edocti. Hinc non abſurde dictum eſt, nos eſſe inſtar pumilionis, qui ſupra gigantis collum erectus, &, quod ipſe gigas, videt, ac porro, quanto gigante altior eminet, tanto plura deſpicit. Ita dies diem docet, ac facile eſt inventis aliquid addere. Quare priſcis tot bonorum authoribus multum debemus, eorumq; ſcripta nobis ſunt reverenter, & benigne interpretanda; quod in Aphoriſmo noſtro conatus ſum. Et ſane ſi quid in Hippocratis operibus errori vicinum videtur, malo credere à mala manu id iis inſertum, quam à tanto viro falſi quid prolatum eſſe. Nam, ut ſcribit Galenus ad part. 1. ſect. 1. Libri de humoribus, cum Pergameni, & Alexandrini reges bibliothecis ſuis magno pretio libros conquirerent, nonnulli nomen Hippocratis ſunt ementiti, alii lucri

cauſſa

caussa quædam addiderunt. Inter ea, te repugnante, Aphorismum nostrum ponere non auderem, quamvis id arbitrentur eximii medici, qui mecum ex vulgari sensu minus verum esse judicant, cum tamen verissimus esse debeat. Superat enim, vel Suida teste, Aphorismorum liber omne humanum ingenium, accurate scilicet conscriptus ab eo, qui Galeno audit perpetuus naturæ, & medicinæ dictator, & per omnia diis potius, quam hominibus comparandus. An igitur male dixisse recte arguor, Aphorismos medicis jure haberi pro Æsculapii oraculis? *Recte*, inquis, *addidisti Æsculapii. Si pro Æsculapii absolute dixisses, tum hoc tibi negassem. Scis autem, quam non semper vera sint Æsculapii oracula. Quæ pater ipsius Apollo funditabat, certiorem iis fidem arbitrata est gentium credulitas. Non idem tamen sensere de filii oraculis. Quis enim Æsculapium unquam oracula dictare scripsit?* Hanc notam scilicet effugere potuissem, si, cum Theophilo, Apollinem scripsissem pro Æsculapio, patrem pro filio. Vtrique inventio Medicinæ cum tribuatur à veteribus, Æsculapium potius nominavi, quia hunc magis pro suo

ſuo agnoſcunt medici. Vnde Plutarchus ſcripſit VIII. συμποσιακῶν XIV. Τοὺς ἰατροὺς Ἀσκληπιὸν ἔχοντας ἴσμεν ἡγεμόνα. *Medicos Æſculapium ſcimus habere ducem.* Ab hoc etiam Ἀσκληπιάδαι, & Ἀσκληπιαδῶν παῖδες vocantur Medici. De Apollinis oraculis conqueritur ſervus apud Ariſtophanem Pluto:

— τῷ δὲ Λοξίᾳ,
Ὃς θεσπιῳδεῖ τρίποδος ἐκ χρυσηλάτου,
Μέμψιν δικαίαν μέμφομαι ταύτην, ὅτι
Ἰατρὸς ὢν καὶ μάντις, ὥς φασι, σοφὸς,
Μελαγχολῶντ' ἀπέπεμψέ μου τὸν δεσπότην.
De Apolline, qui ex tripode ſuo aureo
Ambigua ſolet reſponſa dare quærentibus,
Non injuſtam hanc querimoniam habeo; quod bonus
Cum ſit medicus, & vates, ut dicunt, bonus,
Herum meum dimiſit à ſe ægerrimum.

Equidem non crediderim plus te fidei habere ambiguis, & obſcuris τοῦ Λοξίου oraculis, quam Ἀσκληπιῷ ἥρωι παντοδαπῶν ἀλεκτῆρι νόσων, ut Pindaro dicitur, *Æſculapio heroi omnigenorum propulſatori morborum.* Non fuderit hic ex aureo tripode oracula, ægris tamen in ejus

templo

templo cubantibus, per ſomnium valetudinis curationem præſcribere credebatur. Hoc videre eſt apud Plautum Curculione, & in citata Ariſtophanis comœdia, ubi cœcus ille Plutus *ἐν Ἀσκληπιοῦ*, *in Æſculapii æde* dormiens, viſum recepiſſe narratur. Idem tabulæ in antiquis deſcriptionibus teſtantur; & eo alluſit fortaſſe Ovidius xv. Metam.

Cũ deus in ſomnis opifer conſiſtere viſus.

Iſta verò, quæ ad ſanitatem faciunt, vere ſunt & habentur pro Medicorum oraculis. At ſi *abſolute* dixiſſem, *Aphoriſmos jure haberi apud Medicos pro oraculis, tum*, inquis, *hoc tibi negaſſem*. Sed an non obſecro oraculum etiam ſumitur apud elegantioris notæ ſcriptores in genere pro eximio, & veluti divino eximii alicujus viri dicto? Aliorum alii, magnus Eraſmus noſtrâs laudat Ariſtotelica oracula. Non verò crediderim Ariſtotelem potius dicendum eſſe oracula edidiſſe, quam Æſculapium. Equidem authoritate Eraſmi, & Eraſmo ſimilium, quos hic authores habeo, nullius reprehenſionem reformido, quod non ſemel dixerim, in rebus dubiis me conſuluiſſe oraculum Salmaſii; & hoc, quod dediſti de

Cal-

Calculo, Aſclepiadarum nemo negabit, digniſſimum eſſe vel Æſculapio, vel, ſi mavis, Apolline, quamvis non τῷ λοξίᾳ. Prolixius, quam decuit, in his vagatus ſum, quia non poteram ſilentio præterire, quod cenſura tua dignum judicaſſes.

Scripſeram ſi ex vulgari interpretatione, quam defendis, Aphoriſmus intelligeretur, Hippocratem ſibi contradicere, ut qui ipſe ſtatueret arenas eſſe ſignum calculi veſicæ, quod alibi in veteribus reprehenderit. At te ullam in Hippocrate contradictionem cernere negas, ludiſque lepida ſimilitudine: *Qui dixerit corvi caput eſſe nigrum, ſi mox etiam dicat eundem corvum nigram habere caudam, an ſibi contradicet?* Minime. Sed ille ſibi contradicet, qui dicat corvi caput eſſe nigrum, & alibi redarguat eos, qui nigrum id eſſe affirmaverint. Ex locis contrariis juxta ſe poſitis veritas meæ aſſertionis luce meridiana clarius eluceſcet. Aphoriſmi noſtri hæc ſunt verba, Ὁκόσοισιν ἐν τῷ οὔρῳ ψαμμώδεα ὑφίσταται, τουτέοισιν ἡ κύστις λιθιᾷ. *Quibus in urina arenoſa ſubſident, iis veſica laborat calculo.* Libro verò de internis affectionibus iſta ſcripſit, Πολλοὶ δὲ τῶν ἰητρῶν οἱ μὴ συνιέντες

τὴν

τὴν νοῦσον, ὁκόταν ἴδωσι τὴν ψάμμον, δοκέουσι λιθιᾷν τὴν κύστιν. καὶ ταύτην μὲν οὔ· τὸ δὲ νεφρὸν λιθιῇ. *Pleriq; verò Medici cum morbum* (agit de Nephritide) *non noſcant, ſi arenam videant, veſicam calculo laborare exiſtimant. Hæc autem minime, ſed ren calculo laborat.* Manifeſta contradictio. Vno loco aſſerit arenas eſſe ſignum calculi veſicæ, altero id minime verum eſſe notat. Faceſſat igitur, & ad ſuos abeat corvus iſte cum capite & cauda nigra. *Sed quæſo te*, inquis, *an ſibi contrarius, qui cum uno loco affirmaverit renes* λιθιᾷν, *& hanc* λιθίασιν *arenarum per urinam ejectione demonſtrari, ſi alio loco ſcribat, veſicam ſimiliter* λιθίασιν *pati, & hujus* λιθιάσεως *demonſtrativum ſignum extare in urinis arenoſa hypoſtaſi prædictis?* Quæſo item te, Nobiliſſime eruditorum, an ſibi non contrarius, qui cum uno loco affirmaverit λιθίασιν veſicæ, arenarum per urinam ejectione demonſtrari, ſi alio loco taxet ac reprehendat eos, qui idem affirmant. Quare recte me ſcripſiſſe putabam neutiquam illud ſcitum, ut ſcripſeras in primis literis, eſſe Hippocratis, cum tu poſtea reſpondes, *Nempe illud non vis eſſe ſcitum Hippocratis,*

quia nimirum ſcribat ex arenarum effuſione colligi λιθίασιν *veſicæ. Quid oppones Galeno & aliis medicis, quotquot poſt illum vixere, qui idem aſſerunt?* In promptu oppoſitio. Cum id quandoque tantum (ut Hippocrates ipſe docuit, & poſtea plenius probabitur) aliis λιθιάσεως ſignis adſit, non poſſunt arenæ ſolæ haberi pro proprio, certo, & pathognomonico, ut tu aſſeris, calculoſæ veſicæ ſigno, ac proinde nec pro ſcito Hippocratis id confirmante. Ad hæc, quæ ſequebantur in mea, *Galenus ipſe teſtatur manifeſte errare Aphoriſmum, quia tantum veſicæ, non etiam renum meminit*, notas in reſponſo: *Negabas modo ſcitum eſſe Hippocratis, quia falſum eſſet, ex arenoſis egeſtis poſſe ſtatui de ſigno calculi veſicæ. Nunc eſſe, ſed eſſe falſum vis.* Egone hoc indicio quaſi ſorex turpiter me dedi? Piget pudetque me, quem tantum facis logicum, ἀλογιστίας, quod capere ſcilicet nequeam, idem plane eſſe, citare Galenum manifeſte errare Aphoriſmum teſtantem, & eum inde pro ſcito Hippocratis, quod prius negaveram, agnoſcere. Quomodo hæc recto ſtet fabula talo, equidem nullus video. Nec melius

(non

(non meliore utique cenſura) cenſes me adduxiſſe Vegam, quaſi pro mea militaret ſententia. *Videmus multos*, ſcribit Vega, *arenulas mingere, eæque cum cohibentur, prædicimus calculum futurum. Cum enim ſemel excretæ fuere, majorem movent calculi ſuſpicionem cum retinentur, quam cum minguntur.* Hic ſcilicet, te judice, pro patrono adverſarium elegi, *Et patior telis vulnera facta meis.* Ita enim ſcribis: *Haud poteras cujuſquam auctoris verba referre, qui plus tibi adverſetur, quam hic facit. Putaſtine illum pro te facere? Non ita mihi videtur. Immo, ſi quid judico, jugulum petit tuæ aſſertioni. Non dicit Vega abſolute & ſimpliciter ex arenulis in veſica cohibitis prædici calculum futurum, in quam ſententiam tua expoſitione refingis Aphoriſmum Hippocratis: ſed ubi ſemel excretæ fuerint arenulæ, ſi ſupprimi poſtea cœperint, tum ſuſpicionem eſſe, immo ſignum calculi.* Quid! anne verba illa jugulum petunt meæ aſſertioni, qua idem plane à me ſtatutum eſt? Non eſt ovum ovo ſimilius, ac proinde nihil prorſus mihi adverſatur Vega. Exponi poſſe ſcripſeram Aphoriſmum in lib. de Calculo, quaſi Hip-

pocrates voluiſſet eos veſicæ calculo laborare, quibus ſabuloſa, quæ excerni ſolent, in urina (hoc nomen etiam in veſica obtinet) remanent, ac in veſica ſiſtuntur. Non putarem te animadvertiſſe hunc locum, niſi in poſterius hoc, de urina hoc nomen etiam in veſica obtinente, animadvertiſſes, quam notam in limine hujus epiſtolæ eliminatam arbitror. Qui vulneri medelam afferre conatus es, nullam rationem carnis proximæ habuiſti, quam licet ſanam cathæreticis ſanandam ſuſcipis. Aliud enim nihil volunt tua, quæ ſequuntur: *Citatis & productis Vegæ verbis, quæ ſuperius attulimus, ut probes cauſſæ tuæ ea velificari, ſtatim infers:* Nullum itaque Vegæ ſignum calculi, arenæ cum urina emiſſæ, ne quidem renalis, niſi ſubſiſtant, ſive ſiſtantur in renibus, aut in veſica. *Pace tua, & cum bona venia dixerim, non probas mihi, quod dicis, & aliud ipſe Vega docet. Nam his arenis in veſica ſubſiſtentibus, nullam ſigni certitudinem de calculo indicando attribuit, niſi ante ſemel excretæ fuerint.* Nec ego aliter attribui, neque aliud quam Vega loco citato ſtatui, quam eos veſicæ calculo laborare,

borare, quibus ſabuloſa, quæ excerni ſolent, in urina nondum excreta remanent. Sed non ſolum cum Vega, ſed & tecum ipſo mihi hæc diſcordia concors. Id manifeſto oſtendunt hæc verba tua: *Vbi ergo, qui multas egerebat arenulas, amplius egerit nullas, ſuſpicio datur ex arenulis, quæ egerebantur, σωάγμα in veſica fieri.* Sed quæ ſequuntur, non video quid ad rem faciant: *Cæterum ſi quis nullas unquam excreverit arenulas, ſi ſubito urina ejus cohiberi incipiat, & ἰσχουρίαν inde patiatur, cum tam multæ aliæ ſint ἰσχουρίας cauſſæ, præter ſuppreſſam ex calculo urinam, quis poſſet hanc urinæ difficultatem imputare arenis intra veſicam detentis ac ſuppreſſis?* Nemo hercule, nemo. Quod non ignorarem alias eſſe ἰσχουρίας cauſſas, nullam ejus mentionem feci; quare neſcio cur eas huc afferre, meque ex iis coarguere volueris. Fruſtra igitur infers, *ſuppreſſionem urinæ meam interpretationem tantum aſtruere.* Octo cauſſas ex Galeno affers, quæ ἰσχουρίαν pariunt. Ex his cum ſeptem ſua ſigna habeant, *octava,* inquis, λιθίασις *ſine dubio etiam præmittit aliqua ſigna, quibus indicari & prædici poſſit.*

Quæ sunt illa? Tu dices suppressas cum urina arenas. At hic effectus λιθιάσεως, non signum. Miror tibi mirum videri effectum etiam signum esse, cum non ignores solos effectus Logicis pro signis haberi, eosque demonstrationem à signo eam appellare, quæ ab effectu est. An igitur non recte dicerem, suppressas cum urina arenas, si ante excerni consueverant, signum esse (quamvis & caussam, quæ Medicis quoque pro signo) λιθιάσεως, quæ ἰσχουρίαν intulit? *Quippe* (mutemus clypeos, & te tuis, nisi mea potius, armis oppugnem) *si vel semel aliquando emissæ fuerint, & sisti postea cœperint, tum calculus in caussam ἰσχουρίας potius, quam qualibet alia res trahi potest.* Vide quam mihi tecum conveniat. Mox tamen quæris, si sabulosa in urina sistuntur intra vesicam, quæ caussa sit? Respondes ipse, *Non certe urina est. Atqui ex tua expositione in urina sistuntur. Potius arena illa sisteret urinam, quam ab ea sisteretur. Immo certum est, si tum sistatur urina, non ab alia caussa sisti, quam ab arena, quæ in vesica fit. Alterutrum profecto necesse est, ut urina sistat arenam, aut arena urinam.* Arenæ

vix unquam; nisi magna copia sibi mutuo adhærentes, collum vesicæ obstruant; quod sæpius fit à calculo. Quare neutrum illud semper necesse est, sed sufficit facultatis excretricis imbecillitas. Quoties nimirum vesica debilis, non satis percipit arenarum stimulum, quo ab iis ad expulsionem irritatur. Nolo hic suppetias à Galeno, Avicenna, vel aliis, cum Pelias hasta ad manum sit, hoc est, tua ad illius locum verba. *Hoc vult,* inquis, *Avicenna, qui arenas excernunt, hoc est, materiam calculi, significare magnam sibi inesse virtutem, & facultatem superflua expellendi, quia nimirum non dant tempus materia, ut in vesica vel renibus diutius desideat, sed eam prius ejiciunt, quam in corpus calculi queat spissari.* Si magna facultas expellit, ergo à parva sive debili, cum expellere non possit, retinentur arenæ, non verò ab urina. Multis sat hactenus rationibus probatum à me puto, quale signum sint arenæ in urina emissa subsidentes calculosæ vesicæ ex vulgari, quam defendis & propugnas acriter, Aphorismi Hippocratei interpretatione; quæ si parum ponderis apud te habebunt, idem authoritate insignium

medicorum confirmabo. Galenus in Comm. dicit manifeſte errare Aphoriſmum. ἡμάρτηται, inquit, φανερῶς ὁ ἀφορισμός. Iacobus Hollerius, medicus Pariſienſis, itidem in Comm. negat arenas conſtans eſſe ſignum calculi. Ludovicus Mercatus, Hiſpaniæ regis protomedicus lib. IV. de Morb. internis cap. XI. producens hunc Aphoriſmum, ſignum hoc ex arenis tam incertum, & infidum eſſe ſcribit, ut nullum aliud reperiri poſſit incertius. At tu vis eſſe certum, proprium, & pathognomonicum. Proſper Martianus, medicus Romanus, notis in Aphoriſmum noſtrum, putat eum deſumptum eſſe ex libro aliquo eorum medicorum, quos notat Hippocrates ex arenis judicaſſe de veſica calculoſa. *Si enim*, inquit, *Hippocrates exiſtimat ob renum calculoſam affectionem, nullo modo affecta veſica, arenulas mingi, quomodo nunc* (ſcil. in Aphoriſmo) *dicere potuiſſet, ubi in urina ſubſident arenoſa, veſicam calculo laborare? Rejiciatur ergo Aphoriſmus iſte, tanquam Hippocratico nomine indignus. nam & ipſa experientia vitioſum eſſe indicat, cum quotidie obſervetur, abſque ullo veſicæ vitio arenulas mingi.*

Vide,

Vide, ut nobiliſſimus medicus δὶς διὰ πασῶν diſcrepet à tua ſententia. Tu Aphoriſmum habes pro ſcito Hippocratis, & forte pro Apollinis oraculo: ille Hippocratico nomine indignum cenſet. Legiſti, quantum ex incomparabili Reſponſo tuo animadvertere potui, Prælectiones in hunc Aphoriſmum Hier. Mercurialis. Apponam ipſa celeberrimi medici verba: *In ipſo Aphoriſmo nullum alium ſcopum habet Hippocrates, quam docere, quomodo ex ipſis contentis affectus natura interdum dignoſcatur. & dixi, interdum dignoſcatur; quoniam ſæpe uſu venit, ut ubi lapis eſt in veſica, arenæ, quæ antea ejiciebantur, non amplius* (neſcio quid majus contra te, pro ſententia mea dici poſſit) *compareant, ſcilicet iis ipſi lapidi adhæreſcentibus & conglutinatis; imo etiam ſæpe exeunt arenulæ, neque tamen eſt ullus in veſica lapis, adeo ut hæc ſententia nullo pacto ſit ſempiternæ veritatis, ſi eo modo, quo ſcripta eſt ab Hippocrate, intelligatur, ſcilicet ubi in urina ſubſident arenoſæ, eos veſicæ calculo laborare: & forſan hæc eſt ratio, propter quam nuſpiam alibi apud Hippocratem hæc ſententia reperiatur, licet in fine libri ſecundi*

de nat. hum. nonnihil reperiatur de urina arenoſa, ſed in alium ſenſum. Hic eſt ille locus, quem in eundem ſenſum pro te adducis, Ὁκόσοισι ἢ ψαμμώδεα ὑφίσταται, ἢ πῶροι ἐν τοῖσιν οὔροισι &c. Sed non te latet, librum illum ſecundum, ſi pro te faceret, me cum Galeno, tanquam ſpurium & ſuppoſititium poſſe rejicere. Quare ex eo nihil contra meam ſententiam objicere queas. Pergit Mercurialis: *Eſt enim ſimplex ſententia diagnoſtica, atque indiviſibilis, in qua explicanda brevis admodum fuit Galenus, nec aliud quicquam dixit, quam vel Aphoriſmum falſum eſſe, vel potius à transſcriptore libri per negligentiam eſſe alteram partem omiſſam, ſcilicet,* vel renes, *tanquam hæc debeat eſſe Hippocratis ſententia, ubi arenoſæ fiant urinæ, aut in veſica, aut in renibus calculi ſint. Verum, ut dicebam, neque ſic eſt ſemper verum, quia non rarò contingit, ut arenæ excernantur, priuſquam lapis uſpiam fiat, quemadmodum etiam uſu venit, ut exiſtente lapide in veſica, nullæ tamen arenæ in urina conſpiciantur. Quare, niſi Aphoriſmo aliquæ conditiones tribuantur, non poteſt doctrinæ Hippocraticæ, quæ ſolet eſſe firma,*

accom-

accommodari. Vides jam, Virorum clarissime, quod tibi *certum est signum*, id fallax dici, & haberi apud peritissimos medicos; quod tibi scitum Hippocratis, id illis judicari ab Hippocratica doctrina discedere, immo Hippocratico nomine indignum esse. Tu, cum animadverteres eos *egregie hallucinari*, qui de calculo absolute judicarent ex urinis arenosis, nunc scribis illas modo signum esse calculi arenosi, non duri & solidi, utpote à quo nihil abradi possit. Et cum pueris, ex medicorum decreto, magis in vesica concrescant calculi, vis Aphorismum nostrum de eorum λιθιάσει intelligendum esse. Iam alteram controversiæ nostræ partem videri possis mihi concessisse; scilicet cum duæ sint species calculi, aut qui ex congestis arenis concrevit, aut qui ex dura & tartarea materia coagulatus est, indicium nullum dare arenas in urina subsidentes de duro calculo, sed tantum de molli & arenoso. Vide an non tibi contradicas, qui statuis arenas tantum signum esse calculi mollis & arenosi, idque in pueris, cum tamen fatearis, calculos vesicæ, quo pueri ex Hippocratis scito, sæpius à te laudato, magis laborant,

duros esse. Hæc enim tua verba sunt: *Vesicæ lapides, ut plurimum, duriores sunt, renum verò magis friabiles, magisque arenosi.* An non igitur urina arenosa potius indicabit de friabilibus & arenosis calculis renum, quod non pueris, sed adultis convenit, quam de duris vesicæ puerorum calculis? *Si enim*, inquis, *ita durus est, & compactus, ut urina stringendo nihil abradere ex illo queat; talis certe qui sit, non potest per ψαμμωδέων ὑπόστασιν portendi ac significari. Hoc prorsus τῶν ἀδυνάτων.* Prorsus etiam τῶν ἀδυνάτων, de duriore vesicæ calculo, cum ab eo nihil abradi possit, ut non semel dixisti, & quem in pueris potissimum generari asseris, indicium dari ex arenis in urina subsidentibus. A calculi qualitate, & calculosi ætate transis ad regiones, ponisque differentiam inter Græciæ incolas, & nos, qui degimus *in his oris Septentrionalibus, qualis Europa maxima ex parte est.* Scribis igitur, *cum pituita minus infestaret homines earum regionum, inter quos vixit scripsitque Hippocrates, quibusque medicinam fecit, idcirco minus eos fuisse obnoxios calculo, qui ex pituitoso ac viscido humore totus in vesica*

con-

conflatur. Præterea ubi aër frigidior & humidior, ibi etiam ut plurimum homines ſolent eſſe voraciores, pluſque etiam vulgo comedere poſſe, quam in calidioribus ac ſiccioribus locis, qualis erat Græcia. Quod autem plus appetunt, & plus comedunt, rigentium, & humentium plagarum gentes, inde etiam colligas, calorem, ad concoquendum, quod comedunt, in iis eſſe majorem. Plus ergo excrementi faciunt, quia plus comedunt. Hinc & materiam lapidi gignendo fertiliorem præbent, & ei quidem lapidi, qui ex glutinoſo humore concreſcit. Quamvis hæc omnia extra omnem controverſiæ aleam poſita videntur, quia tamen jacta eſt alea, lubet ſemel tranſmiſſo Rubicone exercitii campo inſiſtere. Equidem non crediderim magis voraces eſſe Hiſpanos, aut Italos (quorum teſtimoniis uſus ſum) quam olim fuere Græci. Immo ſobrios magis novi Italos, quam Græcos legi. Hinc Cicero Catone majore, de Romanis, bene majores accubationem epularem amicorum, quia vitæ conjunctionem habebat, convivium nominaſſe ſcribit, melius quam Græcos, qui hoc idem tum compotationem, tum concœnatio-

nationem vocant. Hinc & *Pergræcari*, quod Festo exponitur, epulis & potationibus inservire. Plautus Mostellaria:

Dies, noctesque bibite, pergræcamini,
Obsonate pollucibiliter.

Liquet idem ex Homericis heroibus, qui amicis ζωρότερον infundere, spumantemque pateram offerre scribuntur, quod est Græco more bibere Ciceroni. At calculationem magis meri, quam aquæ potoribus familiarem asseris. *Qui*, inquis, *vinum dilutius bibunt, aut aquam potant, minus calculo obnoxii, quam qui meraco indulgentius utuntur.* Hi verò, qui tam pollucibiliter convivantur, &, ob debiliorem calorem, non bene, quæ assumpsere, concoquunt, plus crudi & indigesti humoris congerunt, quam illi in quibus major calor plus appetit, &, quod assumptum est, egregie digerit. Sic ipse scribis, ex Galeno, senes magis laborare calculo renum, quam pueros, *ob debilitatem* τῶν φυσικῶν ἐνεργειῶν, *& humorum crassiorum cruditatem, qui calore naturali jam in his diminuto, haud tam bene perfici possunt, ut in pueris, quibus illæ* ἐνεργεῖαι *valentiores adsunt, humoribus dissipandis ac digerendis aptæ.* In

calidis

calidis regionibus externus calor internum dissipat ac minuit, ut eundem in frigidioribus externum frigus conservat, non aliter quam in ætatibus, & anni temporibus. Hinc scriptum est ab Hippocrate 1. Aphorism. XV. Αἱ κοιλίαι χειμῶνος καὶ ἦρος θερμόταται φύσει. ἐν ταύτῃσιν οὖν ὥρῃσι καὶ τὰ προσάρματα πλείω δοτέον. καὶ γὰρ τὸ ἔμφυτον θερμὸν πλεῖον ἔχουσι. τροφῆς οὖν πλείονος δέονται. σημεῖον αἱ ἡλικίαι. *Ventres hyeme & vere natura calidissimi sunt. Quocirca iis temporibus alimenta copiosiora dari debent. Siquidem innatum calorem copiosiorem habent, pluribus igitur alimentis egent. argumento sunt ætates.* Ad quæ verba Galenus in Commentariis: Ἐν τῷ χειμῶνι καὶ ὀρέγονται πλειόνων οἱ ἄνθρωποι, καὶ πέπτουσι ῥᾷον αὐτά. κατὰ δὲ τὸ θέρος, ἔμπαλιν. τὴν δὲ αἰτίαν αὐτὸς ὁ Ἱπποκράτης εἶπεν, ἀποφηνάμενος τὰς κοιλίας χειμῶνος καὶ ἦρος θερμοτάτας εἶναι φύσει, οὐχ ἁπλῶς, ἀλλὰ τῷ φυσικῷ θερμῷ. διὰ τί δὲ τοῦ χειμῶνος αὐξάνεται τοῦτο, καὶ Ἀριστοτέλης εἶπεν, ὑποφεύγει γὰρ διὰ τὸ περιϊστάμενον ἔξωθεν κρύος. ὥσπερ αὖ πάλιν ἐν τῷ θέρει, πρὸς τὸ συγγενὲς ἀποτείνεται, καὶ οὕτω συμβαίνει διαφορεῖσθαι μὲν αὐτοῦ, καὶ σκεδάννυσθαι τὴν οὐσίαν ἐν τῷ θέρει. συνέχεσθαι δὲ καὶ

σφίγ-

σφίγγεσθαι, καὶ ἐς βάθος ὑποχωρεῖν ἐν τῷ χειμῶνι. Διὰ τοῦτο οὖν καὶ αἱ πέψεις, καὶ αἱ ἐξαιματώσεις, καὶ αἱ θρέψεις ἀμείνους εἰσὶν ἐν ταῖσδε ταῖς ὥραις. *Hyberno tempore plus appetunt homines, & cibum facilius concoquunt, contra in æstate; cujus rei caussam ipse Hippocrates reddidit, inquiens ventres hyeme & vere calidissimos esse, non simpliciter, sed calido naturali. Caussam verò ob quam illud hyeme augeatur, etiam Aristoteles explicuit. Refugit enim propter circumstantem extrinsecus frigiditatem, sicuti rursus æstate ad sibi affinem protenditur. Atque ita contingit dissolvi quidem, ac dissipari ejus substantiam tempore æstivo: contineri autem ac cohiberi, & in profundum secedere hyemali. Ob hoc igitur, & coctiones, & sanguificationes, & nutritiones hisce temporibus sunt meliores.* Si itaque hyberno tempore ob externum frigus interna magis calent, ac propterea triplex in corpore concoctio melius perficitur, ac deterius ob contrariam caussam æstate, eademque ratio esse debeat in frigidis & calidis regionibus, liquet plus crudorum humorum generari ac coacervari in Græcis, quam nostris, si genio plus satis in-

dulgeant, ac propterea magis obnoxios esse calculis, quos ex cruda & pituitosa materia oriri statuis. Sic enim dixit Author libri de Renum affectionibus, cap. v. Ἐπεὶ τῶν λιθιώντων, οἱ μὲν ἐθεραπεύοντο, οἱ δ' οὔ· μέγιστόν ἐστιν ἐν τῇ προφυλακῇ μετριότης σιτίων, καὶ πέψεις χρησταί. αἱ γὰρ πλησμοναὶ καὶ ἀπεψίαι οὐ μόνον παροξύνουσι τὴν νόσον, ἀλλὰ καὶ τὴν μὴ οὖσαν γεννῶσι. *Quoniam eorum, qui calculo infestantur, alii sanabiles sunt, alii minime: in præservando maximi sunt momenti ciborum moderatio, & bonæ coctiones. Satietates enim, & cruditates hunc morbum non exacerbant modo, sed etiam pariunt, ubi nullus erat.* Cum autem caloris innati opus sit bene coquere, isque parcior sit ob externum æstum in Græcis, quam iis, qui in Septentrionali plaga degunt sub Jove frigido, liquet illos plures his cruditates congerere, materiam nempe calculorum. Vt minus verisimile videri queat, Septentrionales *materiam lapidi gignendo fertiliorem præbere, & ei quidem lapidi, qui ex glutinoso humore concrescit.*

Dixeras in tua: *In renibus & in vesica multi calculos habent, quorum tamen indicium per urinam sabulosa fundentem*

tem

tem non proditur. Hinc inferebam, Sabulosa cum urina effusa, si non præbent calculorum indicium, qui in renibus aut vesica hærent, non posse haberi pro eorum signo, minus παθογνωμονικὸν, quale in Aphorismo requiritur. Hoc ipsum cum mihi in Responsione tua largireris, ac donares, ex eo & ipse infers, *Hippocratem cum Galeno insulsissimos & imperitissimos non tantum medicorum, sed vel hominum fuisse, si pro signo in Aphorismo, & artis regula, vel catholico id posuerint, quod verum esse non possit.* Addis hoc sæpius repetitum, *Sabulosa in urina subsidentia non probant de calculo lapideo, sed de arenoso, qui per hoc signum ostenditur.* De hac distinctione ante jam actum, quare repetendo actum non agam. Subjeceram tuis, in quibus arenas certum esse calculosæ vesicæ signum statueras, tam eas esse certum signum, ut vix aliud incertius. Hic tu, *Si hoc verum est, tam stultus fuit Hippocrates tuus cum Galeno, ut vix alius stultior vixerit, aut stolidiora scripserit.* Bona verba, ut hoc ex meis colligi possit. Non lubet hic paratragœdiare. Quod scripseram verum esse, id nisi jam ante ostendi, nullam caus-

caussam dico, quin caussa cadam. Non ideo tamen Hippocrates cum Galeno suo, quique eos sequuti recentiores Græci, à te citati, stolida scripsere. Quos ego facile à tam crassæ, & insulsæ imperitiæ suspicione vindicabo. Rhetoribus, ut est apud Quintilianum lib. v. cap. ix. Signorum alia necessaria sunt, quæ Græci vocant τεκμήρια, alia non necessaria, quæ σημεῖα, & εἰκότα, sive verisimilia. Priora certa sunt, & indubitata, quæ aliter se habere non possunt, ideoque ἀναγκαῖα καὶ ἄλυτα Aristoteli nuncupata, Ciceroni eleganter propriæ rerum notæ. Posteriora etsi ad tollendam dubitationem sola non sufficiant, tamen adjuncta cæteris plurimum valent,

Et quæ non possunt singula, multa probant.

Vix aliter apud Medicos hæ signorum species distinguuntur. Namque & his τεκμήριον dicitur syllogisticum & necessarium signum, quod perpetuo unum aliquod significat, à quo desumpta rerum cognitio τέκμαρσις appellatur, ut scribit Galenus Comm. in Hippocratis I. de vict. acutor. II. At σημεῖον iisdem est signum non necessarium, neque perpetuum,

tuum, ut quod non desumatur à propria cujusque rei indicatione, quam natura suggerit, sed ab observatione empirica, quam τήρησιν appellant. Est enim, ut scribit idem Galenus Comm. in Hippocr. III. Prognost. σημεῖον proprium τῆς τηρήσεως ἐμπειρικῆς, sicut τὸ τεκμήριον τῆς ἀκολουθίας λογικῆς, quod non aliud est, quam indicatio. Cum τεκμήρια rara admodum sint in arte Medica, quam & ipse conjecturalem facis, cogimur plerunque ad σημεῖα confugere, & plura ejusmodi simul concurrentia habentur pro proprio & pathognomonico signo. Hoc verius, quam elegantius (ita recte à Clarissimo Vossio, præceptore mihi nunquam satis colendo, citatur in eruditissimis Rhetoricis) annotavit vetus Sorani interpres, Cœlius Aurelianus lib. I. de Morbis internis cap. II.) *Non ex uno, vel duobus, sed ex multis concurrentibus, significatio firmatur. Vnum enim quiddam, ad aliud quiddam, commune est. At verò in unum conveniens multorum concursus discretionum facit intelligentiam prominere.* Sumamus exemplum à decantata, quoties exemplo opus est, apud veteres, Pleuritide. Non respiratio difficilis, nec

tussis,

tuſſis, nec dolor lateris pungenti ſimilis, nec febris continens, nec pulſus durus, ſingula & ſeparatim ſumpta, ejus ſignum eſſe poſſunt pathognomonicum : ſed cum ſimul juncta ſunt, pro proprio & pathognomonico habentur indicio. Pluribus id demonſtrare nihil attinet, cum idem locum habeat in Calculo. Hunc, dicit medicinæ dictator loco à te laudato ex lib. IV. de Morbis, etiam quinque habere ſigna: Σημεῖα δὲ ἡ νοῦσος ἔχει πέντε. ἐπεών τε οὐρῆσαι θέλῃ, πονέεται· καὶ τὸ οὖρον κατ' ὀλίγον ῥέει, ὥσπερ στραγγουριῶσι· καὶ ἔστιν ὕφαιμον, οἷα τῆς κύστιος ἡλκωμένης ὑπὸ τοῦ λίθου· καὶ ἡ κύστις φλεγμαίνει. ἀλλὰ τοῦτο μὲν ἀφανές· σημεῖον δὲ, ἀκροποσθίη. ἔστιν ὅτε διουρέεται ψαμμώδεα. *Hic autem morbus quinque habet ſigna. Cum urinam reddere vult, dolore afficitur, & urina paullatim, veluti urinæ ſtillicidio laborantibus, effluit, interdumque ſubcruenta eſt, utpote veſica à calculo exulcerata, & veſica inflammatione vexatur. Verum id non apparet, indicio tamen eſt ſumma præputii pars. Interdum arenoſa per urinam reddit.* Egregium hunc locum eſſe dicis, & maxime accommodum noſtræ controverſiæ dirimendæ, ſed ſecundum te plane dijudicandæ.

Occupas præloqui, quæ mea eſt oratio.
Nam idem pro me dictum volo. Non unum aliquod proponit certum, & pathognomonicum ſignum, quo calculum hærere in puerorum veſica demonſtrare poſſet, ſed quinque diverſa, Dolorem nempe in urina reddenda, Vrinæ ſtillicidium, Eandem cruentam ex veſica à calculo exulcerata, Ejuſdem inflammationem, atque Arenarum egeſtionem. Sed an poſtremum hoc ſtatuit proprium & perpetuum ſignum? Minus certe, quam reliqua. Citas ipſe, quæ ſequuntur: Ἔστιν ὅτε διουρέεται ψαμμώδεα, ὑπὸ τοιούτων δὲ, οἵων ἐγὼ ἐρέω. *Interdum & excernuntur arenoſa, ſed cum his modis rationibuſque, quas dicturus ſum.* Vides eum dicere, non ſemper, vel ut plurimum, ſed interdum modo calculoſos pueros arenas meiere, & quidem ſi illa adſint, quæ mox explicat: Ἐπὴν ὁ λίθος συμπαγῇ, καὶ βάθος γένηται εἰς τὴν κύστιν τῇ ψάμμῳ τῇ γενομένῃ χωρὶς, ἐλθούσης δὲ τῆς ψάμμου, ὁ λίθος μὴ προσλάβῃ πρὸς ἑωϋτὸν, ἀλλὰ βαρυτέρη καὶ πλείων γένηται, ὥστε μὴ πήγνυσθαι πρὸς ἑωϋτὴν, καὶ οὕτως δύο λίθοι γίνονται. γίνονται δὲ καὶ πλείονες τρόπῳ τῷ αὐτῷ· καὶ συγκρουομένων πρὸς ἀλλήλους τῇ κλονήσει περιθραύεται.

καὶ

καὶ διαρρέεται τὸ ψαμμῶδες. ἔστι δ᾽ ὅτε καὶ ἐπὶ ὢν κατέλθῃ ψάμμος πρὸς τὴν κύστιν καὶ μὴ προσπαγῇ. *Cum concreverit calculus, & alte in veſica ſubſederit, ſeorſim ſeparata arena, cum calculus accedentem arenam non apprehenderit, ſed copioſior & gravior extiterit, adeo ut non invicem coagmentari queat, tum duo calculi gignuntur, aliquando & plures, quibus inter ſe fricatis & colliſis, concuſſu arenoſum comminuitur, & per urinam excernitur, interdum autem, ſi arena in veſicam deſcenderit, nec tamen cogatur, aut coagmentetur.* Sic & Avicenna lib. III. Fen. XIX. tract. I. cap. V. *Et accidit quandoque, ut ſint in veſica una duo lapides, & plures illos excoriantes, & multiplicatur arenoſa comminutio ex illis. Et eſt quandoque cum arenoſitate fæx furfurea, propter abraſiones ſuperficiei ejus à lapide aſpero.* Duobus verò modis, ex Hippocratis doctrina, arenoſa emittuntur in calculoſis. Cum duo, vel plures calculi ex mutua colliſione comminuuntur, aut quando arenæ cum urina è renibus defluentes in veſicam, ex ea, antequam coire poſſint cum calculo illic hærente, expelluntur. *Et iſtud prorſum eſt*, inquis,

quod

quod in Epiſtola ad te ſcripſeram, quiſquis arenoſa effunderet per urinam, quæ in imo urinæ ſubſiderent, certum eſſe hoc ſignum, in ejus veſica arenas, aut calculos eſſe. Nimirum arenoſos. Quod ita ex loco iſto, quem ante attulimus, manifeſte probatum apparet, ut mihi armamentarii vice ſit, unde promam tela certiſſima contra tuam interpretationem, neutiquam in vanum caſura. Itane? non eſt quod mihi ab ejuſmodi telis metuam lethalia vulnera. Idem ne eſſe cenſes, Nobiliſſime domine, dicere, quandoque cum veſica laborat calculo, arenas excerni, idque hac limitatione, cum vel plures calculi invicem colliduntur, vel cum arenæ non hærent tamdiu in veſica, donec coëant, & conglutinentur, &c, quod eſt in Aphoriſmo, quibuſcunque in urinis arenoſa ſubſident, iis veſicam calculo laborare? Quamvis tibi hoc commentum magnopere placere videatur, dabis veniam, ſi mihi non fiat veriſimile. E duabus Hippocratis conditionibus poſterior, ſi nempe è renibus in veſicam prolapſæ ſtatim excernantur, nullum dare poſſunt indicium veſicæ calculoſæ, quod te negaturum non exiſtimo: prior

plu-

plurium tantum calculorum, qui ſe mutuo deterunt, ſignum præbet. at hoc rarum, quomodo ergo arenæ certum & proprium calculoſæ veſicæ ſignum? Mihi certe tantum videtur diſtare locus ille Hippocratis à nobis citatus ab Aphoriſmo noſtro, ὅσον οὐρανὸς ἐς' ἀπὸ γαίης, *quantum cœlum à terra.* Sæpius unus, rarius plures in veſica generantur, & ubi unus, unde tunc calculoſi arenæ? Scribis alio loco urinam ſtringendo eas abradere. Sic certe, aut urina id facere deberet, aut veſica. De molli, & membranoſa veſica (quam calculus durior potius detereret, ut & ipſe ex Hippocrate annotaſti) non eſt credibile: multo minus de urina tartareo humore imprægnata. Hoc multiplici experientia confirmatus affirmare audeo, eos, qui arenas excernere conſueverint, antequam coirent in calculum, mox eo correptos, vix, aut parum arenarum (quod ex Avicenna & ipſe adſtruis) egerere. Notavit idem ad Aphoriſmum noſtrum Mercurialis: *Sæpe uſu venit, ut, ubi lapis eſt in veſica, arenæ, quæ antea ejiciebantur, non amplius compareant, ſcilicet iis ipſi lapidi adhæreſcentibus, & conglutinatis.* Nam quotquot

quot

quot fere è renibus deſcendunt in veſi-
cam, calculo ibidem jam formato, ut
ejuſdem ſubſtantiæ, undique ſe appli-
cant, urina paullatim ex attritu veſicæ
lentorem quendam ſibi acquirente, quo
arenæ retinentur, & calculo affiguntur.
Innumeris id demonſtrare poſſim calcu-
lis ſectione ablatis, quibus arenæ vel un-
dique concrevere, vel certis locis, ut ſo-
lent ſquammulæ in oſtreis, & muſculis,
accumulatæ eminerent, atque eo tem-
pore quo coaluiſſent, & aucti fuiſſent,
nihil unquam arenarum cum urina pro-
diiſſe obſervaveram. Quare miratus nu-
per fui, cum ego judicaſſem ex dolore,
ſtranguria, & urinis mucoſis, calculum in
veſica hærere, & quidem magnum; ce-
lebris nominis Medicum colata diligen-
ter urina, cum nihil arenoſi ſe offerret,
cauſſam retuliſſe in ſalſos humores, acri-
monia ſua orificium veſicæ vellicantes
ſed hallucinatum fuiſſe αὐτοψίᾳ poſtea
in diſſecta poſt obitum veſica compro-
bavit. Calculi quamprimum extracti ex-
ternum aërem excipiunt, duritiem quan-
dam acquirunt: at dum adhuc in veſica
continentur, molliores ſunt, inprimis ex-
trema ſuperficie, quare facile illis ad-

hæren

hærent arenæ, ac proinde non excernuntur. Vidi non ſemel, cum calculi, ſtatim à ſectione, mihi adſtanti adhuc calentes darentur, multum arenarum digitis adhæſiſſe, quamvis pueris ipſis arenæ nunquam in urina ſubſediſſent. Hinc apparet calculos arenoſos neque perpetuo, neque frequenter ſignum exhibere in urina arenis à corpore ſuo abraſis. Quod tamen neceſſe erat, ſi arenæ in urina ſubſidentes habendæ ſint pro certo, & pathognomonico, ut vis, arenoſorum calculorum ſigno. Recte enim ſcripſit Medicorum princeps, quandoque tantum à calculoſis excerni arenoſa, idque in duobus modo caſibus, ex attritu ſcilicet plurium calculorum, & quando arenæ, præ pauca mora, calculo non adhæreſcunt. Quis igitur ex eo, quod *quandoque* tantum adeſt, ſignum morbi petat demonſtrativum? Et fingamus in calculoſis frequenter conſpici ſedimentum arenoſum, an ideo certum & proprium indicium, ut de eo ἀφοριστικῶς pronunciari poſſit, Quibuſcunque in urinis arenoſa ſubſident, iis veſica laborat calculo? Non crediderim ex uno ſigno (quod & adeſſe, & abeſſe poteſt) cum alia ſimul

F con-

concurrere debeant, facile id concessuros artis Medicæ proceres. Hoc & tibi ipsi expressit veritas, cum ad Hippocratis locum ex libro de Internis affect. ante citatum scriberes: *Non eos reprehendit, quod ex arenosa ejectione signum calculosi hominis deprehendi posse putarent, sed quod ad reliqua signa non attendentes, sed ad solam arenarum excretionem, opinabantur ex vesica procedere, quæ ex renibus descenderent.* Et alibi, *Vidi*, inquis, *pueros sectoris egentes, & propterea chirurgo commissos, de quorum calculo nihil per* οὔρησιν, *nec* ὑπόστασιν ψαμμωδέων *proditum fuerat, nec præcognitum. Alia indicia vitium demonstrarant.* Quomodo igitur arenæ haberi poterunt pro certo, ut vis, & demonstrativo calculi signo? Pleuritis non potest consistere absque illis signis, quæ supra commemoravimus; nemo tamen sanus dixerit, Quicunque tussiunt, vel, Quicunque difficulter respirant &c. pleuritide affecti sunt. Et nihilominus signa illa ad hunc affectum designandum necessario requiruntur: non necessarium verò in calculosorum urinis arenæ excretio, quam ipse Hippocrates interdum tantum, idque duobu[s]

solum

ſolum modis contingere ſtatuit. Qui ſi deſint, ſequitur arenas non excerni. At ut plurimum deeſſe, jam dictum eſt. Verum ſigna peti debent ab iis, quod & ipſe fateris, quæ frequenter, & ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ accidere ſolent, non ab illis, quæ interdum modo, καὶ ἐπ' ἔλαττον. Et tamen legitur inter admirandos divini Hippocratis Aphoriſmos, Ὁκόσοισιν ἐν τῷ οὔρῳ ψαμμώδεα ὑφίσταται, τουτέοισιν ἡ κύστις λιθιᾷ. *Quibuſcunque in urina arenoſa ſubſident, illis veſica laborat calculo.* Quæ interpretatio te patronum nacta eſt, at antagoniſtam mihi peperit mea, qua *ſiſtuntur* verti. Sed eam nonnihil corroborare videntur, qui eum præcedunt & ſequuntur Aphoriſmi, in quibus manifeſta fit mictionis, & excretionis variarum rerum mentio, verum in noſtro nulla. Quam etiam cauſſam fuiſſe exiſtimaverim, cur, cum illos fere retulerit in lib. III. Pathologiæ cap. XVI. ubi de iis agit, quæ urinæ permiſcentur, hunc omiſerit accuratiſſimus Medicorum, & nunquam ſatis laudandus Iohannes Fernelius. De magni viri Pathologia teſtari poſſum, qui eam cum veterum & recentiorum ſcriptis olim contuli, & ſcholiis illuſtravi,

verissima esse ea, quibus ipse illam concludit: *Quanquam ea in brevem quasi formulam comprehensa videri potest, quisquis tamen acri studio, attentaque cogitatione singula expendet atque æstimabit, tandem percipiet nihil eorum prætermissum esse, quæ ad perfectam rerum & morborum cognitionem pertinent, & ad medendi usum conducunt.* Tantus author loco citato, ubi ex professo ea omnia, quæ Hippocrates & Galenus, de iis, quæ cum urinis excernuntur, examinat & exponit, propriasque observationes addit, tanti non fecit Aphorismum nostrum, ut ullum de eo verbum facere voluerit, cum tamen plures ei proximos totos recensendos esse duxit. Tantum dicit arenulas defluere à renibus, easque, si copiosæ sint & crassiusculæ, calculum minari. Neque magis arenarum meminit lib. VI cap. XIII. ubi agit de vesicæ calculosa signis. Quæ cum Medicorum, quotquo sunt, aut fuere, elegantissime ac verissi me tradiderit vestras Fernelius, opera esse putavi pro arenis, quibus calculi se mina, non signa mandant, certiora hu transferre. *Propria*, inquit, *calculi vesi cæ signa hæc fere sunt, vaga quædam &*
ober

oberrans circa pubem, & perinæum titillatio, siquidem exiguus is & levis etiamnum est: quum verò grandescit, incumbentis gravitatis pondus percipitur, ut idcirco difficilis, & doloris plenus per salebrosa loca sit incessus, multoque difficilior saltatio. Mictio crebrescit adeo, ut & tandem assiduo meiendum sit, vixque possit urina cohiberi. Quum meiendum est, urinæ fluor intercipitur, obviam quidem impulso calculo, sicque minime continuata, sed intercisa est emictio. Ac tum dolor alias universum pudendi ductum, alias glandem solam affligit, isque acerrimus sub emictionis finem, quum calculus urinæ cursu incitatus, quasi proditurus, sphincterem violentius comprimit. Meiendi conatum comitatur desidendi cupiditas, quod calculi magnitudo è perinæo rectum intestinum, ut vesicæ cervicem, extimulet. At verò nonnunquam summæ vesicæ adhærescens calculus, & quasi ex illa propendens, vix ullum ex his signis manifeste exhibet: & visi sunt, qui nullo dolore diu illum gestaverint: omnibus tamen hæc signa modo mitia sunt, & obscura, modo sæviora. Vrina alba, crassa, & turbida redditur, quum grandior cal-

culus jam diu est in vesica detentus, in qua sedimentum purulentum est, aut narium mucori persimile. Non verba, sed certa signa, dat incomparabilis author, quæ cum legitis artis nostræ tyrones,

Credite eum vobis folium recitare Sibyllæ.

Nullum tamen nec de arenis, nec de Aphorismo nostro verbum fecit ille, quo nemo Medicinam scripsit accuratius. Reliquis Medicinæ proceribus hic aqua hæret. Cum enim experientia monstrante didicerint, ac certi sint, signum hoc incertum plane, infidum, ac fallax esse, ipsumq; Aphorismum Hippocrateo nomine indignum: quia tamen tanto authori adscribitur, omnem movere lapidem, ut isti lapidis signo sua constaret veritas, & ex ea maximo Medicorum merita conservaretur authoritas. Princeps Galenus (quem scribis Medicis pœne deum esse) in Comment. manifeste errare scripsit Aphorismum, quod non additum sit de renibus, *sive hoc factum sit*, inquit, *quia Hippocrates ipse dimidiam partem sermonis neglexerit, sive quia primus librarius omiserit. Sive enim in renibus, sive in vesica calculi generantur,*

rantur, una cum urinis exeunt arenosa. Hoc mordicus defendunt imitatores, qui Galenicorum nomine gaudent, nulla experientia freti. At quam merito id notetur à Vega, Hollerio, Mercuriali, Sylvatico, Heurnio, jam alibi à nobis annotatum eſt. Fidiſſimo enim, ut ſcribit Mercatus lib. IV. de Morbis intern. cap. XI. experimento conſtat, pleroſque eorum, qui calculum patiuntur, non emittere arenas, aut eorum, qui arenas mittunt, neque renum, neque veſicæ calculo laborare. Idem experientes Medici ὁμοθυμαδὸν confirmant. Philotheus exiſtimat ideò Hippocratem ſolius veſicæ meminiſſe, quod in ea, ob majorem capacitatem, frequentius, quam in anguſtioribus renibus calculi generari ſoleant. Sed in eo bis, experientia ſcilicet, ac ratione falſus eſt. Sic quotidie obſervamus longe frequentius in renibus eos naſci, quam in veſica. In promptu ratio eſt, quia in renibus, calculoſa materia ob anguſtos meatus, diutius retinetur, & ſæpe, dum urina percolatur, ſubſiſtit, ibidemque hæret, in calculum convertenda. Huic rei accommodare optimo jure licet, quod Hippocrates libro de

aëre, aquis, & locis consignavit de orificio vesicæ inflammato, ac proinde arctiore, atque tum, quod tenuissimum in ipsa est, excerni, quod vero crassissimum ac turbidissimum, coacervari & concrescere. Ita ut angustior potius, quam capacior locus calculo producendo sit aptus. Magis placeret (si res ipsa) solutio Iohannis Martini, regii professoris, & Christianissimæ reginæ archiatri sententia, quam posuit in prælectionibus (nuper à Renato Morello, insigni professore regio editis) ad Hippocratem de morbis internis, quod nimirum à posteriori ad prius respiciendum sit; quia si calculus vesicæ de se signum præbet per arenas in urina subsidentes, tanto magis id posse renes, ideoque hoc, veluti rem notam, & cuivis manifestam Hippocratem omisisse. Cardanus in Hippocratis lib. cit. lect. LI. super text. XXVI. vult arenas è calculosâ vesicâ raro prodire. *Si*, inquit, *subsidant à vesica calculo laborante, tanquam materia calculi erunt, at istud raro admodum contingit: incrementum enim fieri solet in omnibus ab his quæ potestate talia sunt, ut planta à succo, non ligno, aut ramis vel frondibus. idque semper*

ſemper ferme verum eſt in his quæ vere generantur. Vinculis enim contingit arctis alligari arborem arbori, aut lachrymam fortuito adhæreſcere, ſed hæc caſu fiunt, & rarò, nec ſunt vera incrementa. At in hujuſmodi, quæ non generantur, ſed concreſcunt (non ſunt enim veri lapides) etiam difficile eſt, ut ſic augeantur. arena enim dura non adhæret lapidi, niſi per limum, & cum limo etiam facile motu exteritur, unde facile eſt motu & ſaltibus prohibere lapidis generationem: ſolo autem limo lapis augetur, ut etiam cum lapidem eximimus res ipſa docet, plerumque enim limo involutus invenitur. Si verò ſit arena pars lapidis jam facti, neceſſariò tophus erit, & alba, & motu ac medicamentis & ſaltibus diſſolvetur, unde non niſi (quod ſæpe etiam evenire ſolet) cum plures fuerint lapides: tum enim ſi unus alterum atterat, arena prodit cum urina. Secus rariſſime id accidit, ut in urina propter lapidem in veſica, arenoſa frequentius ſubſidant: nam ſemel, aut bis, terve quaterve in anno, caſu contingere poteſt: ſed neque tum neceſſarium eſt lapidis in veſica contenti ſignum. cum enim lapis trifariam in veſica

generetur, vel ex limo, vel ex lapide renum in veſicam delato, inde ſuperaucto, vel ex arena coacta, & invicem glutinata; hic tertius modus rariſſime contingit, quoniam partes ſe invicem exterunt. Et ideo arena potius apparet poſt medicamenta atterentia lapidem, vel poſt motum aſſiduum, & validum: & oportet ut ſit tenuis, & in imo non adhærens matulæ, & hæc ſignificat lapidem. Aliæ arenæ ſpecies non ſunt ſignum lapidis, ſed potius urina craſſa cum ſedimento craſſo, lento, & multo, & albo, cum ſubſtantia parum pura & non bene colorata, aut quæ prodeat cum magna prurigine & dolore: vel quod ſit aquea & pura. Aliam viam ingreditur Mercatus, qui, loco jam citato, verum eſſe Aphoriſmi ſenſum autumat, *dum arenoſa hæc & ſubſiſtunt, & frequenter ſubſiſtunt. Cujus doctrinæ gratia, duo,* inquit, *expendiſſe oportet: unum quidem, arenoſum ſedimen non ſolum in veſica poſſe gigni, ſed in renibus, & in jecore, & venis, cæterum diſtingui, quod jecoris, & venarum arenulæ ſubtiliores ſint, & flavi coloris, raroque aut nunquam ſubſideant, ſed cum urina innatent ſedimento immerſæ, aut matulæ adhæreſcen-*

hærescentes. Item quæ ex renibus prodeunt, plerumque subsident, licet aliquando innatent, & cum hoc crassiores existunt & inæquales, omnes tamen flavi & rubri coloris magis, quam cineritii aut subalbidi. At quæ ex vesica decidunt, crassiores, albidiores, inæquales, & in fundo matulæ residentes visuntur: quo fit, ut ipsis hac lege visis, certissimum sit lapidis indicium. Reliquum *verò, quod consideratione dignum existit, in earum excretione est, prædictas arenulas semper debere subsistere, non per intervalla, ut in reliquis, quas mox memoravimus: sic enim verbum illud præsentis temporis* (subsistunt) *ostendit, non quidem aliquando: præterquam quod renum arena, arena quidem est, non arenosum sedimentum. Differunt profecto non parum arena, & sabulosum sedimen: quippe hoc constituitur non ex arenulis, sed ex frustulis ac laminis & parvis portiunculis semipituitosis, & jam fere concretis, quæ ex lapidibus excidunt ob frequentes motus, & longe magis cum lapis unus non est, sed varii existunt.* Vide, qui paullo ante dixerat arenosa in urinis subsistentia, tam incertum, & infidum esse calculosæ vesicæ

ſicæ ſignum, ut nullum aliud incertius reperiri poſſit, quanto ſtudio laboret Aphoriſmo veritatem conciliare. Statim ſubjungit: *Si lapis durus fuerit, laminoſa aderit ſubſidentia: ſi tophaceus, lapidum fruſta apparebunt: quod ſi nihil horum adſit, lapis procul dubio non eſt.* Hoc δὶς διὰ πασῶν diſcrepat à tua doctrina, qua negas à lapide duro, aut tophaceo quicquam abradi poſſe, quod cum urina excernatur: ac propterea arenoſum tantum oportere eſſe, aut mollem, qui per arenas, aut per fragmina minuta de ſe teſtimonium dicat. Eodem fere, quo Mercatus modo, huic difficultati ſuccurrit Martianus cit. Nam cum prius rejiciendum eſſe diceret Aphoriſmum, tanquam Hippocratico nomine indignum, & ipſamet experientia vitioſum, quod quotidie obſervetur, abſque ullo veſicæ vitio arenulas mingi, mox addit: *Quod ſi quis Aphoriſmi dignitatem tueri cupiens dixerit, longe diverſum eſſe mingere arenoſa, & mingere arenas, probabilia ſatis afferet. Arenoſa enim mingi dicuntur, quando non ſola arena, ſed ſedimenta craſſiora, quæ admixta habent corpuſcula quædam arenoſa, cum urina excernun-*

cernuntur. Arena verò ſimpliciter mingi dicitur, quando ſola arena in fundo matulæ conſpicitur, & ſicuti hæc à renibus perpetuo ortum ducit, ita arenoſa jam dicta frequenter obſervantur in iis, qui lithiaſi laborant, in quibus veſica pituitoſo muco non rarò ſcatet, una cum arenulis præfatis, quæ nihil aliud ſunt, quam particulæ lapidis ex attritu decerptæ. Cum igitur ſola arena mingitur, renes calculo laborant, at cum urinæ ſedimentum habent craſſum, & viſcoſum corpuſculis dictis refertum, veſicam calculo laborare conjectandum eſt. Veruntamen neque id perpetuum eſt, quando ex tuberculis citra venam cavam diſruptis arenoſa ægrotantes mingere Hippocrates de Nat. hum. (loco à te prolato) *teſtatur, iiſdemque utitur dictionibus, quibus in Aphoriſmo. Quare niſi indefinite præſens ſententia accipiatur, nullo modo defendi meo judicio poteſt.* Hæc Martianus. Convenit autem in poſteriori modo, quo inter arenas & arenoſa diſtinguitur, cum Mercato, uti in priori fere cum eodem Mercuralis, qui & alteram interpretationem addit. Nam poſtquam in prælectionibus ad hunc Aphoriſmum dixiſſet, non poſſe

eum

eum doctrinæ Hippocraticæ, quæ firma esse solet, accommodari, nisi aliquæ ei tribuantur conditiones, eas has esse statuit: *Quod ubi apparent arenulæ, vel statim subsidentes, vel paullo post, significat lapidem vel affuturum in renibus, aut in vesica, vel adfuisse, qui in arenas sit dissolutus, vel adesse: nisi melius dicere placeat vocem λιθιᾷν significare Hippocrati esse aptum ad generandum lapidem. Sic enim verissima est sententia omni tempore, quod ubi in urina statim arenæ subsident, iis vesica est apta ad generandum lapidem, scilicet ex ipsis arenulis, & miror Galenum hoc non vidisse.* Hæc sententia plane convenit cum tua. Ita enim scribis: *Arenosæ ὑποστάσεις non possunt procedere, nisi ex arenarum copia, & quasi saburra, quæ in renibus est ac vesica, vel ex arenoso calculo, qui pariter in vesica, vel in renibus innatus sit, sive jam formato, sive formari cœpto. Et sic intelligendus Avicenna,* Arenosa hypostasis significat semper lapidem coagmentatum, aut coagmentari incipientem, aut qui resolvitur. *Vbicunque igitur apparent in hypostasi urinarum sabulosæ, id est ψαμμώδεα, significant unum ex his tribus,*

tribus, *aut calculum nimirum jam concretum*, *aut eum*, *qui adhuc in concretionis eſt principiis*, *aut mollem*, à quo nimirum facile arenæ abradantur. Ante itidem ſcripſeras; *Arena in urina ſubſidens probat arenoſum calculum, vel arenas in veſica multas calculum lapſu temporis cogere idoneas. Vtrumque* λιθίασις, *calculus quidem ut* πάθος, *arena ut materia &* διάθεσις. Iterum paullo poſt: *Vix ullus arenas mingit, quin ex multitudine arenarum, quas in veſica habet, ſive in unum corpus concretarum, ſive diſcretarum,* διάθεσιν *habeat* λιθιῶσαν, *& quin* κύστις *eidem* λιθιᾷν *dici poſſit*. Tandem etiam ad alteram interpretationem deflectis, ut ſcilicet τὰ ψαμμώδεα *Hippocrati ſint* τὰ λίθια *vel* λιθίδια ψαμμώδεα *minuti lapilli, facie & magnitudine arenis ſimiles*. Quod ut veritatis facem noſtro Aphoriſmo prælucerent, in tot ſe facies vertere coacti ſint præſtantiſſimi Medici, & tu inprimis, Excellentiſſime eruditorum, nihil non intentatum reliqueris: magnum argumentum eſt, arenas cum urina excretas, & ſubſidentes non eſſe evidens, certum, & demonſtrativum calculoſæ veſicæ indicium. Vt me com-

comprehenderes, non emittendum, dilemmate capere ſtudes, & hoc ἀμφιβλήστρῳ plane irretire. Cum te ſcire fatearis nec Theſſali me ſectatorem eſſe, nec Iuliani, qui falſi convincebant Aphoriſmos Hippocratis, in hoc tamen Aphoriſmo videre te ſcribis eorum me ſententiæ plane ſubſcribere, etſi videri id nolim. *Nam hoc*, inquis, *omnino ex tua explicatione concludi poteſt, ſive vera illa ſit, ſive falſa. Si vera eſt, tum certe fallax & mendax erit definitio, quia ex arenis in veſica deliteſcentibus ſignum dari calculi æque intra veſicam occultati affirmat. Quo nihil falſius eſſe jam ſupra demonſtravimus.* Ego è contrario jam ſupra demonſtravi ejuſmodi indicia Hippocratis doctrinæ convenire; atque verum eſſe calculi ſignum, ſi arenæ, ante ſcilicet excerni ſolitæ, ſupprimantur; & ita eum naſci ipſe fateris. Pergis, *Si falſa eſt expoſitio tua, hic tamen ex tua ſententia Aphoriſmi falſitas, & fallacia deprehendetur, quia ſtatuis, niſi quis eum ita exponendum cenſeat, ut tu cenſes, non poſſe ulla ratione Aphoriſmi veritatem conſiſtere.* Vt veritas ei conſtaret, ego ita expoſui. At ſimpliciter & abſolute,

ut

ut vulgo ſumitur, verum eſſe, nemo medicorum ſtatuere poteſt, quod ex locis aliquot jam adductis abunde liquet. Hinc ad alia confugere coacti fuere, & tu illorum veſtigiis inſiſtere. Ac quamvis ingenue fatear, præ tantis architectis non dignum me eſſe, qui figam palum in parietem. Non putarim tamen, quod ſciam

Δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν αἰσχρὸν ἐσκρούειν λίθον,
Iterum ad eundem turpe lapidem impingere,

iterata me ſcriptione ſignum lapidis in arena, fundamento parum ſtabili ſtructum, deſtruere malo more voluiſſe. Vis cum illis, quos citavi, τὰ ψαμμώδεα non eſſe ſimpliciter arenas, ſed detrita à lapide ramenta. Verum iſta deteri non poſſe demonſtravi neque à veſica, neque ab urina, ſed tantum ex pluribus calculis invicem colliſis, & ſe mutuo, (quod eſt in veteri Græcorum dicto, τὸν ξύοντα ἀντιξύειν, *ſcalpentem viciſſim ſcalpere*) attritu abradentibus, unde frictu lævigata ſcabritie, læves & plani tales calculi. At hoc rarius contingere ſolet. *Vt Aphoriſmo*, inquis, *conſtet certitudo ac veritas, ſatis eſt ſi definiat, quod ut plurimum*

mum ſolet contingere, etiamſi non ſemper, nec omnibus. Sed quæſo te, an ut plurimum ſunt duo, vel plures calculi (quod Hippocrates in ſabuloſa urina requirit) & hi quidem in veſica puerorum arenoſi, ut ipſe hanc rem determinaſti? Equidem, qui aliter quotidie video, neutiquam id tibi credere poſſum, neque quod raro contingit, pro univerſali capere indicio. Si ut plurimum à calculo arenoſo quid abſcederet, facile obtineres, quod contendis: ſed cum id non fiat, tota res limitibus Hippocrateis eſt circumſcribenda. Altera expoſitio, ut nimirum λιθιῶσιν intelligatur de διαθέσεως calculoſa, quatenus ſcilicet qui arenas excernunt, veſicam habere aliquando poſſint calculo obnoxiam; non poteſt nervos, nec firmamentum accipere, niſi ex mea interpretatione. Agnoſcis ipſe, quod Avicenna dixit, *in quo eſt ſedimen arenoſum, in eo non aggregatur lapis, quoniam materia non eſt retenta.* Itaque non poteſt ſignum peti de calculo, antequam coagulentur arenæ; quod non fit, dum in urina emiſſa ſubſident, ſed dum in veſica retinentur. Et in hoc noſtræ diſputationis cardo verſatur. Hanc priuſquam

quam concludam, relaturus talionem, te quoque dilemmate concludere tentabo, quod mutuabor ex duplici illa expositione. Statuis cum Medicis, quos citavi, τὰ ψαμμώδεα significare sabulosa calculi ramenta, vel, ut vulgo Aphorismus intelligitur, simpliciter arenas. Si prius, sabulosa ista tantum indicare possunt de pluribus calculis se mutuo atterentibus; & tum neutiquam διάθεσις, quod vis, esse potest, ut calculus aliquando generetur, qui jam generatus est. Si posterior significatio obtinet de arenis, non potest esse signum vesicæ jam calculosæ, immo nec, quæ ut plurimum calculosa futura est. Longe enim plures sunt qui arenas excernunt absque ullo unquam calculi incommodo, quam quibus calculus ex iis coagmentatur, ut supra fusius annotatum. Et hoc potissimum in iis habere locum, qui quamplurimos cum urina profundunt, ipse ex Avicenna confirmasti. Quare non est quod amplius hoc saxum volvam, aut stare diutius audeam πρὸς λέοντα δορκάς, *caprea adversus leonem*, vitilitigator, vel Ἀρχόντου πλαγὴ auditurus, si fastidiose me latius vellem diffundere, aut ἀπειρο-

κόλλως singula pœne verba ad vivum resecare. Hoc enim nihil aliud esset, quam quod est in Græcorum proverbio, τὰς κέγχρεις ἀποτορνεύειν: *milii grana torno sculpere*, aut potius ἄμμον μετρεῖν, *arenas numerare.* Ego, qui optime nossem, in me verum esse, quod olim à Græco poëta scriptum est,

Χωρὶς τότ' εἰπεῖν πολλὰ, καὶ τὰ καίρια,

Sejuncta sunt hæc, multa & apta dicere,

cum aliter me posse diffiderem, brevitate saltem tibi ut placerem, laboravi. Quod si hæc iterum minus placebunt (ut quidem præter votum, non vero expectationem,) stat sententia, pedibus transire in tuam, quæ mihi merito in omnibus loco oraculi. Disputavimus pluribus de uno calculi signo, sed utinam admissum potius ejicere, vel ne admitteretur prohibere possimus, nec audiendus esset versus veteris poëtæ apud Plutarchum,

Ἐν δὲ λίθοις ἐμάχοντο, λίθον δ' οὐκ ἦν ἀνελέσθαι.

Pugna erat in saxis, neque saxum tollere quibant.

Solus hic scopus meus, hæc mea Sparta, quam ornare contendo, magis à te ornatam. Quare unicum hoc restat, ut

immor-

immortales tibi gratias habeam, Vir immortalitate digniſſime, quod me, & Medicos omnes admirandæ eruditionis tuæ radiis illuſtrare, & tot craſſæ ignorantiæ nebulas ex arte diſcutere non ſis gravatus. Credatur unicum iſtud eſſe hujus ſcriptionis argumentum. Quandoquidem enim, ut eſt apud Ariſtotelem, πολλὰς φιλίας ἀπροσηγορία διέλυσεν, *multas amicitias ſilentium diremit*, ego ne tua exciderem, malui male, quam nihil reſpondere. Serviat ergo hoc qualecunque ſcriptum conſervando affectui tuo, quo quamvis immerentem ab eo tempore, quo ſemel in amicitiam tuam ſum admiſſus, tam conſtanter proſequi dignatus es. Ita Deum veneror, te, Nobiliſſime Domine, incolumem diu ſervet, ad literarum decus, & ſeculi gloriam. Dordrechti prid. Kal. Ianuar. CIↃ IↃC XLI. quem tibi annum, & plurimos ſequentes fauſtos voveo.

Cum iterum requiſiviſſem judicium magni Voſſii noſtri, quod ei detuliſti de controverſa nobis metonymia, tardius ad me reſponſionem ſuam dedit. Quam tamen hic leges, ut per me non ſtetiſſe videas, quo minus id haberemus.

S. P. *An*

S. P. *An quia & ipse de Palamonis arte non pauca consignavi, amplissime Beverovici, eo similiter sapere me putas, ac nobilem illum Grammaticum Vicentinum: qui tam stulte sapiebat, ut putaret nomen suum propterea à Marone positum esse in Bucolicis, quod præsagiisset, ipsum quandoque fore judicem poëmatum, & poëtarum?*

Non ea vis animo, nec tanta superbia nobis,
Nec tam aversus equos Batavis sol jungit ab oris.

Nunquam ego vel de poëtis, vel de aliis summis viris, quale hoc par, quod me scis dicere, judicium mihi vindicabo. Et profecto, qua parte ego, & Vicentinus ille, si artem, quodammodo communem exceperis, convenimus? Ille natas secum, & morituras ajebat literas. Ego vix ausim inter literatos nomen profiteri meum. Literatorem dici sinent, qui non aliud objectant, quam quod illustris vestræ Vrbis proceres juvenem me Gymnasio suo præfecerint. Præterea Vicentinus iste Varronem vocabat porcum. Mihi cum illo omnium togatorum doctissimo bene convenit,

nit, nec minus cum nostri seculi Varrone, τῷ πάνυ Salmasio, quem toto orbe obstupescit, quicquid pene est doctorum; nec minus omnis admirabitur posteritas. Dixeris, ista οὐδὲν πρὸς ἔπος, exposci judicium meum de metonymico istoc loquendi genere. Equidem non defugerem hunc laborem, nisi certus essem, solum dicis, vel honoris gratia, hoc judicii mihi à duobus summis, & mei amantissimis, deferri. Quid enim sit statuendum, videtis per vos ipsi, & hoc videre vos vident omnes. Vel ex literis super eo à te scriptis, quilibet, non solum Vulpius tuus, viderit, sententias ambas à veritatis & pacis studioso tam facile posse conciliari, quam vulpes pyrum comest. De valetudine Roverii &c. Amstelodami CIↃ IↃC XLI. IV *Kal. Febr.*

Tuus omni officio

GERARDVS IO. VOSSIVS.

IOH.

IOH. BEVEROVICII
SPICILEGIVM
DE
CALCVLO.



Clariſſimo, & excellentiſſimo viro,

FORTVNIO LICETO,

eminenti, & ſupraordinario, in Academia Bononienſi, Philoſophiæ Profeſſori,

IOH. BEVEROVICIVS S. D.

Clariſſime vir, Non ſolum ſtudiorum mater Bononia veſtra, ſed univerſa Italia produxit ab omni ævo viros eruditionis laude celebres, quique nominis ſui fama, & æternis ſcriptis patriam illuſtrarunt. Inter eos, qui, cum apud vos agerem, eminebant, fuere omnes, non pauci, quibus flos ætatis nil niſi flos, præter excellentiſſimos dominos Licetum, & Sylvaticum, quorum altis radicibus pepercere Parcæ, ut eſſet urbi veſtræ, unde doctior orbis uberes perciperet & demeteret doctrinæ fructus. Vivite etiamnum fœlices Heroicæ animæ, nec gravis vobis unquam ſit, quæ indoctis onus Ætna gravius, ingraveſcens

hæc ætas, in qua Philoſophiæ, & Medicinæ cultoribus præeſſe & prodeſſe non defatigamini. Gloria Iſocratis vos maneat, qui Panathenaicum ſe ſcripſiſſe teſtatur quarto & nonageſimo ætatis anno. Maneat & vos Leontini Gorgiæ fœlicitas, qui centum & ſeptem complevit annos, neque unquam in ſuo ſtudio atque opere ceſſavit, teſtatus nihil ſe habere cur accuſaret ſenectutem. Membris enim, ut inquit ille, ſeneſcentibus, eruditorum intus animus induſtriæ beneficio florem juventæ retinet. Hoc vel præcipue in vobis habet locum, qui nihil ab illa ætate præter canos, atque prudentiam; & quibus

— nec tarda ſenectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem.

Ita enim mihi retulit doctiſſ. juvenis Seb. Hogendicius, qui nuper à vobis laurum ſibi Patavinam, mihi ſalutem & literas. Legere in tuis volupe fuit, edidiſſe te Quæſita per Epiſtolas à Clariſſimis viris. Sed quod & meas inſerueris, metuo, ne dum, affectui indulgens, nomen meum condecorare ſtudes, luculentum opus tuum collutules; tantum ab eſt, ut mihi aſſu-

aſſumam, quæ illis nimium amice tribuis. Munus ipſum avide expectanti nondum allatum eſt, ut nec tibi, quantum ſuſpicor, meum de Vitæ termino. Fortaſſis eodem id uterque accipiemus tempore, quod eodem menſe miſimus, & animo. Ego cum gratus eſſe non poſſim, ut memorem videas, hoc de Calculo Spicilegium celeberrimo nomini tuo inſcribere volui, & veluti ad aram ſuſpendere meæ in te obſervantiæ. Quid! iterumne, inquies, hoc ſaxum volvis? Quamvis, qui jam aliquot annos immunis vixerim à nephritica calamitate, Æſculapio gallum debere videor: non poſſum tamen penitus mihi perſuadere, alienis periculis, quæ quotidie ſe offerunt, factus cautior, hoſpitem me à diro hoc hoſpite tutum. Quare omnes undique nervos intendo, iſtum, qui me parum hoſpitaliter habere ſolet, ex hoſpitali loco, hoſtiliter ut exturbem. Itaque nullum non movi lapidem, ne lapis eſſem in eruendis ejus cauſſis, & deſtruendis. Poſt tantam meſſem, & Spicilegium philoſopho relictum eſt. Eandem quidem coagulationis cauſſam in mundo, & microcoſmo mecum ſtatuere videbis Cl. Harveum,

medicum regis magnæ Britanniæ: ſed quænam eſſet, poſt longam & laborioſam inquiſitionem, nondum inveniſſe. Videbis & Cl. Meyſſonnerium eandem in utroque admittere, & referre cum Chymicis ad ſpiritum coagulantem, quem Mercurialis nomine donat. Hæc res cum curationis curam inprimis ac ſcopum indicet, digna certe eſt, quam Naturæ interpres acu tangas, & in qua ingenii acumine cæles hactenus celatam veritatem. Ita fœliciter valeas, ita diu incolumis vivas, Vir excellentiſſime, nobis amicus, ut Muſis. Dordrechti, Non. Octobr. cIↄ Iↄc xl.

Ampliſſimi viri

GVLIELMI STACMANI

Ex Ordd. generalibus fœderati Belgii,

Ad

IOH. BEVEROVICIVM

de Calculo ſcribentem,

EPIGRAMMA.

QVò mihi, ſpectantem faciens lapideſcere turbam;
Atque animare potis marmora Praxiteles?

Inge-

Ingenium cesset; cesset jam dextera, dignos
Mendaci populo fingere docta Deos.
Saxea nativos vultus simulârit imago:
Nullus at in toto corpore sensus erat.
Seu Latii starēt, seù facundissima Graiûm
Ora: magis trunco non potuêre loqui.
Exprimere est aliquid muto de marmore vivos:
Sed nullā infirmis hoc opus addit opem.
Exprimis è vivis tu saxa, Batave Machaon:
Sentiturque tuâ jam minùs arte dolor.
Cedat & hic penitùs: sed, fato vindice, tortor
Alterius, causa est torminis ipse sibi.
Quis mortale genus letho subducat Apollo?
Intrà se miseri semina mortis habent.
Tu tamen egregiè de nobis perge mereri;
Dáque dehinc vitâ vividiore frui.
Tracta sit è magnis olim par gloria: majus
Tractanti affulget saxa minora decus.
Eriget alma Salus ex his insigne tropæum:
Fautoremque suum Musa perennè canet.

Nobilissimi viri,

CONSTANTINI HVGENII,
Equitis, Domini de Zulichem, Principi Aurasio à Consiliis, & Secretis,

AD EVNDEM.

Non patior, Beverovici, tua tormina, nullum
Vesica, nullum Renibus urget onus.
Durius ægroto: totum stupor ista legentem
Fecit inaudita duritie lapidem.
Exede quod, Medice, intrîsti, saxumque voluta
Quod facis, ut saxo, qui latet, extet homo;
Extet homo, qui te lapidem, facunde, docentem
Non lapis, &, quo nunc non valet ore, canat.
Quid fugis, aut palles? nempe illud flebile pensum
Sisyphi, at hoc Batavi Deucalionis erit.

CONSTANTER.

AD

AD EVNDEM.

CAlcule, ſeu renum mediis innaſcere fibris,
Seu quavis chari corporis æde lates,
Scriptori nunc parce, tuo nunc parce medenti,
Te precium inventis mitiget ille ſuis.
Sic aliquis media ſanator peſte ſuperſtat
Vnus & illæſam civibus addit opem,
Quique Deo ſontes infeſtat lethifer urbes
Morbus, habet Medicum cur beet ipſe virum
Cur cupiat minus eſſe nocens, cinerique necique
Eximat; æquali, Calcule, diſce modo,
Diſce modo rabidos æquali tollere punctus,
Et Beverovicio dedoluiſſe meo.
Sin minus; ipſe novis te perget pellere curis,
Moxque tui claro Marte ſubactor erit,
Molliet & cunctis durum mortalibus hoſtem,
Salvificamque feret pluribus ipſe manum.
Sic Vni nunquam, poteris nocuiſſe nec ulli.
Atque ſcies ſoli te riguiſſe tibi.

CORN. BOY. J.C^tus^.

Medicamenta obvia, & paratu facilia præstare exoticis. Non semper uno rene obstructo alterum cessare ab officio. Renis putridi & gangrænosi exemplum.

IOHANNI BEVEROVICIO, Patricio, & Medico Dordrechtano,

GVIDO PATINVS Bellovacus, Doctor Medicus Parisiensis

S. P. D.

Vir Clarissime,

IAmdudum est ex quo me convenit ingenuus sanè ac eruditus adolescens Dordrechtanus, qui cum humanissimo tuo nomine me salutavit, tum vero ea mihi de Te retulit quæ amorem erga Te meum haud difficulter accenderunt: neque prius destitit animus, quam illum per literas statim exhiberem, Teque rogarem, ut vicissim aliquam tuæ in me benevolentiæ testificationem depromeres: gestio etiam & Te deinceps affari, cujus nominis fama jamdudum ad me pervenerat, & Tibi penitus innotescere, cujus libros ad me delatos tanta cum alacritate animi semel ac iterum evolvi: illos sanè in Musæo nostro

collo-

collocatos non invitus ostendi illi juveni tuo populari; præcipuè verò postremum illum de Calculo quem non prius è manibus deposui quàm totum legissem, adeo scilicet doctus & eruditus mihi visus est: dignusq; certè qui omnium quotquot Medicinæ dant operam manibus teratur: hoc præsertim tempore, quo nescio quo fato tam multi laborant Calculo: atque inprimis omnes fere qui elegantiores atque politiores Musas colunt: cujus rei locupletissimum testem habemus vestrum illum Erasmum, verè ἐξόχιμον, melioris literaturæ facilè principem, qui tam sæpe in aureis illis suis Epistolis de diro ac crudeli illo morbo conqueritur: quemque ideo scite admodum vocat suum carnificem. plura etiam in hanc rem refert Illustrissimus Thuanus noster, historiarum sui temporis scriptor dignissimus, in Elogiis Claudii Puteani, Ioan. Heurnii & aliorum. Illud verò, ut liberè fatear, postremum illum ingenii tui fœtum mihi maximè commendavit, quod in eo Clarissimi Viri D. Gabr. Naudæi, mihique longè charissimi nomen summa animi voluptate deprehendi, velut gemmam aliquam intertextum. Gaudeo quippe de illo viro mentionem fieri,

quicum jampridem certissimo sinceri miniméque fucati amoris vinculo junctus sum; quemque ipse toto illo tempore quo in Italia versatur usque adeo colere dignatus est, ut omnibus officiis me abundè cumularit, non modo doctis ac omni eruditione plenis Epistolis, quas non raro ad me scribit; verum etiam egregiis illis libellis, quos à se accuratè elaboratos identidem chari muneris loco Musarum ille verè amasius ad me transmittit. Ex quibus singulis unus est mihi instar omnium, nuperrimum illud syntagma de Studio Militari, quem ab omnibus doctis tantopere probatum video, præcipuè à dignissimo illo hujusce rei arbitro Nicolao Borbonio, Linguæ Græcæ Ex-professore Regio. Is enim Vir literarum omniumque literatorum verè amans, ubi vel primas ejus libri quem ad me ab Authore missum ei commendaveram, lineas delibavit, non potuit quin summopere laudaret, suoque calculo lubens approbaret; elegantissimo nimirum Epigrammate (cujus ipse Nicolaus Borbonius mirus est atque egregius artifex) in Naudæi laudem contexto, cujus exemplar illico Romam ad amicum nostrum transmisi. Audivi & acre de illo judi-

judicium Clariss. & Nobiliss. Viri Hugonis Grotii, quem ad Regem Christianissimum Sueci Oratorem legarunt: quemque eximiæ eruditionis nomine universus pene orbis demiratur. Legit & opus illud aureum Renatus Morellus Regius Medicinæ Professor, quondam præceptor, nunc Collega meus, quem bibliothecam ambulantem verè possim appellare: legit inquam, & quo pollet ingenii acumine laudavit. Denique nemo est qui librum hunc non miretur ob eximiam illam polymatheiam, & reconditam doctrinam, quæ ubique diffusa in hoc opere legitur: quamobrem tantæ doctrinæ virum & Tibi pariter & mihi amicissimum, optarim certè vel Pylios annos vivere, diuque bona valetudine frui, ut pergat & rei literariæ esse honori, & arti Medicæ, quam apprimè callet, ornamento: quanquam istius disciplinæ, quæ ambitu suo quam latissime patet, finibus circumscribi non valet illius ingens & ad egregia quæque natus animus, si jam ea ætate rerum omnium encyclopædiâ non sine purpuratorum Italiæ Principum stupore cernitur instructus ac plane expolitus. Sed ut è diverticulo ad viam, & à Naudæo meo ad librum tuum

de Calculo regrediar, non poſſum, crede mihi, quin opuſculum illud tuum ſummopere laudem, utpote quod & curantibus Medicis, & languentibus à Calculo ægrotis valde ſit profuturum: quamobrem, Clariſſime Beverovici, hortor te ut pergas doctiſſimis tuis lucubrationibus Artis noſtræ gloriam illuſtrare & augere adverſus ciniflonum atque agyrtarum de Paracelſi grege calumnias; tum ut hac ratione bonorum omnium benevolentiam promerearis, tum vero ut tui nominis gloria per univerſum orbem longè lateque diffundatur. Audivi præterea ab ingenuo illo juvene te propediem editurum opus de plantis & medicamentis indigenis: quare ejuſdem argumenti librum lingua noſtra vernacula editum illi oſtendi, cujus titulum ad te mitto. ſi ſperas illum aliquatenus tibi profuturum, pergratum erit mihi ut eo utaris tanquam tuo: rem ſanè aggrederis & jucundiſſimam, tuoque ingenio digniſſimam, tum vero in Artis noſtræ operibus longè utiliſſimam: ſi nempe tua ope, tuoque beneficio longe accitis & ab ultimis mundi finibus deportatis mercibus Medici amplius non indigebunt, ſed tutò & facilè natis apud ſe medicamentis,

tis, morborum curationem aggredi poterunt. Perge igitur, Elegantissime Beverovici, & rem Medicam illustrare ac augere eo quo polles ingenio nunquam intermittente. Tale prope fuit olim consilium eruditi scriptoris Antonii Mizaldi Monluciensis, in suo Horto Medico & auxiliari, dum in eo describeret multa remedia εὐπόριστα *& paratu facilia, quorum beneficio liberaretur & eximeretur populus à tyrannide Pharmacopœorum, qui nulla omnino præsidia nisi carò empta quidquam putant prodesse in morbis: quibus non minus pulchrè quam verè potest objici illud Hesiodi:*

Νήπιοι οὐδ' ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντὸς,
Οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ.

Stulti neque sciunt quanto plus dimidium sit toto,
Neque quam magnum in Malva & Asphodelo bonum.

Perge inquam, & si vel modicum juvare te possim, efficiam certè ut operam, studium & amorem in Te meum nunquam desideres. Cæterum mitto ad te meam effigiem stipulatione solita, ut vicissim mittas tuam, quam magni muneris loco habebo,

bebo, ut cujus exemplar in oculis feram. Vale igitur, mi Beverovici, eumque semper ama qui ad omnia Tibi paratissimus futurus est

GVIDO PATINVS Bellovacus
Doctor Medicus Parisiensis.

Datum Lutetiæ Parisiorum XIV
Kal. Aug. M. DC. XL.

Ex perlecto libello tuo de Calculo quidam animo meo hærent scrupuli, quorum solutionem à Te, vir Clarissime, expeto & expecto.

Quemnam scripsisti librum de sanitate tuenda? Vidi duplicem editionem libri de fatali vitæ Termino, in 8. & in 4. Vidi librum de Calculo: Vidi Ideam Medicinæ Veterum ex non Medicis: sed librum hunc tuum de sanitate tuenda nunquam vidi, nec audivi.

Quidnam & ubinam scripsisti adversus nostrum Mich. Montanum, (quem Belgii olim vestri decus & ornamentum singulare Iustus Lipsius Thaletem Gallicum appellabat) super Medicinæ nostræ patrocinio, quam ille viliorem esse voluerat? de hoc enim tuo opere nihil quidquam audivi.

Ad ea quod ſpectat quæ narrantur in tuo libro de Calculo, Pag. 5. & 6. de Renum conſenſu, inter alia multa quæ paſſim in operibus Artis exempla deprehendi, quæ conſenſum ejuſmodi deſtruunt, & Lud. Dureti, Foreſti, Riolani, aliorumque ſententiam elevant, unum occurrit mihi anno ſuperiore digniſſimum quod tibi enarrem. Vir Nobiliſſimus idemque optimus Iacobus Myro, Senator Pariſienſis, cum eſſet raræ texturæ & infirmæ valetudinis, circa initium Februarii incidit in febrim continuam, quæ ex prægrandi abſceſſu rupto in Meſenterio cum pravis aliquot ſymptomatis, præſertim vero Diarrhœâ bilioſa & ſeroſa, jugibus vigiliis, Hæmorrhoïdibus & univerſi corporis colliquatione, verſa eſt in lentam ſymptomaticam, qualem graphicè deſcripſit Clariſſimum olim ſcholæ noſtræ lumen Io. Fernelius, lib. 4. Pathol. cap. 16. ſub finem. Ex hoc affectu poſtquam decubuiſſet nobilis Senator, per quinque ferè menſes, quibus in dies pugnatum eſt arte medendi, *tandem* exitium ſuperavit opem quæ victa jacebat, *fatiſque ceſſit morte leniſſima, ſine ulla vi ullaque torſione: quaque placidiorem nullam potuiſſet unquam*

quam ſperare, neque optare Auguſtus ipſe, ſine ullo cruciatu & tormento, quam εὐθανασίας nomine indigetare ſolebat. Tranſactis ab exceſſu horis XII diſſectum fuit cadaver me præſente, & aliis multis. Inter cætera obſervatu digniſſima quæ conſultò annotavi (quorum omnium ſeriem tunc temporis in cognatorum gratiam à me exaratam ad Te mitto) & hoc unum fuit. Ren dexter (ex cujus vitio ſupra annos decem ſæviſſimis doloribus Nephriticis multoties fuerat divexatus) totus putris & in tabum redactus deprehenſus: in cujus media ſubſtantia & cavitate oblongum & obliquum calculum comperi, anguloſum &, ut ita dicam, cornicularem. Iam multum temporis erat ex quo haud dubiè ren ille non ſolum putris & ſanioſus, verumetiam totus gangrænoſi affectus, & corruptiſſimus, ſui muneris nihil quidquam edebat, & propria ſecernendi ſanguinis & ſeri excernendi facultate deſtitutus erat: qui enim potuiſſet obſtructo meatu à grandiore Calculo, & corrupta ad eum putredinis gradum propria ſubſtantia, ut ipſius renis nihil aliud quidquam haberet præter figuram & tunicam, quæ pro renis ſubſtantia

tia merum tabum idque nigerrimum continebat? & tamen nulla unquam laboravit per totum morbum urinæ suppressione. Quod sane sæpius quoque à XV. annis in hac populosa urbe calculosorum feracissima facile observavi. Ergo non est semper verum uno rene obstructo, alterum statim cessare ab officio, cum ægrorum plurimi urinam profundant alterius renis beneficio ad ultimum usque vitæ momentum.

Verum hæc omnia Tibi subjicio, Clarissime Beverovici, & judicium tuum super his quæsitis expecto per epistolam, si quid Tibi à melioribus studiis supersit otii, & si animus fert ad me scribere. Vale igitur iterumque Vale.

Tui amantissimus & obsequentissimus

GVIDO PATINVS Bell.
Doct. Med. Paris.

Incipiens Coma ex suppressione urinæ à Calculo curatum: ut & Convulsio atque Cæcitas.

GVI-

GVIDONI PATINO,
Medicinæ Doctori Parisiensi.

IOH. BEVEROVICIVS S. D.

CLarissime, & Excellentissime Vir, Scripserat mihi Patavio, unde nuper Doctoratus laureâ redimitus rediit, eruditus juvenis Seb. Hogendicius, salutasse se Lutetiæ magni nominis medicum, Cl. Patinum, qui brevi literas ad me daturus esset. Illas cum incredibili desiderio jamdiu expectassem, tandem exoptatissimas attulit nobilissimus Clotovicius. In iis non minus exosculatus sum niveum animi tui candorem, quam admiratus eximiam eruditionem. Merito sane deploras eorum, qui politiores Musas colunt, triste fatum à Calculo. Equidem malim quidvis mihi cum magnis viris commune esse, quam Erasmianum illud, parum, proh dolor! ἐρασμιον. Quod vel Stoico judice vincam. Heracleotes Dionysius, cum à Zenone fortis esse didicisset, à dolore deductus est. Nam cum ex renibus, ut scribit Cicero, laboraret, ipso in ejulatu clamitabat, falsa esse illa, quæ de dolore sensisset ipse.

In

in ſedentariam iſtud fortaſſis vitam eorum referri poſſit, qui libris aſſiduiores. Sed ab hoc otio liberaliter me eximunt politica, & medica negotia. Tamen cum magno Eraſmo, ſi quæ eſt ea gloria, de Calculo conqueror. Hoc nimirum eſt, quod canit Martialis:

Carmina quod ſcribis Muſis & Apolline nullo,
Laudari debes, hoc Ciceronis habes.

Optarim certe ultimus poëtarum potius eſſe, quam princeps Calculoſorum. Et ab utroque extremo parum videor abeſſe. Verſus, quos paucos feci, & quamvis Græcos, tamen Ciceronianos, admiratur nemo: Calculos, quos excrevi, inprimis poſtremum, è glande extractum, omnes. Hinc πάντα κάλων σείω, ut inviſam ſtirpem radicitus, imo etiam eradicitus evellam. Mirum profecto, quam parum in his fecerint, ac profecerint artis noſtræ proceres. Reliqui, Hippocrate & Galeno freti, ſecure in utramque aurem dormiunt, & poſteriores abſque altiori indagine pedibus eunt in priorum ſententiam. Tot ſeculis ab innumeris ſcriptoribus nihil dictum, niſi quod dictum prius, ad nau-

ſeam lectorum. Crambe recocta. Incepere quid Chymici, nec infœliciter. Quorum veſtigiis inſiſtens non ipſe modo diligenter omnia inveſtigo, ſed quantum eſt ubique eximiorum Medicorum in conſilium adhibeo. Inter eos etiam Clariſſimum Morellum, collegam tuum, & utrique amiciſſimum Naudæum (addere liceat) noſtrum. Hujus Syntagma de Studio militari, authoris munus, vidi, legi, probavi. Et quid non ego, probatum optimo cuique & doctiſſimo, celebratumque à nobili poëta Borbonio, cujus ego viri ingenium & ingenioſos verſus unice ſuſpicio. At judicio Grotii, nihil ſublimius. O incomparabile patriæ decus, quamvis patriæ, ut videtur, non natum! Vates eſſe potuit ſummus vatum, & amicorum Cl. Heinſius, cum ante XXVI annos imagini ejus inter alia ſubſcriberet:

Depoſitum cœli, quod jure Batavia mater
Horret, & haud credit ſe peperiſſe ſibi.

De libro Gallico, quem offers, Batavice accipiam, ſi R. P. Merſenno tradideris, qui ſua mittere ſolet Zulichemi toparchæ, Principi à Conſiliis, mihi amiciſſimo.

no. Pro effigie tua ſummas habeo gratias, eamque inter gratiſſima habebo κειμήλια. Recte ſcripſit Lipſius noſter natura nos trahi ad ſimulachra & effigies magnorum virorum noſcendas, & illa corpora, ſeu hoſpitia, quibus cœleſtis ſe animus incluſit. Videntur etiam, ut olim Miltiadis trophæa Themiſtoclem, ingenuas mentes excitare ad eruditas virtutes. Hinc & laudabili veterum more in bibliotheca mea eruditorum vultus pictos, aut ſculptos ſervo, inter quos etiam nunc tuum, Eraſmo, Grotio, & ſimilibus heroibus junctum. Meam dum ſculperet egregius artifex, imperfecto operi immortuus eſt. De alio poſtea non cogitavi. Hoc tamen tibi, & amicis, qui ſuam miſerunt, ἀντίδωρον debeo, amicitiæ fovendæ μνημόσυνον & monitorem. Theſaurum ſanitatis, jam quater excuſum, ſcripſi lingua vernacula, quare non mirum ad vos non allatum eſſe, ut nec librum eodem ſermone ſuperiori anno editum de Excellentia fœminei ſexus, quem Latine prius conſcripſeram in gratiam nobiliſſimæ heroinæ, Annæ Mariæ à Schurman, virginis ad miraculum eruditæ. In lucem dedi cum aliis ejus Epi-

ſtolam

ſtolam de vitæ termino, quam brevi alia ſequentur. Spero occaſionem fore, tecum ea communicandi. Edidi olim Encomium Medicinæ à puero conſcriptum, cui addidi Montanum ἐλεγχόμενον. Neutrum dignum oculos tuos ſubire. Quod amice mones non ſemper verum eſſe, uno rene obſtructo, alterum ſtatim ceſſare ab officio, recte ſentis; neque ego id aſſerui, cum ſæpius contrarium tecum obſervaverim. Notavi tantum, velluti rem notatu dignam, me id cum Valleſio, in quo hoc fruſtra reprehendit Pereda, & aliis, qui citantur, non ſemel vidiſſe. Pro exemplo Myronis, referam duo alia, animadverſione, ut mihi videtur, digniſſima.

Scripſi pag. cxx. qui ex ſuppreſſione urinæ ſoporantur Comate, perpetuo eos ſopore urgeri, ob venenatam qualitatem ab urina cerebro impreſſam. Quæ ſi nondum penitus cerebro communicata, ſed tantum invitet ſomnum, ſomnolentus æger, ſubſequente urinæ profluvio, ſanitatem recipere poteſt. In vivis adhuc eſt, qui ante biennium fere vixerat, vir quinquagenarius nephriticis & arthriticis doloribus valde obnoxius. Inciderat

in

in omnimodam urinæ ſuppreſſionem, cum continuo vomitu, & vehementi dolore, in utroque hypochondrii latere, utrinq; ad renes extenſo. Poſt uſum clyſterum, fotuum, decoctorum, & pulverum diureticorum, quinto demum die paullum urinæ guttatim reddidit. Eodem mane cucurbitulam utrimque paullum infra locum dolentem ter imponere curavi, quibus ſe manifeſtam attractionem, & motum quendam calculorum percepiſſe, poſtea mihi affirmavit. Affligebatur interim difficili reſpiratione, voce rauca, & ſomnolentia, ſed momentanea. Conquerebatur ipſe urinam jam pectus tranſiiſſe, & jugulum petere, ſe jugulando. Ego etiam, cum circa veſperam plane pronus eſſet in ſomnum, verebar, quod ſæpe videram, ne eſſet illi

Nox hæc perpetuo una dormienda:

Quare adſtantes, qui ſomnum pro augurio ſalutis habere ſolent, monui res ægri periculoſiſſimæ aleæ plenas eſſe, eumque jam inter ſacrum ſaxumque ſtare. Nam certe, quibus ἰσχουρία ſomnum affert,

—πάντεσσιν ἐπὶ ξυροῦ ἵσταται ἀκμῆς,
Ἢ μάλα λυγρὸς ὄλεθρος Ἀχαιοῖς, ἠὲ βιῶναι.

-- *cun-*

—cunctis sita res in cuspide ferri est,
Vivantne, an tristi exitio absumantur
Achivi.

Sed magnam partem, etiam cum domesticis, querelarum & ejulatuum desinentes, κῶφως διάγειν videantur, κωματώδεις absque sensu extinguuntur, atque ita, ut inquit poëta,

Illis dura quies oculos, & ferreus urget
Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem.

At noster assumpto bis ex apozemate, & summo mane undecim guttis olei Iuniperini cum vino Rhenano, paullo post calculum excrevit oblongum & acuminatum, quem magna urinæ crudissimæ copia sequebatur. Hinc dextri hypochondrii cruciatu liberatus, perseveravit tamen dolor sinistri, cum cõtinuo, & vehementi vomitu (urina interim copiose, & libere profluente, cruda admodum, & quæ veluti ramenta ureteris haberet admixta) ad diem undecimum, quo eum accedenti, illo se mane omni dolore levatum esse referebat; nisi quod de δυσουρίᾳ conquereretur. Inditio in vesicam malum jam descendisse. Quare ut hosti fugam adornanti pontem sternerem,
iterum

iterum pulverem exhibui diureticum, qui poſt tres horas duos calculos expulit piſi magnitudine, & pari mox intervallo alteros duos ejuſdem fere ponderis. Hinc ceſſante vomitu, aliiſque ſymptomatis, funeſto inprimis veterno diſcuſſo, præſentaneum, quod ei imminebat à conſanguineo ejus, vel fratre, & qui hic ſæpe, ut dicitur Colutho, θανάτοιο συνέμπορος, *mortis comes*, bono ſuo fato diſcrimen evaſit, & nunc Rhenano Liberi patris flore, cujus mercator eſt, reliquas deformis ægrimoniæ maculas abſterget.

Sed ut Coma hoc, quando non excedit urina, frequenter induci videmus: ita rarum, & neſcio an ab ullo unquam literis conſignatum, è ſuppreſſa naſci Convulſionem (quo reſpexiſſe videri poſſit Hippocrates in Coacis, ubi dicit urinam ſuppreſſam, maximeque cum capitis dolore, convulſionem minari) atque Cœcitatem, quibus puerum correptum vidi, & curatum. Senatoris Dordrechtani filiolus, quinque annorum, cum triginta ſex horis nihil urinæ reddidiſſet, in Convulſiones incidit horrendas cum alta vociferatione, & ſtatim à primo paroxyſmo ſimul Cœcus factus eſt. Cum octiduum

tam misere tortus, & viginti quinque circiter παροξυσμὺς passus esset, tandem calculus, hucusque medicamentis promotus, è virga exectus fuit, quem copiosus urinæ fluxus comitabatur. Nihilominus ab eo tempore quater adhuc convulsus fuit. Nono die exhibui mane, etiamnum cœco, purgans; circa vesperam, visum recepit, quem postea, cum rursus convelleretur, perdidit, atque mox iterum recuperavit, & immunis deinde ab his malis jam aliquot annos mansit. In hoc videtur urina non irrigasse Cerebri substantiam, ut in Comatosis: sed vapores ejus tetra qualitate punxisse, & irritasse membranas, indeque excitatum cerebrum, quod sibi noxium sentiret, adnisum excutere; hinc isti motus convulsivi. Nullam autem hic fuisse obstructionem ex eo liquet, quod Cæcitas subito irrueret, & subito solveretur.

Hæc sunt, Vir Celeberrime, quæ statim respondere visum doctissimis literis, quibus me humaniter appellare dignatus es. Eas cum meis & aliorum cis paucos dies typographo tradere decrevi. Quare optarem tuo exemplo pluribus in urbe vestra, omnis doctrinæ emporio, de me

&

& publico bene merendi esse animum. Inprimis excellentissimo D. Moreau, cui responsionem meam à R. P. Mersenno traditam esse vix dubito. Vale, Vir magne, & me tui observantissimum, tuo amore, & eruditissimis scriptis, ut cœpisti, beare perge. Dordrechti III. Kalend. Sextil. cIↃ IↃ c XL.

GREGORIO PLASSIO
Medico Harlemensi,

IOH. BEVEROVICIVS S. D.

CLarissime vir, Cum primum olim Bononiæ salutarem perillustrem Bartoletum, statim quæsivisse eum memini, ecquid novissem excellentissimum Plassium. Ab eo tempore, nescio an Theodori Buggæi, mihi itineris ex Italia jucundissimi comitis præpropero fato, an sinistro meo, in amicitiam tuam me non insinuaverim. Cum unici nunc superstimus Bartoletianæ disciplinæ apud nos alumni, grati animi esse putavi, occasionem, qua viri optime de nobis meriti, vel post quatuor lustra, renovaretur memoria, non omittere. Illam tandem

offert egregius civis vester Vinantius, qui me hodie consilii petendi caussa accessit, & tuo se uti solere retulit. Omnia in illo nuper signa Calculi renum, dolor acerbissimus primum lumborum, mox lateris epigastrii, nausea, vomitus, urina pauca, modo aquea, modo cruenta; sed, quod mirum, nulla, levato dolore, dysuria. Hanc tamen frequenter observare solemus, cum calculus vel arenulæ ex angustis ureteribus, ubi acerrimos distendendo cruciatus excitarant, in ampliorem vesicæ capacitatem emergunt, & ad exitum stimulantur. Dubitari possit de Colico dolore, qui affinitate, quæ ei cum Nephritide intercedit, etiam exercitatis quandoque imposuit; nisi urinæ obstarent cruentæ. Hæc messis tua, Vir doctissime, in quam non immitto falcem meam. Dignus profecto te vindice nodus. Quem solvere, & quod rarioris in celeberrima experientia de Calculo observasti, mecum communicare ne graveris, rogo. Dordrechti XV. Octobr. cIↃ IↃ C XXXVII.

Dolor nephriticus quis facile evanescat, & revertatur. Calculus renalis quandoque nullum dolorem parit.

IOHANNI BEVEROVICIO Senatori & Medico Dordrechtano

GREG. PLASSIVS S. D.

TAnta molis res non erat, Vir Clarissime, ut in amicitiam meam venire, magnum aliquid æstimares; cum Amplitudini tuæ servire jamdudum expeterem, doleremq; mihi benevolentiæ tuæ aditum hactenus fuisse præclusum: qui nunc faustissimo omine, ex occasione D. D. Bartoleti, & Buggæi, laudatissimæ memoriæ virorum, se pandit: quorum alter nobis in arte Medica olim præluxit; alter verò, aliquantisper socius & collega immaturiori fato abreptus est. Vtriusque autem recordatio ut jucundissima, ita & fœlicissima mihi fuit; eo maxime, quod amicitiæ tuæ portum securus nunc innavigare liceat. Fœliciter sane Vinantius noster, quanquam suo malo infaustus, hujus rei ansam præbuit: quam nescio quo alio modo aptius arripere potuissem, ut doctissimi ingenii tui ac eruditionis particeps redderer,

rer, ea in re, quæ me non semel in medio experientiæ tramite dubium stitit, & pedem figere jussit. Quamobrem hunc mihi vindici nodum deberi, & hanc meam à te messem nuncupari nolo; cum ab eruditissimo judicio tuo expeditius longe solvi potuerit. Ne tamen amicitiæ tuæ jam apertam mihi viam præcludere videar, dicam libere (salva tamen meliore censura) quod sentio. Æstimo enim lapidem ei, in ipso dextri renis parenchymate, latiori ureteris meatui, renis cavo infixi, adjacere, imò contiguum esse: ideoque post vehementiora quædam exercitia (inter quæ lusus clavæ ac pilæ crebrior fuit) & largiores haustus, signa Calculi se prodere. Dum per vehementes lumborum contorsiones calculo plus minus moto, atque ureteris meatui incumbente, eundemque premente, per obliquum ureteris ductum dolor causatur, qui solo sæpe decubitu supino cessat: potest enim tunc latus illius dextrum fortiter apprehendi, & absque ullo dolore comprimi; eodem tamen, si surgat, recrudescente: ita ut Dies, & Quies ordinariè illum sanent; lapide per diuturnum decubitum pauxillum regresso, ac ibidem citra læsionem ullam, donec dictorum erro-
rum

rum aliquis committatur, hærente. Cujus rei experimentum, avunculi mei Nicolai van Dijck, in fortalitio Crevecœuriano quondam Præfecti, & inibi mortui, casus nobis dedit. Is ad grande senium usque de nullo unquam lumborum dolore, nec aliis nephriticis signis, est conquestus: ne quidem cum extremo suo morbo mensibus aliquot detentus, lectoque affixus, indies deficeret. Cum autem Harlemi sepeliendum corpus, & adversus putredinem muniendum, aperiretur, casu renes dissecti sunt; in quorum uno lapis, majusculæ nucis juglandis quantitatem habens, repertus, cum duobus magnis & tuberosis processibus; in altero duo calculi extabant, quorum prior magnitudine & figura pomi Persici lapidem, alter nucem amygdali, quam dentibus frangere solemus, adeo naturaliter referebant, ut ovum ovo vix similius dixisses.

Post excessum in potu dolores hos interdum exacerbari, non miror; dum serum per ramulos capillares in carunculas papillis similes stillare, & ab his in fistulas membranosas, ureterum propagines, tandemque in ureteres simul derivari, considero. Majore enim serositatum appulsu,

quid mirum, si lapis ureteris meatui contiguus, eò versus prematur, & in parte adeò sensili tantos cruciatus leviore tactu excitet: qui avunculum meum non ita obruerunt; tum quod situs istorum lapidum à membranosis in rene partibus remotior; tum quod animus ejus ab excessu, tam in potu, quam in motu, alienior fuerit.

Dolorem Colicum nobis hic non imponere, demonstrant urinæ cruentæ, & doloris ex solo decubitu alleviatio: quæ nec Calculum, nec quid simile, in uretere hæsisse, luce meridiana clarius ostendit. Levamina dolorum, sine ulla subsequente dysuria, idem adstruunt.

Hæc sunt, Vir Clarissime, quæ de Civis nostri malo observare potui; quibus quod alias ex voto tuo Observationes non addam, rogo ut tua Humanitas me excuset. Nec erit difficilis, si occupationes meas domesticas, & continuas iatricas circuitiones, me totum indies usque adeo fatigare crediderit; ut nihil pœne temporis majoribus studiis dare, multoque minus observationes practicas, quæ subinde occurrunt, examinare, & ad purioris juditii censuram exigere liceat. Veniam

quoque

quoque tardioris responsionis, Vir Magne, postulo, quam frequens primum in rus excursio, dein morbus, cum quo jam toto mense conflictor, usque in hanc horam procrastinarunt. Vale. Harlemi VI. *Kal. Decemb.* cIↃ IↃC XXXVII.

CONSTANTINO HVGENIO,
Equiti, Zulichemi Domino, Principi Aurasio à Consiliis & Secretis,

IOH. BEVEROVICIVS S.D.

QVod salute sæpius nuntiata, & epistola è castris missa, mei meminisse dignatus sis, Vir Nobilissime, multum tibi debeo. Scripseram jam N.N. præstitisse me, quod mandarat. Postea à filio mihi literæ, quibus iterum expetitur de opusculo meum judicium. Non aliud certe habeo, nisi ut tecum, & cum Heinsio nostro respondeam, ad majora natum videri sublime ingenium. In cœlestibus animis non ferimus vulgaria, quæ in illis, qui humi serpunt, non adeo solemus contemnere. Vtrumque cum in literis tuis, Vir Nobilissime, animadvertam, iterum te nugis meis adire audeo.

Quod si, ut non parum vereor, & hoc argumentum minus ad palatum tibi sit, saltem ut tanquam cultus mei argumentum accipere ne graveris, rogo. Nobilissime Domine vale, & me nominis tui admiratorem amare perge. Dordrechti XIX Dec. cIↃ IↃc XXXVII.

Modus libere & ex ingenio scribendi laudatus.

IOHANNI BEVEROVICIO,
Senatori & Medico Dordrechtano,

CONST. HUGENIUS S. D.

Cogis me stilum vertere, Beverovici doctissime, vel totum aureum optare, quo nuper, ut naturæ, plumbeo ferream tamen Censuram strinxi in N. nostri libellum, materiam parum ejus, qui scripserat, æquam viribus, & non dignas spinas inter quas obreperet serenum hocce, & summarum rerum capax ingenium. Tam præcipiti sententiæ quod cum Heinsio adstipularis, in tuto me & securo locas. Sed & stilum, quod incœpi dicere, vertenti ne nunc quidem adverseris rogo. Aureo enim, si ad manum, aut in pote-

state

ſtate mea ſit, nunc plumbeo iterum poſteritati tradam, prodiiſſe à te de Calculo libellum, non omni ſolum meliori calculo digniſſimum, ſed, verbo, aureum. Os hominis! exclames, ſi, ut res eſt, vix à me inſpectum ſcias, quod jam nunc commendo. At nec veſicæ, nec renibus debetur, quam apud me exiſtimationem longo præjudicio poſſides. Non tam recenti nomine notus mihi, aut charus es. Ab uſu jam frequenti eſt, quod, ne cauſſa quidem cognita, ſecure de te pronuncio, & ſecundum te. Sed, quod ſcire te inprimis volo, acceſſit nunc generoſa libertatis profeſſio, qua me in partes ilico pertraxiſti. Præfationem itaque, ut ſentis, legi, & pauca capitum. quibus cum tuo jure à quolibet Ariſtotele, vel Galeno, ubi expedire videbitur, diſſentire inſtituas, facis hercule rem te dignam, & ab quam paucis uſurpatam. Tædet me hodie tot libellorum, quos ex ore nempe dictantis magiſtelli exceptos, tanquam ſuos tamen & novos putidi ſcriptores venditant, ut me quidem ſæpiſſime ad hoc Philoſophi indignantis adigant, Quouſque eadem? *Sanius ergo tu doctiuſque fieri illud poſſe probas, ut non omnia perviderint, qui ante nos fuerunt;*

& ſu-

& supereſſe, & superfuturum uſque, ubi nova ſe poſteritas exerceat. Ejuſdem ſapientis eſt quem huc adducis, multum egiſſe, qui ante nos fuerunt, ſed non peregiſſe. *Huic effato, mi Beverovici, aut ſubſcribendum eſt, aut non ſcribendum. quorſum enim, quæ venuſtius olim elegantiuſque priſci extulerunt, aliis aliiſque verbis, ſæpe quidem nec bonis, nec congruis, certe non nativis, non vernaculis, obtrudi nobis patiamur? Sed, ut re & verbis palam facis, monitore ad hæc non eges, cenſor ipſe & corrector ſeculi ineptientis. Habes, quæ ad Calculum tuum proferre valui. Cur tam pauca, tam jejune, ex epigrammate colliges, quo frontem opuſculi, brevi impetu commaculavi. Brevi ſcilicet, ut meæ ſortis eſt, turbidæ, rotantis, & in ſingula momenta tranſverſim actæ. Ignoſce, & me ama, qui te colo. Hagæ Com.* v. *Ianuar.* CIↃ-IↃC XXXIIX.

LVDO-

LVDOVICO NONNIO
Medico Antuerpiano,

IOH. BEVEROVICIVS S. D.

CLariſſime vir, Ab eo tempore, quo non ſolum humaniſſimis literis animum benevolentem, ſed & opem præſentaneis remediis offerres, reſpexit me μακαίρων πρεσβύστη ὑγίεια. Biennium enim, & amplius jam plane immunis vixi à nephriticis doloribus, &, quod magis miror, cum antea cogerer crebrius urinam reddere, jam & illa moleſtia ſum liberatus. Hoc poſt divinum auxilium tribuo inprimis Aquæ meæ antinephriticæ, cujus facio mentionem in hoc, quem mitto, libello de Calculo. Quem ſi ad calculos judicii & experientiæ tuæ revocare non gravaberis, non modo de me, ſed & de arte noſtra bene mereri perges. Quod ſi minus indulgenter, ut pro jure amicitiæ noſtræ magnopere abs te peto, eum cenſeas & correxeris, jam doctorum etiam calculo magis probatum iri, ſpem habeo. Ita valeas, Venerande Senex, ita diu vivas mihi amicus, qui ero tibi, donec ero. Dordrechti XXV, Dec. CIↃ IↃC XXXVII.

IO-

IOHANNI BEVEROVICIO
Senatori, & Medico Dordrechtano,

LVDOVICVS NONNIVS S. D.

Literæ tuæ XXV. *Decembris scriptæ in manus meas* XIII. *hujus pervenerunt cum libro tuo de Calculo Renum & Vesicæ,*

Docto Iupiter! & laborioso.

percurri illum avidissime. quid de illo sentiam quæres? dignum illustri tuo ingenio fœtum censeo, dignum qui

Canescat seclis innumerabilibus.

dictio ejus nitida & tersa, dispositio concinna, & doctrina non vulgaris, ut vel invitos lectores detineat, atque in sui admirationem rapiat. Non vidi hactenus qui Spartam hanc luculentius exornaverit. multum tibi posteritas debebit, quod gravissimum hoc malum, ejusque remedia, perite adeo & dilucide descripseris. brevitatem tuam ausim culpare, poteras enim absque famæ dispendio, in Signis & Remediis te diffundere, quo facilius pessimus hic mortalium carnifex possit profligari. Summopere gaudeo Nephriticos dolores tecũ inducias pepigisse, utinam & diutur-

turnam pacem. Æſculapio gallum debemus, ut alumnum ſuum ſecunda valetudine frui patiatur, quo commodius lucubrationes ſuas poſteritati communicet. Vale Vir eruditiſſime, & Nonnium tuum beare perge doctiſſimis tuis ſcriptis. Antuerpiæ XVI. *Ianuarii* M. DC. XXXVIII.

EWALDO SCREVELIO
Medicinæ in Academia Lugduno-Batava Profeſſori,

IOH. BEVEROVICIVS S. D.

QVæſiveram olim exercitii cauſſa per literas Crucii ſententiam de Vitæ termino, unde poſtea liber natus. Aliquot etiam anni ſunt, quod tibi epiſtolio aperuerim meam de generatione Calculi opinionem. Hoc itidem excrevit in libellum, cujus ut te participem faceret, typographo nuperrime mandavi. Quæſo de eo judicium tuum perſcribere ne graveris, ſed liberum. Malo enim meritas cenſuras, quibus emendare mea poſſim, quam immeritas laudes, quibus ſi apud me fides, & erroribus applauderem. Si tibi animus differre reſponſum,

ut

ut quondam quæſito per epiſtolam, & ego vel nunc id expectare deſinam; nunquam verò, Vir Clariſſime, ex virtutum tuarum admiratione te vehementer amare. Dordrechti prid. Kal. Ian. CIↃ-IↃC XXXVIII.

IOHANNI BEVEROVICIO
Senatori, & Medico Dordrechtano,

EVVALDVS SCREVELIVS S. D.

Clariſſime, Doctiſſime, Amiciſſime Domine, Feſtus dies mihi fuerunt tuæ literæ: eo inſuper gratiores, quod tanto poſtliminio veniant ad me, ad me (inquam) quem tibi collibitum eſt, licet paucis verbis, quaſi inhumanitatis incuſare, quod epiſtolio monitus & rogatus, De humanæ vitæ termino non reſponderim. Dicam, quod res eſt; Supra ingenii mei vires & captum ea res abibat. Scio multos ad ea ſubtiliter, & quaſi ab Euandri tempore petito argumento reſpondiſſe: ſed examina ſingula, fateberis me verum dicere, & illa arcana nota eſſe ſoli illi Curatori, qui nos, ſupra nos, curat. Scio ego, ſcis & tu Optime & Experientiſſime Domine,

nos

nos ſalutaribus remediis homines, ſi oraculis Hippocrateis fides eſt, jam jam ad Orcum euntes, in lucem revocare. Scimus hoc; ſed an terminum vitæ eorum prolongemus, hoc neſcimus. Sed mittamus hæc. Ad alia eamus. Libellum tuum de Calculo, quem quod antea ignorabam, tuo beneficio habeo, vidi, legi, &, (vis ut calculum meum apponam?) abſque circuitione & fuco dico, admiratus ſum. Complures habeo, qui hanc materiam incudi ſuæ impoſuere: non æquabo te illis (per Apollinem) ſed aliquot paraſangis ſuperiorem dicam.

Sed inſuper quid dicam? Creberrime mihi in manibus eſt aureus liber tuus, in quo Veteris Medicinæ ideam repræſentaſti: uſque adeo eleganter, ut (non fallet me præſagium) admiratura ſit poſteritas. Accubuus ille liber mihi ſæpe fuit: &, dico quod res eſt, inconſulto illo cathedram vix conſcendo.

Salve, Vir experientiſſime, & ſic habeto; nolo, quod reſponſum nunc non diſtulerim, gratias haberi; ſed quod alias non ſatisfecerim, mihi ignoſci. Quæſo ut tanto poſtliminio ad benevolentiæ tuæ fores regredi liceat. Salve iterum à tibi devinctiſſimo

ctissimo Evvaldo Screvelio, Prof. Med. Raptim Lugd. Batavorum, IX *Ianuarii* cIↄ Iↄc XXXVIII.

NICOLAO TVLPIO,
Senatori, & Medico Amstelodamensi,

IOH. BEVEROVICIVS S. D.

AMplissime Vir, Nihil gratius esse potuit salute, quàm mihi tuo nomine dixit Chirurgus hic, quondam à te factus Amstelodamensis, heri à me Dordrechtanus. Memini, cum olim tyro arti Medicæ nomen darem, te laurea donari, habita insigni oratione de animi & corporis συμπαθείᾳ. Ab eo tempore non parum crevit dignitas tua, & eruditionis fama, simulque hujus in me admiratio. Qua nunc impulsus, non verbis per Chirurgum nostrum, sed calamo te adire audeo. Mitto etiam, ut mandaras, libellum de Calculo, accuratissimi judicii tui calculo subjiciendum. Si quid præterea, ut nullus dubito, rarioris observasti in hac materia; inprimis historiam Magdalenæ Nicolæ, ad me perscribere dignaberis, rem mihi præstabis longe gratissi-

mam.

mam. Vale, Vir Clarissime, & me tui observantissimum ama. Dordrechti III. Mart. cIɔ Iɔc xxxviii.

Historia Ischuriæ à Calculo lethalis.

IOHANNI BEVEROVICIO, Senatori, & Medico Dordrechtano,

NICOLAVS TVLPIVS S. D.

QVam grata mihi, Vir præclare, tuæ literæ, tam acceptum, quod in illis, benevolentiæ testimonium. ac proinde operam dabo, ut brevi fias voti compos, neque diu desideres, quam expetis, historiam. ea autem talis: Magdalena Nicola, vidua quadragenaria, à renum cruciatu, & calculi excretione, aliquamdiu afflicta, doluit intense ex utroque lumborum latere: cum præcordiorum angustia, cibi fastidio, vomitu continuo; & mictu, primum quidem imminuto, sed mox integre suppresso. quod omnimodum lotii impedimentum comitabantur febris lenta, lancinans lumborum dolor, gravis sopor, mentis stupor, nervorum distensio, & similia oppressi cerebri symptomata, orta à reciproco retenti & regurgitantis seri refluxu.

refluxu. quod per diutinam moram ubi computruisset, auxit calore febrem, & acrimonia sua reseravit non modo uteri venas, sed ita quoque vellicavit processus spinalis medullæ, (qui cum pendula ipsius parte vertebris inclusa, constituunt verum nervorum principium, & indubitatam omnium ipsorum originem) ut decimo octavo ischuriæ die perierit, & comate, & convulsione obruta. cujus inextricabilis infortunii clare uti innotesceret, & perspicue conspiceretur, non semper in Medico esse quoscunque curare, sed subinde sufficere generosam prædictionem; decretum, cadaver hoc aperire, & omnium oculis exponere indissolubilem illum nodum, quo corpori inextricabiles morbi sæpenumero adnexi. apparuit itaque hîc ren sinister, extrinsecus quidem lividus & tumidus, sed intrinsecus non minus aqua, quam tribus calculis refertus. quorum maximus, adæquans primum humani pollicis articulum, acuto suo apice ita obturabat ureteris principium, ut omnem transituræ urinæ intercluderet aditum, nihilque propterea lotii contineret vesica urinaria, plane vacua, & omni liquore destituta. præsertim, quum oppositi renis

ureter

ureter non minus obſtrueretur, ab plano & lato calculo, inſtar operculi eum claudente. quæ duo impedimenta, ita coram ab adſtantium corona conſpecta, vindicarunt à calumnia artem, quæ non ſuperaverat id, quod omnium oculi videre vere inſuperabile. Poſſem huic exemplo adtexere, & arteriæ aortæ calculum, & alium ab anu octuaginta annorum, cum duobus conchyliis lapideſcentibus ſponte excretum. uti & Iſchuriam ſingulis pleniluniis accedentem; ſed ſatius eſt, ea conjunctim prodire, cum reliquis, quas ſelegi, obſervationibus. ex quibus exemi, quas mitto, tabulas, quarum cælatura propius oblatum veniet utriuſque calculi formam. Interim crede librum tuum obviis ulnis acceptum, & me beneficii futurum memorem. Vale, Vir præclare, & conare arctius ſtringere renovatum intermiſſæ amicitiæ vinculum. Amſtelredami VII. *Eidus Martius* CIↃ IↃC XXXVIII.

GVLIEL-

GVLIELMO HARVEO,

Magno magnæ Britanniæ regis Archiatro,

IOH. BEVEROVICIVS S. D.

QVod in his regionibus fueris, Vir Excellentissime, me ignorante, quam vehementer doleam, nemo mirabitur, qui noverit, quantum suspicere soleam incomparabiles ingenii tui dotes. Eas inprimis perspexi in novo & nunquam satis laudando invento de circulatione sanguinis, quam ut te incredibili sagacitate huic & posteris seculis patefecisse gaudemus, ita summopere dolerent, si quis mortuis sensus, serius te natum, Hippocrates, Aristoteles, Galenus, & similes animæ. Hoc dogma ut hic omnes cum stupore admirantur, sic & ego ambabus id ulnis amplector in libello hoc, quem mitto, de Renum & Vesicæ calculo. Hunc ut serio ad calculum perspicacis judicii tui revocare, & me ejus participem reddere digneris, etiam atq; etiam, Vir Excellentissime, rogo. Ita valeas, ita vivas ad seculi gloriam, & artis nostræ incrementum. Raptim Dordrechti, XII Kal. Ian. CIↃ IↃC XXXVIII.

Ex

Ex Hippocratis, Galeni, & aliorum ſententia glutinoſum requiri ad Calculi generationem: neque ſtuporem renum eo videri neceſſarium.

IOHANNI BEVEROVICIO, Senatori, & Medico Dordrechtano, GVL. HARVEVS S. D.

QVod in itinere Germanico pridem à me ſuſcepto, Vir præſtantiſſime, te, patriæ artiſque Medicæ decus, vidiſſe non contigerit, pariter uti te, tuæ literæ gratiſſimæ mihi (quas cum libello, præterita ſeptimana, accepimus) dolore non mediocri affectum ſignificarunt; ita quoque doleam, ſcire poteris, ubi noveris quo ſim animo in viros cordatos, ſagaceſque rerum naturalium indagatores tui ſimiles. Quod ſanguinis circulatio inventa, tam docto capiti non diſpliceat, eo quidem nomine mihi jam nunc demum magis placere cœpit, animumque dabit plura & multo majora meditanti, cum conatus noſtros, eruditis placere intellexerim. Pergratus mihi doctus & elegans, vereque ſingularis liber tuus de Calculo renum & veſicæ, in quo firma ſolidaque nominis famæque

jeciſti

jecisti fundamenta; quin pergas porro indies superstruere, splendidumque ingenii tui monumentum exædificare. Ego calculum haud illubens adjiciam meum, nec suos opinor tibi denegabunt alii, iique, quos præsens ætas fert melioris notæ, Medici.

Stephanus Rodericus Castrensis magni Hetruriæ ducis Medicus, & Sennertus vester, quam parum à sententia tua absint, is judicabit optime, qui hujus Institutiones, illius de Microcosmi meteoris libros perspectos habet. Paracelso, ejusque sequacibus ea certe gemma placere debet, quam ex illius minera erutam, magis tamen authoritate antiquorum politam & optimis observationibus & argumentis illustrem & ornatam in omnium manus tradidisti. Nec Hippocrati quidem, nec Galeno, si jam postliminio revocari possint, eam displicere posse putem. ea cum reverentia sententias eorum tractas, ac si priscorum Medicinæ procerum scita placitaque non tam refellenda, quam candide explicita, in meliorem sensum accipienda judices. Si quis denique libertatis philosophicæ assertor, è rebus ipsis, & naturæ sinu, quam è libris, sapere, quam discere malit, scire quam credere, habes quod

etiam ipsum summopere juvaret. ea tu solertia, simile Naturæ in Macrocosmi lapidibus atque Microcosmi calculis generandis institutum recta methodo observasti. Verum ut aliquid exercendi animi gratia rescriberem, vide quid hi omnes contra habeant, & quo potissimum modo satisfacere iis possimus.

Hippocrates ad Calculi generationem præter copiam terrestris materiæ & salis soluti, à te assignatam, glutinosum quidpiam in Theophorbi puero, ab ipso observatum, desiderat, Epidem. V.

Galenus aliquid è crassioribus succis renis cavo tenacius impactum, Epid. VI. *comm.* I. *text.* VI. *Vterque locus apud te habetur.*

Rodericus Castrensis ex Paracelso mucilaginem tartaream, viscidum quidem illud & glutinosum arenarum vinculum; quod in Calculosis & ipse tu, mecum, aliisque sæpe vidisti. Vesicæ vocas alimentum; at isti materialem Calculi caussam. Vbi enim per se in aëre expositum, una nocte, & quandoque citius, in arenosam, friabilem, imo lapideam materiam concrescere observatum est; & ego experimentum feci, & novi fœminam

nobilissimam Calculosam, quæ ex tali mucilaginosa materia, in sua propria urina subsidente, pillulas concinnare propriis manibus solebat, easque per se in scatula reservatos in calculos abire sponte, edocuit & ostentavit.

Chymici stuporem, quem eleganter astruis, renum, supervacaneum forte dicent, & rerum naturalium observatio. in fontibus enim, fluviis, & aqua pene omni, in qua succus lapidescens, materia tartarea sponte quasi sua, vel ambientis frigiditate concrescere videtur; eam dentibus, aliisque omnibus corporis nostri partibus adhærescere posse, ipsemet agnoscis. Fœtum in utero lapideum Galliam vidisse, alii verissimum asseverant. Podagricorum ex eadem materia calculos in juncturis mirantur. equidem Calculorum exiguorum uberrimum proventum per arthritici cujusdam cuticulam prorupisse constat. citra stuporem, in his coagulandis innata materiæ lapideæ indoles satis esse videtur omnibus. Ego, ut libere dicam, eodem, quo tu, animo, lapidum in Megalocosmo concrescendorum rationem mihi observandam duxi, elaboravi, observavi, eaque plurima & rara, etiam

quo-

quo Aristotelis IV. *Meteor. exquisitum incrassationis, exiccationis, & concretionis caussas intelligerem planius, multa feci, multa vidi, & ex cujuscunque hominis urina Calculos, vel saltem sabulosum concrementum fieri posse reperi, ut ex omni lixivio salem: tamen cum ipse nondum plane mihi satisfecerim, ultra inquirendum ab aliis. ubi mihi hæreat aqua, posthac per otium certior fies. Interea valeas, Vir Clarissime, vivasque fœliciter ad artis nostræ, patriæque tuæ lucem & splendorem. atque si quid amplius mediteris, eo me, ita ut cœpisti perhumaniter, frui liceat. Londini* XX *April.* CIↃ-IↃC XXXVIII.

De Glutinoso humore, & Stupore altior indago.

GVLIELMO HARVEO,
Medico regio, & in collegio Medicorum Londinensium Professori Anatomico, & Chirurgico,

IOH. BEVEROVICIVS S. D.

QVod tam humaniter mea exceperis, tam benigne de illis judicaris, equi-

dem tibi, Vir celeberrime, quamplurimum debeo. Neque minus ob ea, quæ & comiter, & erudite opponis. Quod autem ad glutinoſum humorem, quem aëri expoſitum ſponte in lapideam duritiem abire ſcribis, idque vel unius noctis ſpatio, vel etiam citius; vidit apud me nepos tuus, juvenis ad omnia magna natus, & tali avunculo dignus, humorem ejuſmodi magna copia in vitro aperto jam quatuor annos ſervatum, cujus maxima pars in auras diſceſſit, &, quod reſtat, pulverem refert è ligno putrido craſſiorem, in quo nihil duri, aut ſolidi. Atque, ut ipſe examinare poſſis accuratius, portionem mitto. Collectus à me diebus aliquot ex urina fratris mei Dominici Beverovicii, qui ex ſuppreſſione urinæ (ô miſeram avi materni hæreditatem!) ab ingenti veſicæ calculo paullo poſt admodum adoleſcens vitam cum morte commutabat. Quare putarim

— (*niſi tu quid docte Trebati*
Diſſentis) —

viſcido huic humori non immixtam, nec immerſam fuiſſe terreſtrem ac ſalſam materiam, magno iſti calculo indeſinenter ſe agglutinantem, quâ imbuti glutinoſi

nosi humores, ut observasti, sponte abeunt in calculum. Salsus ergo, concretionis caussa, non tenax ille, ut vulgo creditur, & pituitosus humor. Nam cur idem apud me non factum, cum humore illo, quem tot annos aëri exposueram, nihil fuerit crassius, ac magis glutinosum? Illud vero diligenti indagine animadverti tenaces, imo pertinaces istos humores detinere utplurimum arenas & sabulosa, donec coëant & concrescant in calculum; ipsos tamen non abire in calculum. Magis me percelluit, ut verum fatear, quod mones de Stupore. Nam ut à priore objectione in luto pœne hæsitarem, ita in hac, dum suffundis fluvios ac fontes, tantum non aquis obrutum me sentio. Confisus tamen humanitati tuæ, qua manum porrigere non gravaberis demergenti, emergere conabor. Aqua vel nullo sensu est prædita (ut communis est Physicorum sententia) vel, si rebus omnibus (quod admirandus philosophus Campanella integro libro asserit) sensus inest, plane obtuso; ut & Renes, Vesica, Vterus, Intestina, aliæque partes, quando in iis, ut ego quidem sentio, generantur Calculi. Vbi ergo vel nullus sensus,

vel obtusus, ibi præsente materiali caussa, πρόφασις & occasio generandi calculi. Vrges Arthritide, quæ revera partem occupat acerrimi sensus. Idem in Vesica locum haberet. Sed hoc volo, cum pars aliqua affligitur, id fieri, quod ob imbecillitatem facile excipiat influentem materiam, nec facile expellere valeat. Debilitatem istam, cum omnibus functionibus impedimento sit, sensui quoque obesse, atque ita, cum stupidior sentiendi facultas non percipiat rei noxiæ irritamentum, materiam coacervari, & nova subinde defluente paullatim augeri, tandemque ultra modum auctam, viam sibi, si possit, vi facere, ut & in excretione calculorum observamus. Adde, quod humor ille salsus & terrestris, Calculorum, qui in nodosa, tophaceave Arthritide ex aperta, ruptaque cute plerunq; eruuntur, materia, non ex sensibilibus admodum articulorum membranis, & nervis, sed fere è vinculis, quæ motus caussa sensu plane destituta sunt, soleat prodire. Præterea, non statuo Stuporem esse caussam Calculi efficientem; sed tantum caussam cur ejus materia diutius in parte hæreat, nec mature exturbetur; ut ita ex accidenti

faciat

faciat producendo Calculo. Hæc reſpondere viſum, Vir Clariſſime, magis ut aliquid reponerem doctiſſimis literis tuis, quibus me cohoneſtare, & docere dignatus es, quam ut ſatisfactum objectionibus exiſtimem. Tu porro, ut cum à fonte ipſo me arceat abſentia, rivulos tuæ eruditionis huc defluere patiaris, vehementer abs te peto. Vale. Dordrechti XVI. Sept. cIↄ Iↄc XXXVIII.

VOPISCO PLEMPIO
Medicinæ Doctori ac Profeſſori, Lovanienſis Academiæ Rectori Magnifico,

IOH. BEVEROVICIVS S. D.

QVanto me literæ tuæ, Vir Clariſſime, quas accepi, cumularunt gaudio, tantum doloris attulere, quæ interciderunt. Vereor enim non immerito, ne tibi jampridem in ſuſpicionem venerim, quaſi tanti viri amicitiam ultro oblatam negligentius habuiſſem. Sed tu merito te ipſum illa ſuſpicione, & me ſimul negligentiæ crimine abſolvis. Neque enim hic homo ita barbarus, ita in-

humanus, ut quod ſemper omnibus votis deſideravit, incuria non arriperet. Iamdiu veneratus ſum clariſſimum Plempii nomen; neque diſſimulo, quoties hic publice humani corporis fabricam examino, cui debeam plurima, quæ diſſero. Anatomica tua ob rerum ubertatem, & purioris linguæ elegantiam mihi in deliciis. Hoc voluiſſem imitari in Theſauro Sanitatis meo, ſed cum vulgo ſcripſerim, vulgari ſermone contentus de ſublimiori ſtilo non laboravi. In tuis, quæ τοῖς τεχνίταις ſcripta, alia res eſt. Demonſtravi hodie partes oculi, earumq; uſum, ſatis male, quod Ophthalmographia tua carerem, quæ mihi poſthac erit in oculis. In ea te quoque παράδοξον eſſe conjicio, cum videam ex Anatomia oculi, primas videndi te humori derogare cryſtallino, & retiformi tunicæ tribuere. Hujuſmodi non pauca in hoc meo, quem mitto, libello de Calculo, jam præter meritum à te laudato. Sed cum doceri, quam laudari malim; rogo equidem, ubi totum legeris, cenſuram tuam, cum iis quæ obſervaſti de Calculo rariora, reliquis magnorum virorum epiſtolis (& jam plures edendas habeo) adjungi patiaris.

tiaris. Bartoletum noſtrum ante XXI annos Bononiæ audivi, & ad praxin quoque ſectatus ſum, cujus in me merita, & eruditas virtutes gratus celebrare nunquam deſinam. Is poſtea Mantuam diſceſſit. Quis Bononiam è medicis nunc illuſtret, ignoro. Nam de Claudini, & noſtratis Vterverii, ibidem Botanici, obitu, paullo poſtquam in patriam rediiſſem, intellexi. Sed nuper Patavio eo ſe contulit Fortunius Licetus, delectus & accitus (ut ipſe mihi ſcripſit prid. non Oct. ſuperioris anni) à Senatu Bononienſi ad eminentem, quam vocant, ſupraordinariam Philoſophiæ cathedram, plurimos annos vacuam ab obitu magni Pendaſii, cui tandem ex diſcipulo ſucceſſor factus, omnium quantum eſt hodie, qui vivunt, philoſophorum maximus, & ſolus, ut ſuis ad me literis judicat Cl. Naudæus, cui merito reliquorum turba

Submiſſis defert faſcibus imperium.

Equidem plurima ejus ſcripta legi, verum de tantis heroibus judicare non eſt meum, ſed eos cum cultu ſuſpicere. Te inprimis, Magnifice, qui mihi πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Incomparabili Puteano, cujus literas avide expecto, ut me com-

mendes, rogo. Vale, Dordrechti XI Kal. Febr. cIↄ Iↄc XXXVIII.

Circulatio Sanguinis improbata.

IOHANNI BEVEROVICIO, Senatori & Medico Dordrechtano,

V. F. PLEMPIUS S. D.

Clarissime Domine, Hactenus cum otio, sed & cum cura singularem vestrum de Calculo libellum legi. Docte & experienter scribis, mi Beverovici, & multas priorum medicorum sententias rectè meritoque castigas. Ad summam, libellus verè singularis est. Celebras autem in eo, atque extollis Harvei opinamentum de sanguinis circulatione, plausibile Hercules primâ fronte, & valde simile vero; à me tamen nunquam, nec adhuc receptum: aliter enim vasorum constitutio & fabrica fieri debuisse mihi videtur, si à natura circulatio ista instituta fuisset; præterquam quod ratiunculæ aliæ me retineant in antiqua & avita sententia. Admiror nihilominus & veneror, & suspicio Harveum, ob ingeniosum ejus illud commentum. Obiter carpo

hoc

hoc paradoxum in fundamentis meis Medicinæ, quæ hic diſcipulis meis dictavi, & nunc excuduntur. Videbis, favente Deo. Rariora de Calculo necdum obſervavi, quæ prelo digna ſint: talia enim ſunt, quæ vel ipſe notas, vel alii animadverterunt. Puteanus hiſce diebus quædam ludibundus Belgice cecinit: Belgicos, inquam, quoſdam rhythmos & verſus edidit, quibus cives informare ſtudet. Sed jam miſerit ad te libellulum, opinor. Filia ejus Eugenia, lectiſſima animula, nupſit iterum Lazaro Bonvicino, Italo & Capitaneo. Deus bene vortat: qui & nobis adſit, mi Beverovici, mutuumque noſtrum amorem diu continuet. Vale. Lovanii XVII. *Kal. Maias* CIϽ IϽC XXXVIII.

Renum facultas αἱματοποιητικὴ Hydrope in Calculoſo comprobata.

R.P. MARINO MERSENNO, *Theologo, & Philoſopho incomparabili,*

IOH. BEVEROVICIVS S.D.

QVod poſt tot annorum intervallum, non omnem mei memoriam depoſueris, Vir celeberrime, nihil mihi gra-

tius

tius esse potuit. Risi, quod credas me, ex disputationibus de fatali termino, non factum doctiorem. Vates esse possis. Videbis brevi partem tertiam, & ultimam, in qua Licetus, Naudæus, Manasseh Ben Israël, &, quod miraculo proximum, nobilissima virgo, Anna Maria à Schurman, quæ non modo in Latina, Græca, & Orientalibus linguis, sed in Theologia quoque, & Philosophia, etiam scholastica, ad stuporem erudita. Vel ex hac una epistola, uti ex ungue leonem, eam poteris cognoscere. Neque illi ignotum Mersenni nomen, ut cui rarò è manibus, quæ tu in Genesin erudite & accurate conscripsisti. Quod porro ad scriptum volumen D. Beecmanni; est id penes fratrem, qui Vlissingæ rectorem scholæ agit. Cavit ὁ μακαρίτης, ne quis hoc ante biennium ab obitu suo inspiceret, quod nunc pœne effluxit. Sed non facile ab iis, impetrari poterit. Quidvis enim hic ante hæredum discessum, & omni arte tentatum est. Reliquorum, quos desideras, hic penuria; nisi quod Marius eam curam suscepit. Vnum, quem mitto, impetravi à clarissimo Voetio, Theologiæ in nova Vltrajectinorum Academia professore,
cum

cum in hanc urbem ad fratris funus venisset. Is octo annos hydropicus, nuperrime obiit. In cadavere nullum vitium nec in hepate, nec in liene repertum; sed omne in renibus. Dexter quatuor in sinu exiguos continebat calculos; majusculum in ingressu ureteris, omnem seri egressum impedientem. Sinister totus purulentus. Abdomen aqua citrina distensum. Quod egregie confirmat meam de usu Renum sententiam, Renes scilicet non secernendo tantum sero à sanguine, uti vulgo sentiunt, sed & generando sanguini, ut hepar & lienem, conditos esse; quam statui in libello meo de Calculo, quem velim (nam apud vos esse ex literis D. Moreau Prof. regii, & aliorum intellexi) si tanti est, inspicere digneris. Et profecto si non esset alia Renum functio, cur tanta eorum in S. Scriptura mentio; cur Deus corda, & renes scrutari dicitur? Expecto hic ex profundis ingenii tui penetralibus aliquid à nullo explicatum, à nullo explicandum. Facile id futurum ei, qui multos quid conatos fuisse potius, quam præstitisse, operibus suis ostendit.

Οἷος πέπνυται· τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν.

Vale,

Vale, Vir reverende, & ſtudiis noſtris fave. Dordrechti, v. Kal. Quintil. cIↄIↄc XXXIX.

Calculi malum literatis proprium. Surditatis, & ἀφωνίας cauſſa. Adſtrictæ alvus curatio Chirurgica.

IOHANNI BEVEROVICIO Doctori Medico Dordrechtenſi,

F. M. MERSENNVS S. D.

HIſce meis literis, Beverovici doctiſſime, & ad reip. litterariæ perfectionem nate, teſtatum volui, quantum tibi ſim obſtrictus non ſolum de libro Puccii, quem ad me mitti curaſti à docto theologo, cui gratias refero, ſed quod tertiam partem de Termino vitæ ſis brevi juncturus, in qua viſurus ſim aliquid ab illa mirabili Virgine profectum, de qua jam tanta feruntur apud nos, ut miraculum ſapiant. Hinc animos ſumpſi tantos, ut etiam hac vice ad illam ſcribere voluerim. Accepi tandem tuum librum de Calculo, revera doctiſſimum, quem ubi perlegero, judicium meum habebis. De Renum obſervatione gratias habeo. Statueram

tueram apud me varia ad te remedia mittere, quibus hic nostri ad morbum Calculi uti solent: sed cum noverim quæ uni conferant, nocere alteri, supersedi, quod non dubitem te illa omnia scire & expertum esse. Necdum tamen, quicquid ebuccinent aliqui, repertum est ullum remedium, quo tuto certoque calculus in renibus, aut in vesica conteratur, aut in aquam verti possit, quam ægri postea absque insigni dolore ejiciant. quod qui repererit, quanto magis ei debeatur, quam qui quadraturam circuli, vel motum perpetuum! Vtinam tibi viro ex omni parte eximio tantum illum thesaurum aliquando tandem invenire contingat, quod sane potius in votis, quam in spe. Scriptum mihi est à medico Turonensi, se aperuisse cranium hominis à nativitate surdi & muti, cui è tribus internis auris ossiculis, Incus deerat. Simile si quid observasti, quæso mecum communices. Nolui etiam hanc epistolam abire, quin noveris quid nostri Iudæi, chirurgi nominatissimi, ac in vulneribus curandis fœlicissimi, & audacissimi: Æger quis ob fœces recoctas nil in secessum emittere poterat, ille igitur podicem quadruplici scissione aperiens, inte-

stinum

ſtinum extraxit, quod, fœcibus prius eductis, remiſit ac reſtituit in locum priſtinum, & æger ſanatus eſt. Si mihi liceret per pacem aut inducias, aliquando libellos quoſdam ad te mitterem, ut tuos inter labores medicos levarem animum, ſed lationis pretia, nec non Dunkerkorum pericula, qui omnia ſuffurantur, deterrent. Tuum interim tibi obſtrictiſſimum, tuique obſequentiſſimum me credito. Lutetiæ Pariſiorum Kal. Sept. CIↃ IↃC XXXIX.

IOHANNI BEVEROVICIO
Senatori, Doctori, Philoſopho, Medico Dordrechtano præſtantiſſimo,

εὖ διάγειν.

IDea illa Veteris Medicinæ, BEVEROVICI *doctiſſime, ex ſelectiſſima priſcorum Scriptorum, qui Medicinam ex profeſſo tractare noluerunt, laborioſâ non minùs quàm utili curâ concinnata, publici juris facta, dum Lutetiæ, vocatus ad curam Aulici cujuſdam fiſtulâ deſperatâ laborantis, anno ſuperiore degerem, mihi forte oblata, in tui verè me traxit admirationem, quem ſtatim ab ipſis literarum incu-*

incunabulis addictum Arti nostræ conspicatus sum: At indefessum illud studium, quo illam quidem jam ab antiquis πασέων ἐπιφανεστάτην agnitam illustrare dignaris, adjunctis variæ lectioni, Anatomicis & Physicis observationibus, in illo Libro *ve-rè* singulari de Calculo, *quibus, quemadmodum & in* opere *de* vitæ termino, *præclarissimorum hominum non solum Medicorum, sed etiam Theologorum, I. C. Philosophorum & Mathematicorum Meditationum ornamenta subjicere voluisti, me penitus ad te colendum, amandum, & laudandum compulit. Nec est quod mireris in amorem tui tam subitò raptum exterum & ignotum hominem: Facit hoc in me illa cum natalitiis indoles concepta, quâ ὑγιείας, quæ οὐδὲν ἐν βίῳ κρεῖττον ἔχει, tanta dignitas apud me fuit, ut continua Antiquorum & Neotericorum Authorum lectione; continuis vigiliis, sectionibus animalium vivorum & mortuorum, collectionibus, sationibus plantarum, chymicâ mixtorum, adjuncta exegesi, ex manualibus experimentis, ipsis denique practicis morborum observationibus toto decennio, quod scholasticis laboribus, & laureæ successit Apollinari, in*

Exer-

Exercitibus, Xenodochiis, Campeſtribus, & jam à triennio in hac Civitate, tot inquam converſis hinc inde Meditationibus, cum alienis etiam celeberrimorum quorumque, qui in mei notitiam venerunt, illam apud me & alios conſervare, ac quoddammodo fovere voluerim. Animorum hæc eſt admiranda ſympatheia, dum ad unicum ſcopum magnis viribus contendunt. Nec tantum πάθημα moras patitur: Et illa περιπέτεια minus improbanda profectò, quæ audentes in ſublime dũ vult attollere, boni publici faciem exponit, & in mutuâ conſpiratione ſententiarum nititur. Optavi igitur audentior factus tecum colloqui. R P. M. Merſenus, Vir humaniſſimus, noſtri amantiſſimus occurrit: ſolamen amori noſtro pollicitus eſt; & dum ipſe ſcribit in iſtas regiones, me admonet, ut ſi quid ad te ſcribere velim, citò tranſmittam. Hoc itaque literarum ad te conſcripſi, Vir Celeberrime, ut tuæ me participem amicitiæ facias. Medicinam inter ſexcenta, quæ Practicis quotidie obveniunt negotia, de barbarorum hominum incultiſſimis arvis, in Sophiſtarum tribulos, & tricas, per verboſam quandam, non realem Philoſophiam

pro-

protractam, hæsitantium quorundam ad amussim, in antiquorum somniis sine delectu, & avarorum timidorumque vere Empiricorum, quanquam dogmaticos & Rationales, si diis placet, pleno ore se venditent, incuriâ, parum hodie fructuosam in lucem veræ rationis per sensibilia experimenta Physicæ doctrinæ convenientia, & certas observationes, extrahentem, rerum in corporibus à te observatarum narrationibus adjuves: imprimis vero rescribas, num Lyncei illi tui in Anatomicis oculi, viderint aliquid peculiare in separatione salis microcosmici sero soluti, quod pituitam vulgò solemus appellare, dum motu continuo arteriarum, quas venarum anastomoses excipiunt in diastole, per poros illos patentiores in cerebro conspicuos, effunditur, unde Rheumatismorum scaturigines, dum in artus, eadem circulatione similiter, sic effluit; unde dolores Arthritici. Multa profecto patent jam quæsita; multa latent, dum apud me nondum rationem excogitare potui, quâ possem viventis animalis, vita ad aliquot momenta perdurante, cerebri sectionem perficere; nusquam hominis in cujus pedibus & manibus solis inter animalia possent

possent harum anastomoseωn usus agnosci si in vivis secarentur, anatomen sperar Aliorum ingenia forsan aliquid haben subtilius & accuratius: & vos qui per spicillorum ex tubulis beneficio rebus ma gnitudinem additis, per quam ipsæ alio quin non visæ nobis innotuerunt, ut Iovi satellites, aliquando, si Deus velit, cedr dignissimam divini Harvei doctrinam mihi jam ante aliquot annos cognitam, & demonstratam in libro Naturæ, istiusmod miraculis, inventisque, ampliorem illu strioremque facietis. Vtinam id citò con tingat! interea verò ne prorsus ignotus i te recedam, ut verè cognoscas, quæ sit me ad veritatis Medicæ inquisitionem cura perleges, si placet, primas & summas Pen tagoni à me nuperrimè conscripti paginas quæ si placeant, ac apud vestros Lugdu nenses non habeantur, quod tamen factum puto, si similiter innotescat, quâ viâ ia tutò præstare possum, totum librum mit tam, ut me credas

V. Excellentissime BEVEROVICI

Tibi addictissimum

L. MEYSSONNERIVM D.M.

Lugduni ad Confl. Araris & Rhodani, Non. Ian. anni Gregor. Epochæ Dion. 1640.

LAZA-

LAZARO MEYSSONNERIO,
Artium, & Medicinæ Doctori Monspeliensi, & Medico apud Lugdunenses celeberrimo,

IOH. BEVEROVICIVS εὖ πράττειν.

QVi non tantum artis Medicæ promoves pomœria, ſed & totius Philoſophiæ, ἰητρὸς φιλόσοφος, ἰσόθεος, ejus literas, Vir Clariſſime, exorientis amicitiæ teſſeram, non poſſum habere non gratiſſimas. Equidem tenuitatis meæ mihi abunde conſcius, vix unquam ſperare auſus fui, ut quæ amicorum impulſu edideram, à tui ſimilibus aliquando legerentur, multo minus ut probarentur; quare tanto plus affectui, & benevolentiæ tuæ me debere agnoſco. Vidi folia aliquot lucubrationum tuarum, quæ reliqua legendi vehemens in me excitarunt deſiderium. Facile enim mihi fuit æſtimare ἐκ τοῦ κρασπέδου τὸ λοιπὸν ἱμάτιον. Ego etiam nuperrime edidi tertiam, & ultimam partem de Vitæ termino, in qua & Epiſtola nobiliſſimæ Heroïnæ, Annæ Mariæ à Schurman, virginis, quod miraberis, ad miraculum eruditæ. Miſiſ-

ſem

ſem illam exoptatæ amicitiæ τεκμήριον, ſed ejuſmodi δῶρα reddunt tabellarii ἄδωρα. Credo Pentagonum Lugduni noſtræ eſſe, inde mihi facile comparare potero. Reddidiſti enim me tuorum ὀξύπεινον. Quare, cum libellus meus de Calculo brevi ſit proditurus auctior, ſi quid de hoſte hoc noſtro obſervaſti, velim mecum communicare ne graveris, Doctorum epiſtolis adjungendum. Vale, Vir clariſſime, & à tui cultore ſalve ægrorum Salus, quæ me nuper, pœne Orci victimam, reſpexit, quod hic ab amico poëta expreſſum vides. Dordrechti VIII Mart. cIↃ IↃCXL.

Viro & amico ſummo

D. IOHANNI BEVEROVICIO, urbis Dordrechtanæ Senatori, & Medico primario,

Amiſſa ferè vita & ſanitati reſtituto gratulatur

CORN. BOYUS J.C^tus^.

Viciſti, Medicina; tuo nec ſola Medenti,
Quin unà Batavis conſulis alma meis.
Atque

Atq; hoc ſervato cuncti ſervamur in uno,
Cujus noſtra diu vindice tuta ſalus.
Flevisti, Dordrechta, ſuum cum Falciger enſem
Stringeret, & diro dextra levata ſeni eſt
In doctum directa caput. Cum parcere Parcæ
Vlterius ſummo non voluêre viro.
Obſtitit Omnipotens, verſiſque in proſpera fatis
Longa jubet famulas ſtamina nere ſuas.
Noſtrarum hæc vis ſacra precum. Movêre Tonantem
Murmura, quæ fracto corde poëta dedit
In ſummum tranſmiſſa polum; quæ Curia, quæ Plebs,
Templaque continuis compoſuêre ſonis.
Grata Deo nunc turba ſumus, cui thura merumque
Fundimus, & ſacris æſtuat ara focis.
Inque parentantes quæ jam diffluxerat undas
Vena, recollectis plena redundat aquis,
In longos tibi fluxa dies; quos ſæpe canendos
Vt poſſim vates ſumere, ſume novos.

Anno cIↃ IↃc xL.

IOAN-

JOHANNI BEVEROVICIO
Medicinæ Doctori, & Senatori,
Dordrechtano primario,
LAZARVS MEYSSONERIVS
εὖ διάγειν.

Familiaris ille tuis literis χαιρετισμὸς adeò me occuparat, Excellentissime BEVEROVICI, *ut omnis illa quam ad me fama detulerat tuæ valetudinis excessisset memoria, nisi Poëta tuus & amicus omni laude dignissimus, iterum gratulabundus Elegis occurrisset, & appendix illa quam epistolio subjunxisti, Orci faucibus ereptum fausto Numine, Reip. Senatorem, Ægris Medicum, Academiæ Patronum, toti Orbi Virum incomparabilem admonuisset. Certabant tunc inter se mœror & lætitia de jure lachrymarum nostrarum; posterior obtinuit, quas prior istius eventus ignara concitarat, eaque in remotiores Zoilorum fines abire jussâ fecit ut securus tibi gratuler sanitati feliciter, & in multos annos restituto,*

Ito beatus teque in his negotiis,
Sanctum Israëlis numen illud audiat.
Tibi sacratis adsit ex palatiis,
Te inquam Sionis ab arce fulciat potens:

Votis

Votis benignus denique aspiret tuis
Tanta ut coronet cœpta felix exitus.

Hæc aliena Musa mihi canit in tui gratiam ex Hebræis Davidis carminibus, dum cogitabundus apud me perpendo, quo beneficio, singularem illam tuam erga me benevolentiam pensare valeam. Non deest quod meo zelo satisfaceret argumentum, si convenire mecum posset epitheton illius Homerici medici, qui ἐπιστάμενος περὶ πάντων ἀνθρώπων *cum hoste tuo non infelici Panaceâ dimicare sponderet. Sed nec mihi adeo Suffenus sum, qui pumilio in gigantomachia vincere sperem, nec tantùm crevit apud me* φιλοτιμία, *ut immerenter ambire velim, quod supremæ eruditionis, & experientiæ viri videntur pudenter recusare. Audebo tamen, tanquam de sinu, quicquid in eo* κειμήλιον *est promere, ne tibi deesse videar; & qui cùm minimum possim, saltem ne ingratus audiam calculum votivum pro futura tua incolumitate adjicere. In magnis voluisse sat est, & dexteriùs ab amicis suscipitur imbecillis conatus, quàm repulsa. Hunc igitur nostrum sic accipe Vir humanissime, ut existimes omnes ingenii vires, & opellæ nostræ molimina*

huc contulisse, quæcumque maximè tibi profutura esse credidimus, prolixiora forsan, quàm tua ferre possit patientia, & minus mellita, quam quæ tuo palato Atticis blanditiis assueto sapere queant. Molestias tamen, opinor, devorabis, si lecturus intelligas nihil nos esse scripturos, nisi ex iis quæ vel Sectorum Corporum αὐτοψία, vel ἀνάλυσις chymica, vel observatio Historica philosophorum, & Medicorum probatissimorum, cum nostra verissima, licet simplicissima, comprobaverit. Præter has enim, Magistrorum quantumlibet peritorum authoritates discordes, cum sensu pugnantes rejicimus, contemnimus, etiam frendentibus Zoilis, quorum plurimi hodie Hippocratici, Galenici, Hermetici, si diis placet, nihil minus sunt; aut nihil magis, quàm, ipsomet subscribente Galeno, ἐκ τῶν βιβλίων κυβερνῆται. Sed ad rem propositam venio.

Et tecum hactenus sensisse circa causam materialem calculi, in memoriam tibi revoco; Priusquam siquidem lux illa tui Libelli clarissima his oris affulsisset, scripseram Pentagoni particularis Radio 4. pagina 86. sub finem in renibus ex sale simpliciter cum tartareis impuritatibus

coagu-

coagulato Calculum fieri : Tu libelli tui capite 6. pag. 77. lineâ 61. ſuccum lapideſcentem, ex quo rudimenta calculi produci ſcribis, ex terreſtri materiâ juſtâ proportione ſali mixta conſtare. At vim illam coagulantem diſtinctè non exprimis, meâ quidem ſententiâ, licet ſubintelligi poſſit ex iis quæ poſt authoritatem Hippocratis afferuntur. Ego ſubobſcurè notavi loco citato, Spiritum videlicet illum naturæ ancipitis quem Mercurialem nominavi. Placet in tui gratiam ſimpliciſſimum dictum brevi commento illuſtrare. Sic enim de Spiritu illo coagulante ſentio, videlicet eum hunc eſſe, de quo plura dixi Pentag. Vniverſ. Rad. 4. quem ſi placet accuratè perlegere digneris. Sic enim capies, ni fallor, hunc eſſe qui in aëre matrice ſua ad nos fertur brumæ diebus, dum Sol in remotiori à Polo Tropici puncto, & vicinis ejus locis diffundit ignem cœleſtem (quem primum ὀυρανιον, à quo ſecundum terreſtre, centrale, Elementare procedere demonſtravi.) Siquidem enim ejus ad ignem halitum, quem nos ibidem obſervamus, & ad aquam dum fit glacies ſive naturaliter ex ſucceſſione tempeſtatum, ſive per artem transfuſo,

ut ita loquar, ſpiritu ex ipſa in novam aquam; Itidemque conſideres quæ ex Ortelio in deſcriptione Ruſſiæ deſcripſit Sennertus de gregibus & armentis illicò petrefactis ab aura quadam Septentrionali; Quibus ſi addideris quomodo ſe habeat ad ſalem in aqua, generationem lapidum omnium, & metallorum, meo quidem judicio, non ignorabis. Sic enim facile intelligere cœpi, qua vi lapideſcerent ligna in aqua clariſſima mihi viſa in Rutenorum agris & Gabalorum montibus, quâ concreſcerent ſtillæ in rotundos & ſubdiaphanos calculos in Specu Allobrogum, cujus nomen eſt, la Balme *ex hujus urbis finitimis, lacu ſubterraneo per ſaxorum in fornicem præruptorum rimas frigidiſſimas aquas effundente, quæ ſi per deſtillationem ſeparentur ab hoc ſpiritu, ipſo per ignem à ſale ſeparato, & in aërem matricem ſuam fugato, guſtu, tactuque non inſenſilem à ſcaturigine præbent differentiam. Id ſeriò & ſedulò nobis in examen revocatum minime dubites. Talem igitur ſpiritum etiam in microcoſmo ſtatuimus Pentag. prædicti Vniverſ. Rad. 5. in ſero deliteſcentem & in flatibus (ut aptiſſimo Hippocratis utar vocabulo) junctus*

ctus ſali, cogit mucoſas impuritates motu arteriarum, oſtiolis venarum renitentibus, & earum anguſtia in diaſtole ſeparatas, dum ſanguis continuo circulatur, unde tandem in articulis tophi podagrici: vel tartareas, præanguſtatis eiſdem motus circulatoris, & excretionis viis, unde Calculi. Arbitror enim in cujuſlibet venis & Arteriis cum ſero hunc ſpiritum ferri, cum in quibuſlibet tartarum expellatur arenoſum, quod ſordidarum matularum frequens minus credulos docebit inſpectio: confirmabit Scholiographus Hollerii c. 48. in lib. 1. de morbis internis; & Ioubertus noſter in Provocat. Seidelii Parad. 3. dec. 2. lit. y. ipſiuſque Cardani exemplum, qui ſcribit comment. in Aph. 79. ſect. 4. ſibi ab annis 30. primo rufas, poſtea etiam albas arenulas quotidie & copiosè, citra tamen omnem calculi ſuſpicionem, prodiiſſe, & vix è decem unum eſſe qui ab hoc vitio ſit immunis. Nec ſolùm in homine, ſed etiam in bobus, aſſentiente Quercetano, ipſi quotidianæ laniorum experientiæ lib. de Spagir. Prax. folliculus fellis calculos patiatur, cùm renes careant, & aliæ partes; ita ut præſentiam coagulantis haud negare queas, qui

 cal-

calculos in aliquibus partibus ſecundum flatus aut aquæ πνεῦμα deferentis, generatos agnoſcis. Qui fit igitur ut non ſemper generentur? Conformationis ego vitium accuſo, quod calculoſos facit, dum ſpiritus coagulans libere poteſt extra vaſa, minus præſente ac imbecilliori extra ſua regna igneo ſpiritu, qui à corde per arterias diffunditur, materiam in viis excretionis ſubire. Atque ut Lithiaſi Renum peculiariter me accommodem, renum inquam, qui merito Hebræorum linguâ myſtice Philoſophicâ dicti ſunt טחורת *à radice* טוח *oblevit, induxit cœmento, vocabulo ſcilicet κονιατῶν, ut ſciamus nullam corporis partem arenulis compactis magis obnoxiam. Dico,* Compactiorem *(ſic ut loquar facit conuenientioris dictionis penuria)* caruncularum carnem, & minus raram; ipſoſque arctiores ſubexcipientes ureterum canaliculos, cum valvulæ, quam Veſalius & Bauhinus in emulgente vena notarunt, renixu, in adultiori fovere, & κατὰ συμβεβηκὸς promovere terreæ & ſalſæ materiæ ex aquea coagulationem per ſpiritum mercurialem. *Cum enim effuſum ſerum à dilato arteriæ oſculo in venam intra ſpatium me-*

dium

dium inter ſe & canaliculos prædictos (cum quibus minimè coaleſcunt, ut belle experitur Riolanus Anthropogo. lib. 2. c. 26.) lente ſtillet in ureteras, intercipitur cum terrea & ſalſa parte à ſpiritu, qui excitatur in ſale, paulò remotiore ſpiritu igneo, qui in arteriis ſanguini à corde comes eſt: vicinior tamen adhuc non tolerat fieri propiorem congelationem; unde novo aquæ diluvio ſuccedente rurſus ſolvuntur coagulata; inferiùs tamen coguntur iterum, & mollioribus partibus occurrentibus, ut in pueris & aliis humidioribus naturis, in veſicam præcipiti motu feruntur. Vnde raros videas pueros Lithiaſi renum laborantes; frequentes pituitoſos & pingues calculo veſicæ vexatos; ſenes paucos, quod notat Gordonius in Lilio Medicinæ partic. 6. c. 12. quod longa conſuetudo laxas à primordiis vias, laxiores ſervaverit, quæ ſenilis ætatis ſiccitati valeant obſiſtere. Cogita igitur malam iſtam conformationem partium procedere; vel vitio ſeminis, *ſive parentum ſimili morbo laborantium, vel minus in vaſa dilatabilis: Aut ſi id à partu contingat, aſſumptorum labe, ſtyptico ſale, i. cum multo Mercurio juncto redun-*

 dantium,

dantium, constringentium: Quod ferè in iis qui multis utuntur crassis cibis accidit; unde rectè Hippocrates 4. de morbis, περὶ λιθιδος· Ἀρχὴ μὲν ἐγγίνεται ἀπὸ τοῦ γάλακτος τῇ νούσῳ, ἐπὴν τὸ παιδίον θηλάζῃ γάλα μὴ καθαρόν. *His omnibus adjunge quæ tua mirabilis eruditio de noxis aquarum ex Hippocr. adjecit; quæ quidem ipse cujusdam finitimæ Helvetiorum urbis testimonio confirmare possem: Quæ pariter observant Medicinæ magistri circa puellas & mulieres ipsas, quas rarius laborare Lithiasi propter ductus patentiores scilicet & breviores contendunt. Hinc nihil mirum, quod antiquus ille artis nostræ Antistes Aretæus* λίθων εὐφυῆ χώραν *dixerit. Et quod ignorata causa multa quotidie incassum obtrudat alioquin laudatissima remedia, quibus medici pleriq; istius ævi, qui in tricas scholasticas potius quam in verba magistrorum suorum jurarunt & in propriam negligentiam, temere abutuntur; meri & impudentes Empirici, quamvis se dogmaticos plenis buccis venditent. Horum ut perversas semitas declinarem, postquam ex animalium vivorum, & mortuorum sectione; & eâ quæ per ignem & aquam fieri solet*

corpo-

corporum resolutione, locum calculi in renibus, & ejus naturam ex principiis investigavi; per observationes historicas probatissimorum quorumque ad rationalem, veram, sensibilem, & experimentalem Præservationem tendere proposui. HAC *autem sequi debet, meâ quidem sententiâ, absolutissimam & præcedentem curationem, in quâ fere sunt omnes practici.*

Locus hic non postulat, dum me vexant simul Epistolæ Laconismus, & prolixioris in tanta re necessitas orationis, ut de ratione dissolvendi calculi fusiùs ex philosophicis nostris disseram. id aliàs continget si DEVS *voluerit. Sufficit ut te admoneam, ad hoc opus necessaria esse tria tantùm: 1. præcipuum ignem naturæ in corde accensum per arterias in corpus universum* σύμπνοον *diffusum. 2. Aquam ab eo calore fugante Mercurium impregnatam. 3. Salem qui hanc attrahat, non quidem simplici sed oleoso admixtum: simplex enim non raperetur in arterias, & ad vias emulgentes, per cor, cùm sit adversarius ignis naturæ, nisi pro comite haberet oleosum inflammabile igni amicum cujus beneficio trahitur, ac transit in renes. Inde fit ut aromatica, ut piper*

 longum

longum & ſemina calida præcipue calculum comminuere dicantur. Vt igitur in compendium multa contraham, unicum ad te mitto Pulverem, non à me, ſed à Ruſtico quodam ex Allobrogibus Viennenſibus invento, cujus uſu ſe magnam excreviſſe aſſeruit arenularum ſaburram, & per multos dies, unde prorſus à Calculo liber jam elapſo biennio viveret, currebat tunc annus 1634, *& cùm me præſente propinaſſet alteri cuidam, & vim Remedii ſecuriſſimi mirabilem annotaſſem, uſus ſum impoſterum feliciſſimè ex artis Legibus in quamplurimis, & mihi pro arcano hactenus reſervavi, admiſcens ejus compoſitioni alia ſimplicia è materia noſtra Medica vulgari, blandiora habita ratione corporum, ætatum, tempeſtatum, locorum &c. Sic autem habet.*

D. D. R. C. F.

℞. Seminis naſturtii Babylonici ʒ j. piperis longi peniculum unicum. F. pulvis pro unica doſi.

Huic addo vinum noſtrum diureticum Medicatum, quo liberati ſunt multi, inter cæteros Nobilis quidam, cujus hiſtoriam cum aliis curationibus per vina Medicata noſtra à nobis editam, ex integro libello

bello dilaceratam ad te transmitto. Misissem librum & totam Oenologiam, nisi suavior moles pretium fasciculo, tædio licet minus, adjicere potuisset, quod ceu rectè ad me scribis (de melioribus tamen tuis) δῶρον istud meum, tibi plusquam ἄδωρον reddidisset. Simplicem igitur tantum dabo descriptionem è Gallico latinè redditam, prout extat Oenologiæ nostræ parte 2. pag. 87.

D. D. R. C. F.

℞. Radicum recentium Enulæ campanæ, ononidis, petroselini an. ℥ iij. summitatum fœniculi, Hyssopi an. M ij. seminis dauci, Vrticæ an. ʒ ij. sem. milii solis, nasturtii Babylonici an. ℥ ß. Baccarum juniperi ℥ iij. fl. chamæmeli duppl. p. iij. & in nodulo piperis longi ʒ iij Cinamomi optimi ℥ ß. contusis contundendis, & incisis incidendis omnibus, in doliolo fraxineo novo capaci conjiciantur, & affusis Musti albi optimi & tenuissimi Lugdunensibus poculis iv F. vinum Medicatum. dosis ℥ ij aut iij cum aquis Parietariæ additis vel fl. sambuci vel violarum ipsiusque Hyssopi (cujus hîc facultas est admiranda) expurgato corpore.

Iam

Iam ad Præservationem transeo, quam in duobus tantum præsidiis colloco. Unum est, quod revellat materias tartareas & salsas copiosiores à renibus per intestina; alterũ quod laxiores faciat vias repurgatas & accendat in eis spiritus igneos naturæ ad evellẽdas penitissimè radices Lithiaseos resolutas, & spiritus coagulantes arcendos.

Ad primum pertinere puto venæ sectionem sublevantem per plenitudinis diminutionem, spiritus, & vim caloris nativi. Item Lenitivi purgantis usum v. g. Cassiæ fistularis, quem felicissimum tuipse ex Iacchino libelli tui capite 11. *comprobasti. Hoc etiam Nicolaus Monardus observavit, medicus experientissimus. Sic enim ille* 1ª parte de las cosas que traen de las Indias Occidentales §. de la Caña fistola. y vsada a la continua antes de cena, o de la comida prohibe el engendramiento de la Piedra. *Et ego tuo temperamento magis convenire affirmarem, quem biliosi multùm habere ex plurimis notis, maximè verò ex ea qua correptus paulò ante annum* 1637. *jacebas Febre duplici tertiana, ut ad Excellentiss. Naudeum scribis, ipse conjicio. quod ut obiter dicam plurimum facit ad coagulationem*

pro-

promovendam, cum oleum ſali mixtum extra viciniam arteriarum longius facile ſuſcipiat calculi formam, ut conſtat ex calculis illis felleis boum & aliorum animalium, item ex confectione Saponis. Vnde priuſquam ad poſterius præſidium tranſeas, videndum vt inteſtinorum viæ non ſolum ſint purgatiſſimæ, ſed etiam vaſa ipſis proxima, ipſique Renes, quod Succedens Therebintinæ uſus perficiet. Ac ne reliquum quod adjicere propoſueram omittam, dicam libentiſſimè me Caſſiam in uſum traxiſſe pro Naturis ferventioribus, & delicatioribus in laboribus Calculi hac ratione feliciſſime, quæ fortè tibi non fuerit ingrata.

D. D. R. C. F.

℞. Polypodii quercini optimi ℥ j ſ. fl. Sambuci p. IX. malvarum, & bugloſſi ſive recentium ſive ſiccorum an. p. vij decoquantur in ℔ iij aquæ communis non è gelido ſed aperto fonte prodeuntis, ad 3. partis conſumptionem, colaturam expreſſam trajice ſepties per manicam Hippocratis, ut vocant, quæ contineat contuſorum Caſſiæ fiſt. tubulorum cum pulpa minutim ℥ vij. Percolatæ tincturæ porro adjice Syr.

violati

violati violacei ex multiplici infusione violarum, (qualis describitur à Quercetano in Pharmacop. dogmat. & hîc vulgò habetur) ℥ viij pro quattuor dosibus matutinis, reserato prius podice, & crassioribus fœcibus leniente clystere eductis solo electuario Lenitivo, soluto in emollientium herbarum decocto cum oleo violaceo & Melle etiam ex violis violato in officinis dicto.

Diuretica rectè censes his catharticis non admiscenda, addo etiam tecum nec vehementer purgantia. Non etiam ejus sum opinionis qui sentiam, alias quam matutinis horis & longè à pastu assumendum hocce remedii genus, Luna declinante ad Solis conjunctionem, repetitis etiam dosibus ad septimanam non solum semel, sed etiam iterum secundùm vires &c. Sic incipientibus statim post Lunæ conjunctionem posset commodè, ubi eadem ad tetragonum oppositioni proximum pervenisset, Therebinthinæ usus præscribi.

At mihi multò majori commendatione dignissimum existimo posterius præsidii genus, in quo cardo curationis perfectæ, ipsius scilicet prophylaxeos, Habet hoc in

se

ſe quædam interna, quædam externa. Ex internis quidem alia per ſuperiora corporis interiora ſubeunt: alia per inferiora ſubmitti ſolent. Ex prioribus eſt Oleum Amygdalarum aſſumptum matutinis horis, & jejuno ventriculo. Hujus uſu quotidiano Sexagenarium quemdam (nam parum concedi Balſamo ex ſequentibus intelliges) ſabuloſam urinam excernentem vitam in multos annos traxiſſe Zacutus veſter, Medicus celeberrimus, author eſt, Practic. admir. lib. 2. obſervat. 58. At magis arridet illud quod ex Avellanis exprimitur, cùm ſimplici earum, ſed aſſiduo eſu initio menſæ non ſolùm vir quidam qui Nephritim patiebatur, & non raro lapillos per virgam mittebat, multiſque fruſtra uſus erat remediis, ſed alii plures ita valuerint, ut morbum nunquam poſtea perſenſerint. Hujus rei teſtis eſt Amatus Luſitanus nuſquam apud me mendax deprehenſus, Centur. 7. Curat. 78. Verùm cùm craſſior ſit hæc oleoſa materia, quæ ſpiritus igneos in omnibus advorare vix poſſit, bene conſultum puto aliis eximiis Practicis, qui tenuioris ſubſtantiæ Medicamenta norunt, & feliciſſimè in praxin curativam traxerunt.

Ex illis est Valescus de Taranta cujus hæc sunt verba in Philonio anno 36. suæ in Medicina Praxeos conscripto lib. 5. cap. 18. Expertus sum, quòd ille qui frequenter de mane sumit de salvia, comedendo duas aut tres cimas, aut sumit eas pistatas, cum vino subtili distemperatas præservabitur à lapide. Idem facit ruta, unde versus, Salvia cum ruta faciunt tua pocula tuta. Ego autem utor sic, quando arenulæ rubeæ apparent in fundo urinalis. *Qui in Rulandi Patris. Thesauro leget curationem, (quæ est 15. Centur. 10.) R. P. Hieronymi Monasterii VVettenhusani antistitis, qui cùm multos annos perpessus esset Nephritidem & renum calculos cum magno dolore, & frustra variis esset medicis & medicinis usus, tandem curatus est assumpto dono Dei herbâ, in vino sublimato, & servatus annis aliquot liber & securus ab omni calculo, assumptis iis dosi dimidiâ. Is inquam, qui Rationalis artifex considerabit, qualis sit actio hujus medicaminis, resoluto ænigmate, quod solis imperitis obvelatum relinquitur, concludet illam esse quam desiderabamus in calculi curatione & præcautione. Neque enim aliud istud Remedium esse puto*

ab

ab eo quod deſcribitur à Gabriele Ferrara chirurgo Mediolanenſi experientiſſimo, Sylvæ Chirurgicæ lib. 3. pag. 280. Latinæ editionis Francofurt. & quod inſcribitur, Liquor mirabilis ad provocandam urinam *& recipit Aquæ vitæ rectificatæ* ℔ iiij. *fragorum* ℔ iij. *ſtent in Sole per* 25. *dies* 3ª *quaque die doſis eſt cochl.* j. *mane. Eſt* liquor Regalis (*inquit ille*) *&* multoties approbatus. *Alium adjungit non minimi apud me momenti:* ℞. *fl. ſambuci recentium* ℔ ij. *Nucleorũ perſic.* ℔ j *Nucl. ceraſ.* ℔ ſ. *deſtilla in B. M. Hujus* ℥ iij *alvum movent, urinamque magna quantitate provocant. Vnde æger, ſcribit ille, ſentit ſubitò ſe à dolore liberatum. Ego vero ut libere fatear ex his omnibus penſitando continuò, olim uſus ſum, & hodie non infeliciter experior, quantum poſſit olei compoſiti ex* 3^bus^ *partibus avellanarum & una quæ eſt quarta & ultima Nucleorum perſicorum* ℥ j *aut alterâ, cum vini diuretici noſtri & aquæ fl. ſambuci an.* ℥ ij *vel* iij, *pro corporis mole & naturâ nullo præcedente cibo. Hortor vero eos, quibus hoc demandatum eſt, ut ſaltem quantum & quandiu poterit aſſumant butyri recentis ſolius pilulam ſatis*

magnam,

magnam; caveantque imprimis à cibi adstringentibus nisi fame omni edomitâ. Sic enim duo imo plurima contingunt bona: 1. trahitur faciliùs & breviùs facultas hæc emolliens in venas & sanguini universo per longum usum conciliatur. Vnde etiam sero quod sic suscipit facultatem, relaxandi, emolliendi & reserandi vasa. Alterum bonum, quòd in hoc intemperatissimo seculo hac cautione possint ægri genio innocentiùs indulgere. Hac si quidem ratione quâ constat assumptas uncias vj *cibi, &* vij *potus bis in die sufficere ad appetitum naturæ nutritionem & augmentum partium promoventis, quod patet ex observatione Lessii Societatis* JESV *Theologi in Diætetico, quam nec Primirosius rejicit dum Libello de vulgi erroribus parte 3. cap. 3. ipsam in genere comprobat. Cùm inquam hoc fiat, reliqua superflua esse certum est, ac plurimùm per secessum in crassiores fœces abire, ita ut vix possint esse nociva, nisi forsan nimia consuetudine aut quantitate, quæ nondum è corpore egesta posthaberent subsequentis pastus alimenta.*

Per ea verò quæ per inferiora submitti dixi, clysteres intelligo quibus non solùm edu-

ducuntur fœculenta recrementa ut supra. sed renum canales qualescumque sint laxiores redduntur. Anatomes siquidem peritis in confesso est, Colon intestinum adnecti reni dextro sub hepate, & dum contorquetur ad Rectum sinistro alligari: unde non possis optare convenientiorem admotionem remediorum ad mollitiem illam partibus in compacta sua natura quodammodo constrictis conciliandam. Hujus rei periculum frequentissimè & felicissimè factum à nobis non solum in paroxysmis hujus affectus, in quibus per enemata valentiora fœculentioribus recrementis eductis feliciter tertio loco, istius descriptionis clysterem injici curavimus.

D. D. R. C. F.

℞. Rad. altheæ ℥ ij. Malvæ, parietariæ an. m. iij fl. sambuci & chamæmeli duppl. an. p. xv. decoquantur in ℔ iij decocti omazorum, additâ dum fervere incipient stercoris bubuli recentis ℔ j: exacto horæ quadrante in colaturæ separatæ cum levissima expressione ℔ j dissolve diacassiæ pro clysteribus descriptionis Pharmacopœæ à Collegio nostro in lucem missæ ℥ j olei

olei chamæmelini & Amygdalaru[m] dulcium an. ℥ j ſ. miſce f. clyſter inj[i]ciendus ut ſcriptum eſt.

Iuſſimus etiam aliquando ut ſine el[e]ctuario, vel vice illius diſſoluto unguen[to] reſumptivo pararentur, & continerentu[r] quandiu ferre poſſent ægri, addito pro de[]cocto jure Capi decocti cum inteſtinis bu[]bulis incoctis herbis emollientibus præſcri[]ptis, & frequenti hoc uſu plurimùm le[]vaminis adepti ſunt plurimi, inter cætera Canonicus quidam in iſta diœceſi, vi[r] optimus, qui præcedenti clyſtere poſt alio[s] multos fruſtra injectos, Calculos plures de[]jecit. Hoc tamen laboris ægre ſuſcipiun[t] Pharmacopœi quidam noſtri delicatiores ſtercoribus ſua pharmaca, quæ gemma[s] tantùm, aurum, & moſchum præferun[t] in apothecis ſuis conſpurcare nolentes. Ad cætera quod attinet auxilia, nihil habemus quod quibuslibet Practicis non ſit cognitiſſimum, de Balneis loquor oleoſis aut aqueis, ſemicupiis, unguentis &c. Quamobrem cum tabellarii diſcedentis, Pariſios euntis hora me vocet, abrumpo prolixiorem orationem inter ægrorum curas conceptam, raptim diſtrahentibus intervenientium negotiorum variorum occupa-

cupa-

cupationibus, diversis temporibus nunc nocte nunc die triduo solo, quod mihi ad hanc diem abeuntis stati cursoris concessum est, conscriptam, rudi stylo exaratam, barbaris vocibus plenam, omninò non relectam, cui Aphorismum nostrum salutiferum & diæteticum addere nequeam adjunxi eorum libellum distracta cum præfatione Epistola. Perleges si placet, & hominem qui tibi est ad omnia paratissimus amare perges. Vale vir excellentissime & effice ut à Bibliopolis vestris citò eruditæ illius virginis literæ cum tuis ad nos perveniant, quas avidissime expecto, & dum aliquid temporis à practicis negotiis suscipere valeo, id totum insumo commentariis conscribendis in Pentagonum universale, ex quibus quid de Vniversæ Philosophiæ & Medicinæ Principiis sentiam, DEO bene volente demonstrare conabor. Vale iterum. Lugduni ad Confl. Arar. & Rhod. Anni Epochæ Dionysiacæ CIↃIↃCXL. Mensis Aprilis Gregoriani Nonis.

Cla-

Clarissimo, Amplissimoque Viro,
& Collega reverendo,

D. IOHANNI BEVEROVICIO
Senatori, & Medico Excellentissimo,

CORN. à SOMEREN S. P. D.

Summus Dictator Hippocrates, *praeceptor noster*, Ὁκόσοισιν, *inquit*, ἐν τῷ οὔρῳ ψαμμώδεα ὑφίσταται, τουτέοισιν ἡ κύστις λιθιᾷ. *Id est*, Quibus in urinâ arenosæ sunt subsidentiæ, his vesica calculo laborat. *Quanquam verò* Hippocr. *vesicæ tantum meminit, pro ratione antiquæ brevitatis, non tamen, ut ait* Gal. *excludit renes, quia & ii etiam possunt affici arenosis seu sabulosis subsidentibus. Quod & alibi idem divinus noster senex (cujus beatissimum & planè divinum ingenium, verba sunt Macrobii, fallere, nec falli unquam potuit) innuit, cum ait:* In renem dolor gravis (*incumbit scilicet*) quando cibo replentur pituitamque vomunt: cum vero dolores superabundaverint æruginosa (*scilicet vomunt*) & leviores fiunt, solvunturque dolores, cum cibo vacuantur: arenosæ rufæ subsident,

cruen-

cruentum mingunt, stupor ejus femoris quod è directo est. *Quis non & hoc loco* Hippocraticam *meritò exosculetur brevitatem, quando paucis admodum verbis hoc ipsum dicat, quod alii integris aliquot paginis vix explicare potuerunt. Primum igitur calculi renum signum hic esse, inquit, dolorem in renibus gravem. Alibi tamen hunc renum dolorem acutum appellat. Quæ duo quamvis repugnare videantur, meo tamen (salvo tuo meliori) judicio ita possunt consociari. Duplex, ut nosti Vir doctissime, enim est gravitatis acceptio: Prima acerbitatis & asperitatis, propter quam fit acutus dolor; Altera ponderis, propter copiam. Acerbi doloris duo sunt tempora; unum in generatione, alterum in expulsione; ponderis unicum tantum, totum scilicet tempus quod est inter generationem & expulsionem. Vel dicendum gravem esse dolorem mansione calculi, acutum verò ubi in motu est. Nam ubi calculus renum egressus fuerit substantiam, tum non solum gravem, verum etiam acutum dolorem inducit.* L. dignot. pass. renum. *Annuit hoc idem auctor cum inquit: Demonstratum jam est cor, jecur, & renes intus*

intus non ſentire. Sentit autem eoru
quodque in ſuperficie, ubi nervi ſenſil
feruntur, qui in internis nulli ſunt. Se
quomodo ergò hæc dolorem perſentiſcun
Quum gravatur cavitas, dolor tum fi
circum tenditur namque membrana ex
ternæ, inde quod cavitas interna ſit re
pleta, & ſic extenſa membrana dolore
inducit. In renum itaque ſubſtantia, do
lor generatur, quando cavitas ex calcu
gravata eſt, & circum tenditur, profer
que conſenſionem doloris in ſuperficiem
quippe quæ nervos ſenſiles habeat & mem
branam. Pergit idem auctor: Καὶ πολλῷ
inquit, μᾶλλον εἰς τοὺς οὐρητῆρας ἐρχόμενος
ὀδυνᾷ, διὰ τὴν στενότητα καὶ εὐαισθησίαν τού
των. *Id eſt,* Multo tamen magis dole
cum in ureteres ingreditur, propter an
guſtiam & ſenſibilitatem eorum. *Gra*
vem verò dolorem, Dictator noſter, tu
maximè accidere, inquit, cum illorum
renes, qui calculo cruciantur, cibo op
plentur. σῖτος, *id eſt, Cibus non ſolu*
hoc loco denotat illud quod cottidie per
aſſumitur & comeditur, ex quo ſangui
nis ſatis magna quantitas indies produ
citur, ſed etiam excrementum quod in in
teſtinis cumulatè quotidie congregatur

teſti

testis est locupletissimus Gal. Com. in lib. de vict. morb. acut. σῖτον, *inquit*, εἶπε τὸ ἀπὸ σιτίων περίττωμα περιεχόμενον ἐν τοῖς ἐντέροις, ὃ δὴ καὶ σκύβαλον ὀνομάζουσι καὶ κόπρον. *Id est*, Siton dixit ciborum excrementum in intestinis contentum, quod scybalum atque stercus vocant. σῖτος *igitur quatenus excrementum est in intestinis contentum, renum dolorem gravem comprimendo adauget. Sic & sanguinis in venis quantitas si in renes derivetur, eorum gravitatem facit auctiorem. Secundum signum ex quo calculus renum innotescit, est quod pituitam per os, ob multam ingluviem, ciborumque crassorum viscosorumque voracitatem rejectant, ex quibus omnibus magnus fit pituitosorum, frigidorum, lentorum, limosorumque humorum in ventriculo proventus, cum calculus non nisi ex crassitie & viscedine immodicâ humorum proveniat. Hi enim in renum cavitatibus exusti à calore immodico (& etiam à modico, sed longiori tempore) in calculi consistentiam transeunt. Tertium indicium quo ægrotantes calculo renum excruciari dignoscimus, est quod, ubi carnifex lapis ipsos extorquet, æruginosa evomunt, &*

allevantur, quia ob diros cruciatus ac tormina, immodicas vigilias, inediamque, præcipuè ubi ægrotus unà ſimul febricitat, cibus corruptionem in ventriculo induit, putredinemque contrahit, & ea bilis ſpecies in ventriculo producitur quæ ἰώδης *à Græcis dicitur. Sunt enim plures bilis ſpecies, inquit doctiſſimus Fuchſius (vir multæ lectionis, ſed non ita magni judicii) quarum cum aliæ in vaſis, æruginoſæ, ait idem auctor, ac porri figuram præ ſe ferentes in ventriculo magis generantur. Meo tamen (ſalvo tuo, vir Clariſſ. accuratiori) judicio, etiam in venis æruginoſa generatur bilis. Porrò leviores fiunt, renum lapide laborantes, quando bilem hanc æruginoſam per os evomunt, quia hæc ipſa ventriculum ſuâ acrimoniâ ac mordacitate non parum vellicat. Solvuntur igitur dolores renum, & meliuſculè ſe habent ægroti, poſtquam cibi è ventriculo, (ſicut & ubi excrementa ex inteſtinis) evacuati fuerint. Cur in Nephritide tanta ſit in ventriculo* ἀνατροπή, *id eſt, ſubverſio, ut omnem faſtidiant cibum, & injectum ſtatim eructent, cauſſa eſt ventriculi & renum, ut noſti, vir doctiſſime, ſympathia. Sympathiæ hujus,*

quæ

quæ ſimplex eſt, cauſſa in communionem & continuitatem vaſorum ac membranarum referenda. Nervuli à ſtomachico ad renem feruntur, & exterior tunica renes inveſtiens, quam faſciam vulgus vocat, à peritonæo ortum ducit, quam ventriculi fundo continuari norunt omnes. Cibum verò multum, multorum excrementorum eſſe cauſſam nemo eſt qui ignorat, quare cibus per vomitum, excrementa dura, ſcybala dicta, per ſeceſſum dejecta, neceſſariò renum gravitatem mitigant, utpotè eoſdem minus comprimentia. Ita ſi ſanguinem ex venis paululum detraxeris, renum dolorem ac gravitatem ſolves. Quartum indicium, quo calculo vexatos, præceptor noſter, dignoſcere docet, eſt, quod ſabuloſa ſeu arenoſa quædam, eaque ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ *rubea, in urinis ſubſident. Atque hinc eſt quod in initio hujus epiſtolæ, Vir excellentiſſime, ex ſummo noſtro Dictatore* Hippocrate, *diximus.* Οἷσιν ἐν τοῖς οὔροισι ψαμμώδεα ὑφίσταται τουτέοισιν ἡ κύστις λιθιᾷ, ἢ οἱ νεφροί. *Id eſt,* Quibus in urinis ſabuloſa ſubſident, iis veſica calculo laborat, aut renes. *Et auctor idem* l. dignot. paſſ. renum, *ait, Signum proprium & immutabile, quod*

 ſine

ſine medio affectum, calculum in renibus demonſtrat, ſi ſabuloſa in matulâ ſubſiſtunt, tum exactè dignoſcitur, calculum in renibus ſubeſſe; indicium hoc firmiſſimum & proprium. Quintum ſignum eſt quod ſanguinolenta per urinas reddant; calculus enim meatus, ſeu viam per quam exire conatur in tranſitu, erodit, maximè ſi inæqualis ac aſper fuerit, aut aperit, aut rumpit, aut dilatat vellicando. Sextum indicium, quia ſtupor ejus femoris, quod è directo eſt renum affectorum, illis accidit, adeò ut ſi lapis in dextro rene fuerit, dextrum femur: ſi in ſiniſtro, ſiniſtrum ſtupor prehendit. Et hoc eſt quod divinus noſter ſenex κατ' ἴξιν *dixit, pro eo quod eſt,* κατ' εὐθυωρίαν, *hoc eſt*, ſecundum rectitudinem, *aut* è directo. *Cur autem torpor femoris è directo, calculo oppreſſis eveniat, cauſſa eſt, quia, ut ego, cum viris doctiſſimis Iacotio & Langio, Medicis excellentiſſimis, ſentio, venæ & arteriæ ſcilicet emulgentes, à cavâ venâ & arteriâ magnâ ad renes, ab iiſque per femora ad crura feruntur, ita ut renibus affectis, neceſſario & femora ob ſympathiam afficiantur. Negat hoc tamen Anatomicorum noſtri ſæculi princeps, doctiſſ.* Andreas

dreas Laurentius, *hanc repletionem esse caussam stuporis: quia, ut ait, à renum calculo, ita non implentur venæ, ut musculos premant, cum tabidi quamplurimi, inquit, quorum venæ exhaustæ sunt, calculo renum laborent, & nihilominus stuporem in crure persentiscant*. *Pergit idem auctor, Adde, inquit, quod plethorici, quorum venulæ apparent turgidulæ, stupore crurum & brachiorum non laborant. Alia igitur est caussa, ait, eaque duplex. Prima est compressio musculi* ψόας *dicti, cui renes ambo incubant: at hunc musculum, ait, cruri flectendo dicatum esse, & in cruris interiorem partem inseri norunt omnes. Altera est, compressio, inquit, nervi, qui in cruris musculos omnes expanditur: fit autem compressio à duritie & pondere calculi, nam incipiens lapillus stuporem non parit. hactenus ille. Sed ratio neque mihi, Vir Clarissime, neque reverendo ac excellentissimo præceptori nostro* D. Ælio Everardo Vorstio, *in almâ quondam Lugduni Batavorum Academiâ primario Medicinæ Professori, & pro tempore sæpe Magnifico Rectori, unquam placuit. Nam in tabidis, qui calculo renum laborant, stu-*

porem ſeu torporem cruris è directo fieri, nemo Medicorum unquam animadvertit. Et in tabidis etiam turgent venæ à bilioſo ſanguine. Et in plethorico corpore adeſt ſtupor ſeu torpor crurum, & brachiorum gravitas. Eheu! Medicorum flos delibate, aliud habeo. Vidi ego jam nuper, in duabus doctiſſimis tuis epiſtolis, certare te (ſed adhuc ſub judice lis eſt) cum Clariſſimo, Nobiliſſimoque D. Cl. Salmaſio, *Viro ad miraculum erudito: An arenæ, aut ſabuloſa in urina emiſſa indicent calculum eſſe in veſica.* Avicenna, *Medicorum Arabum facilè princeps,* l. 3. Fen. 18. tract. 11. *de lapide renum.* Et in illo, *inquit*, in quo eſt ſedimen arenoſum in urina, non aggregatur lapis, quoniam materia non eſt retenta. *Sedimentum ergo arenoſum in urinâ non facere calculoſos, ſed reddere homines à calculo ſæpè immunes, innuere vult. Quomodo igitur, ut rectè à te animadverſum, erit ſignum calculi? Multi enim, ut noſti, ab incunabulis arenoſa ſeu ſabuloſa excreverunt, qui nunquam ab hoc hoſte fuere excruciati. Quare non colligitur veſica* λιθιᾷν *cum in urina excreta apparent ſubſidentia ſabuloſa. Non tantummodò*

modò in ægrotorum, ſed & ſanorum urinis, præcipuè quibus hepar calidum, bilioſum, aut aliquo modo aduſtum, ſabuloſa aut arenoſa ſubſidere cottidie obſervamus. Multos enim mejere arenas vidimus, dum praxin, Vir Ampliſſ. ſatis frequentem una tecum per annos viginti quatuor, non ſine honore mediocri, in civitate patriâ exercuimus, qui calculo renum aut veſicæ non laborarent. Et è regione autem multos calculo renum aut veſicæ laborare, qui tamen arenas neque rubras neque albas unquam per urinas emiſerint. Sic & in renibus, & in veſicâ multi calculos habent, quorum tamen indicium per urinam ſabuloſa effundentem (verba ſunt magni Salmaſii) *non proditur. Recte Vir Excellentiſſimus, & in eo habet omnes Medicos fautores ac patronos, imò auctores. Omnes enim Medici, qui ex ratione & experientia (quæ duo, juxta Gal. optimi ſunt canes ad venandum) ſapiunt, nobiſcum hoc unà conſentiunt. Quandoquidem frequens illa cottidiana exercitatio nobis apertè demonſtrat homines arenulas aut ſabuloſa mingere, non tamen eos laborare renum aut veſicæ calculo, neque unquam laboraſſe,*

ſed ubi arenulæ, quæ antea excretæ, jam ſubſiſtunt, ſive ſiſtuntur, aut cohibentur in renibus aut veſica, movent majorem calculi ſuſpicionem, quia ibi retinentur jam, ac ſtagnant, ſignum eſt, in iis ob coagmentationem generari calculum. Sæpè latet carnifex hic in veſicâ, nec tamen arenulæ mejuntur, & maximè ubi lapis infixus eſt renum ſubſtantiæ. Quod magnum hoc Bataviæ lumen D. Eraſmus *in ſuo calculo, quem carnificem ac hoſtem ſæpè appellat, animadvertiſſe credibile eſt, cum nullam arenularum in ſuis urinis mentionem uſquam faciat, attamen & aliorum ſignorum meminerit, ac pleraque ordine ſatis ſuccinctò recenſeat: inquit enim:* Iam fere biennium eſt, quod calculo laborans, ſic concuſſus ſum vomitionibus, ut ex hoc tempore ſemper decreverit corpuſculum, quod antè ſolet poſt morbum ſarciri. Aliquot menſes, *ait*, ſat commodè valueram. Sed præter expectationem velut ex inſidiis obortum eſt malum. Mirus urinæ fluxus, primum ſine dolore, mox cruciatus velut ex locis exulceratis, cum fluxu materiæ, veluti gypſatæ; mira copia. Medici non plus adferunt ſpei quam muſcæ.

Aut vesicæ calculus, aut exulceratio, mors erit. *Hactenus ille. Vbi apertè demonstrat in urinis suis sabulosa, aut arenulosa non adfuisse, cum ipse satis superque perspicax (magni enim ingenii & acrioris iudicii vir fuit) hoc in proprio morbo facilè potuisset internoscere; præterquam quod medicos suos domesticos & cottidie adstantes apud se habebat, qui hoc ipsi proculdubio etiam facilè indicassent. Medico enim, ex lege* Hippocraticâ, *providentiæ & prædictionis studium, ut mihi quidem videtur, optimum est. Verum certissima indicia lapidis renum sunt ea quæ supra à me, ex præceptore nostro*, 6. Epid. & l. de morb. internis, *tradita sunt. nempe: In renem dolor, inquit, gravis. Item in renem, dolor acutus. Horum utrumque verum est. Dolor hic renum ac lumborum sæpè extenditur ad costas illegitimas, & ad testiculum* κατ᾽ ἴξιν, *id est*, e directo, *descendit reni affecto respondentem. Si itaque videamus ægrum reddere urinas arenosas seu sabulosas, idque cum dysuria, aut stranguria ac difficultate, & excrementa sæpè invitè profluere per anum cum tenesmo, doloremque percipere in pube ac perinæo, & præterea, cum*

urinas reddit, persentiscere pondus aliquod grave, quod veluti collum vesicæ obstruat, tum certò ausim præsagire lapidem in vesicâ latere. Sed certius erit indicium si catheterem in vesicam immittas, & sedulò in omnes partes vesicæ circundes exacteque explores. Arenulæ igitur cum urina emissæ calculum concretum, aut confirmatum lapidem in renibus non hærere, aut vesica, non solummodò indicant, sed ne quidem diathesin, aut dispositionem ad calculi generationem sæpe demostrant; at sæpissimè malum in hepate, & venis subesse significant. Has cum doctissimo Hollerio sic distingues. Quæ propter sanguinis, *ait*, in venis adustionem cum urinâ exeunt arenulæ, subtiliores esse solent, raroque subsident, sed ad matulæ urinariæ hærent latera. *Tales sæpè per ardentes febres per urinas redduntur, interdum etiam sanitatis tempore, in quibus scilicet calor hepatis est ferventior, ut supra à nobis dictum. Ideo urinæ ægrorum lapide laborantium albæ ac aqueæ apparent, quia obstructis renibus ab humore crasso, tenaci, lento ac viscoso, veluti per tenue aliquod cribrum effluunt, aut sanè quia vesica calculi frigi-*

ditate læſa urinam neque concoquit, neque renes trahendo expurgat. Inſuper dixit Dictator ſummus Hippocr. ὑφίσαται, *hoc eſt*, ſubſiſtunt. *Nam gravia ſunt & majora hæc ſabuloſà, quam arenulæ illæ quæ calore jecoris & venarum ſanguinem exurente, una cum urinis profluunt, & hæ lateribus matulæ, ut jam diximus, adhærent, nec digitorum attritu eam aſpredinem & gravitatem præ ſe ferunt, qualem proferunt ſabuloſa ex renibus aut veſicâ protruſa. Non ſequitur, ut etiam à me ſupra allegatum, non fundit ſabuloſa, igitur non laborat ex calculo. nam quibuſdam lapilli ita tenaciter infixi ſunt renibus, ut nunquam ſabuloſa projectent. Aperui ante annos circiter duodecim caſtiſſimam virginem, filiam Viri Ampliſſimi* D. N. Narrottii, *Invictiſſimi Arauſionenſium Principis Quæſtoris, cui innatus erat maximus calculus, trium circiter unciarum pondere, in veſicâ, ita ut non ſolum totam veſicam, ſed & unco ſuo incurvato ipſius veſicæ cervicem oppleret, nec unquam ejus in urinis aliquod ſabuloſum indicium apparuerat, cum me, præter alios multos Medicos, plus quam centies hoc anno in conſilium vocaſſent,*

ac

ac urinas perpetuò adſtantibus ſæpè & aliis Medicis, inſpexiſſem. Frequenter tamen diro cum cruciatu putris quædam pituita puri ſimillima per urinas prodibat. Eſt igitur calculus glutinoſi, & lenti craſſique humoris lapidoſa coagmentatio, quæ focum & in rene & in veſicâ obtinet. Si ergò crebrò æger cum ſummâ difficultate, & quidem in fine mictionis, cogitur reddere urinas, urina verò hæc ubi lactea ſeu alba apparet, crebroque diverſis coloribus variegata: ſique accedant congeſtionis ac conglutinationis cauſſæ, partiumque circumvicinarum pondus, ſique in medio profluxu intercipiatur, ac muccus ſeu gluten urinis innatet, guttaque ſanguinis aliquando in fine mictionis profluat, calculus veſicæ in vitio eſt.

Addam aliud. Clariſſimus & mihi in perpetuum reverendus Senex D. VV. de Beveren, *aliquoties hujus urbis Conſul, & olim Quæſtor totius Hollandiæ Auſtralis, ac jam ſenio fere confectus inter Proceres Generales deputatus, avunculus meus, piæ memoriæ, cum jam ſexageſimumquintum ætatis ſuæ annum ageret, poſt tot vigilias, ac curas graves, quas neceſſe eſt eum perpeti, qui ad clavum*

Reipub.

Reipub. ſedet, incidit in hunc eundem calculoſum morbum, cum arenoſa aut ſabuloſa per urinas nunquam minxiſſet, & quidem hoc malum in ſenectute determinatis jam acceſſionibus, cum diro cruciatu ſæpè redibat & typis certiſque quibuſdam diebus ſubſequentibus eum excruciari ſolitum erat. Cujus mali cauſſam cum Gal. refero, tum in membrum mittens, tum in id quod recipit. Ita namque cum naturâ noſtrâ comparatum eſt, ut pars quæ magis robuſta eſt, inſita quadam vi id à quo læditur ad minus validam ac debiliorem deponat, & ab hac in aliam particulam magis debilem protrudat, donec ad infirmiſſimam fuerit per ventum. Fit enim in partibus humani corporis, ut noſti vir Clariſſime, idem quod in eâ depravatâ Repub. quam Ariſtot. ὀλιγοκρατίαν *vocat, in qua qui auctoritate ac opibus plus valent, minus potentes opprimunt, hique rurſus alios, donec ad plebeculam, ac ignobile vulgus fuerit deventum, quod cum nullâ auctoritate, aut poteſtate polleat, neceſſariò opprimitur, opprimere autem neminem poteſt. Sic partes nobiles, quæ principatum in humano corpore obtinent, quicquid in iis excre-*

menti-

mentitium ac superfluum fuerit in eas particulas deponunt, quæ minus validæ, hæ rursus ad alias, donec ad minimas & ignobilissimas fuerit deventum. Fit autem hoc in vesicâ, non solum quia pars ignobilis est, sed etiam quia excrementitiis serosisque humoribus recipiendis ac expellendis à naturæ opifice est dicata, cui humori, vel à toto corpore, vel ab aliqua ejus particula aliquid cottidie adjungatur, quod simul ad vesicam unà cum sero istac profluit, & ibi paulatim congestum, coagmentatum, ac quasi coagulatum, tandem in lapidem lapidescit, ac vesicæ orificium occludit. Accidit tunc stranguria, vel dysuria, fervorque ac vellicatio in mejendo ab ægroto persentiscitur. Quæ omnia symptomata, vir hic Amplissimus, tamdiu percipiebat, donec humor ille tenax, ac lentus rursus in totum è vesicâ esset propulsus. Vesica etiam ejus ob senectutem, ac ex humorum talium receptione, debilis erat reddita. Ideoque proprium alimentum non benè concoquebat, neque probè digerebat. Præterea & aderat diathesis ac dispositio à parentibus orta. Hæ igitur, meo (salvo tuo accuratiori) judicio sunt caussæ, quorsum

ſum hoc malum per circuitus ita ſæpè redierit. Hæc ſunt, Clariſſime Collega, eruditorum ornamentum & ſeculi noſtri decus, quæ ſuper magni Hipp. *citatum Aphoriſmum dicere breviter decreveram. Vale, & ſtudiis noſtris favere, & me amare perge.* Dordrechti XIII. Ianuar. cIↄ Iↄc XLI.

Viro ſummo & amico

D. IOHANNI BEVEROVICIO,
Senatori, Medicoque Dordrechtano primario,

Cum magno SALMASIO de calculi arenulis certanti.

NEſcio quæ magnas turbant certamina mentes,
Atq; agitat doctos quæſtio crebra viros.
De miſera cœlum & terram miſcetis arena,
Creſcit & in moles calculus ille ſuas.
Iam nego Pompeios, nego peccaviſſe Cethegos,
Non mihi jam Gracchi, non Catilina reus:

Illi

Illi de toto moverunt prælia mundo;
Ipsa triumphantis portio, Roma fuit.
Dant vobis hæc bella nihil, dum laudis utrique
Plus satis, atque alio gloria parta modo est.
Si Batavo quisquam magnus, Salmasius illi,
Dum Patriam tundent æquora, semper erit.
Et tua te, Beverovici, si credis amico,
Dum Patriæ stabunt oppida, fama vehet.
Hoc gaudete pares pretio, pacemque quietemque
Arripite, & pronam pellite barbariem.
Scribite in adversas, quibus est mens tanta, tenebras,
Et populo lucem continuate meo.
Sic sic vestra meæ decorabunt tempora lauri,
Et longum vobis esse poëta velim.
Olim crassa suas dedit ignorantia rixas.
Nunc tantum doctos pax decet alma viros.

CORN. BOYVS An. 1641.

HISTO-

HISTORIA VESICAE *monstrosæ, magni Casauboni.*

SVmmus, & Clarissimus vir Isaacus Casaubonus corpus gracile & siccum à natura sortitus erat, temperamento ex bilioso in melancholicum plurimum declinante. Ignei vigoris & cœlestis originis animam continebat fragile ergastulum, quod exili, nec importuna mole haud grave, hospitem sui plane juris esse sivit. hinc factum, ut literis dedititissima mens, parvam admodum habuerit sui domicilii rationem. Ita vir magnus non impalluit modo, sed pœne inaruit chartis. Paucis, vel fere nullis magnis morbis obnoxium, transegit illud, quod ipsi Deus indulsit ætatis curriculum.

Et caſtigata corporis exſucci conformatio, fecit ut ea non ſenſerit, vel leviter expertus fuerit incommoda, quæ vitam ſedentariam ut plurimum conſequuntur. Arenoſam aliquando ſaburram depoſuere renes, non ſine aliquo urethræ, inter mejendum, ardore. Nihil tamen effatu dignum, vel quod ſedulam, aut iteratam medici poſtularet opem. Cœlum, ſolumque mutavit ſæpius, ab urbibus & principibus viris doctrinæ non vulgaris nomine humaniſſime invitatus, & exceptus honorificentiſſime, ut pateat ipſum non uni aſſueviſſe victus legi. Tandem à Iacobo primo Britanniæ rege accerſitus, in florentiſſimo illo regno vixit per triennium. Penſum à maximo rege accepit grave, at humeris, qui antiquorum nodis atque ænigmatis
ſol-

ſolvendis innutriti erant, non impar. Theologicum aggreſſus opus, in Baronium ultra annum inſudavit. Huic abſtruſioris ſuæ eruditionis ſpecimini edendo, animum in varia diſtrahi, & pungentibus agitari παθήμασι non novum, ubi de aſſerenda veritate, & pariter de famæ diſcrimine agitur, præſertim in polemico ſcribendi genere. Quot evolvit illo temporis ſpatio, patrum antiquorum volumina? Quot horas in muſæo epularum immemor, & veluti raptus in ἔκςασιν, trivit vir optimus, qui terram calcans pedibus, cœlo mente affixus erat? Quot inſomnes tranſegit noctes, ut accuratiſſimum illud opus cuderet, & luci tandem daret, quod nunc in antiquitatis depravatores, quantumvis purpuratos, proſtat? Hic paullatim vires imminui,
corpus

corpus magis ac magis extenuari, dissipari spiritus, & debilitari calor nativus, functionum omnium opifex, quibus cessantibus, vel saltem facultatum læsione depravatis, excrementorũ quotidiana germinatione succrescentium proventu, partes obrui, & naturam tandem fatiscere necesse est.

Duodecimo circiter ante obitum mense, qui vel ante quieverant, vel fugaci præsentia, obiter saltem molesti fuerant, inter mejendum punctorii dolores, & urinæ ardores redivivi, cœperunt virum fatigare, primum longioribus intervallis, noctuque præsertim importuni, ita ut dulcem interrumperent somnum, & experrectum adigerent ad matulam. Rubrarum arenularum profusio, caussa istius irritationis statuebatur. neque ullis poterat æger

incom-

ncommodis à ſtudiis avelli. urina tandem ardore difficultatem pariens, ſubinde ſiſtebat gradum, & non effundebatur, niſi mediocri ſaltem niſu, idque incurvato corpore, & facie prona. Tanta aliquando expultricis irritatio, ut qui parce olim, vel ſemel, tota nocte ſoleret urinam emittere, intra paucos menſes bis, ter, quater, quinquies, ſexies, & tandem infinitis vicibus cogeretur in eum finem ſurgere. Pectinis dolor, grave ano incumbens pondus, inter mejendum alvi exonerandæ cupiditas. Exeuntem urinam comitabatur dolor, cum per totum canalem urethræ, tum maxime in glande, cujus ſenſus erat quaſi multorum acuminum ſimul pungentium. ingens in dorſo aliquando calor, ad quem levandum, veſtem ſæpiſſime deponere cogebatur.

batur. Vrinæ, ut plurimum pallidæ, cum mucoſo ſedimento post equitationem, vel violentius exercitium ambulationis, cum arenoſis granis craſſioribus, vel tenuioribus lapillis rotundis, prædutis plurimis, quorum nonnulli granum tritici, plerique milii magnitudine æquabant. Iſta ſymptomatum Syndrome, medicis calculi in veſica latentis ſuſpicionem injecit. Quem cum cathetere explorare libuiſſet, nullus inſtrumento in veſicam aditus, ſed ita præcluſa via, ut non obſcura apparerent ὑπερσαρκώσεως meatum obſidentis indicia. Inter numeroſum iſtum Symptomatum concurſum, quæ vel athletico corpori peſſundando, ſatis erant, ſexto ante fatálem diem menſe, in parte hypochondrii ſiniſtra, inter albam lineam, (ſeu veſicæ regio-

regionem ſupra pubem) & ilia, efflorefcere cœpit tumor, inſtar juglandis primum, qui paullatim auctus ad pugni magnitudinem, vel potius latitudinem excrevit, deſinens in obtuſum acumen; mollis erat, & qui fluctuatione, quæ contrectationem ſequebatur, aquam ſubeſſe certo indicabat. Sicuti liber inter tuſſiendum, vel reſpirandum, muſculorum abdominis motus, materiam ſub iiſdem contineri, tumoris circumſcriptio, eandem non in ventris cavitate vagam, ſed in quadam cyſti concludi, arguebat. Si durius impreſſa manu tractaretur tumor, veſica in conſenſum tracta dolebat, & micturiebat æger. Id quod à partium vicinia, & veſicæ inter duas peritonæi tunicas ſepultæ, cum tumore connexione fieri credebatur. Subſidebat

non-

nonnunquam,& paucis poſt diebus ad priſtinam redibat dimenſionem. In miſero iſto ſtatu vitam languidam menſibus aliquot traxit: donec inſtante ultima & fatali hora, ſic acceleratus fuit viri piiſſimi interitus, ut ſereno die, animi recreandi, & corporis exercendi gratia, rheda vectus, decem Anglica milliaria percurrerit. Reverſus domum, noctu minxit frequentiſſime, aucti dolores, aucta δυσουρία, cum στραγγουρία, urinæ cruentæ cum ſedimento mucoſo, quod maxime tenacis & vitreæ pituitæ ſimile aliquid puris admixtum habebat. Invaluit inter mejendum deſidendi cupiditas, excluſi calculi exiles quamplurimi, aucta uno verbo omnia. Invaſit febris, quæ antea per intervalla inæqualia, licet levia, non tamen ſine aliquo hor-

horrore, & inordinatis rigoribus occupaverat. Pugnatum iis, quæ acrimoniam lotii demulcere, mucum incidere, eique facilem, lenitione viarum, exitum procurare valebant. Vano ſane labore. Siquidem urinæ tunc olidæ, turbidæ, inſtar lixivii, aut cereviſiæ profluxerunt, ſine levamine: cum mictionem novum exciperet illico mejendi deſiderium. Ardorem internum ſibi moleſtiſſimum dicebat æger, & calidiſſimæ reddebantur urinæ, etiam ad tangentis manum. mucus erat dimidia lotii pars, aliquando etiam quicquid reddebatur, mucus erat, tam tenaci filo cohærens, ut vix divelli poſſet, & ex matula in pavimentum, lubrico & continuo contextu efflueret. Notatu autem dignum, quod poſt redditam ingentem iſtius albugineæ

pituitæ quantitatem, hoc symptoma per duos vel tres dies inducias dabat, nova egestione facta, denuo ut ante recurrens. Tam diris cruciatibus excarnificatum tenue corpusculum ad dies xx duravit, continua febri tabefactum, perpetua effluentis lotii, & fusæ alvi vacuatione, pumice siccius redditum, urinæ fœtore, quem ipse oris spiritus redolebat, infectum. Donec tandem felix animula, sui carceris impatiens, cui ab ipsis conformationis primordiis, iniquis conditionibus alligata fuerat, vocante supremo rerum conditore, ad suam migrans originem, corpus humo, amicis lacrymas, literatis raram eruditionem, omnibus probis eximiam pietatem imitandam reliquit die Veneris Kal. Iul. cIↄIↄc XIV. ætatis anno LVII.

Secto autem cadavere, poſt exquiſitam ſingularum partium perſcrutationem, ſequentia fidelibus oculis objecta fuerunt.

Vrethræ inditus catheter argenteus, nulla arte, nulla vi, valuit in veſicam adigi, ita ut ſecta per perinei longitudinem urethra, manifeſto apparuerit σαρκοειδὲς σῶμα, meatum occupans, foris intro reſiſtens, ſed ab interna parte foras obſequentius, collo veſicæ appoſitæ adſtites, glandulæ proſtatæ dictæ, quadruplo majores, quam naturalis ferret conformatio. Veſicæ corpus contractum, craſſum, & admodum ſpiſſum, interna ſui parte rugis quamplurimis, & veluti cuniculis exſculptum, quorum cavernulæ lapillis infinitis rotundis ſcatebant: collum interius, quod declive, levi canaliculo ſine ulla

protuberantia naturaliter in urethram deſinit,introrſum tumens, elatum inſtar podicis gallinæ, vel colli interioris uteri ; ita ut in ambitu eſſet, veluti ſulcus, ſeu cavitas,per quam circumduci poterat digitus, cujus magnitudinem facile admittebat colli orificium, per urethræ retractionem ſurſum factam formatum, quæ virgæ in arrigendo incurvationem invehebat. Ad ſiniſtrum latus perforatum fuit veſicæ corpus, & pervium rotundo foramine, quatuor digitorum apices admittente in ſaccum ſive ἔκφυσιν veſicæ,vel addititiam veſicam, quæ urina turgens, capacitatis erat ad veſicam ſextuplæ. Habuit ſaccus iſte tunicas tres, ſeu membranas, cum veſicæ membranis continuas, ſpiſſas admodum (ne quis ἀπονευρώσεις comminiſcatur)

tur) cum inſignibus nervis, venis, & arteriis. Situs talis, ut totam ὑπογαςρίȣ partem ſiniſtram occuparet, uſque ad oſſa ilium; inſtar veſicæ, in ipſa peritonæi duplicatura latitans. Figura ejus inæqualis, ita ut infra foramen infima ſacci pars propenderet plurimum: ſicuti ſuperior peritonæo affixa firmiter, multum ſupereminebat. utraque veſica lotio turgens pleniſſime. Aſt in addititiæ fundo, infra foramen penſili, ingens ſaburra putris & olidi muci, ſive phlegmatis vitrei, quod cum tanto niſu & dolore à miſero ægro profundebatur. Veſica ipſa neque ulcerata, neque inflammationis præ ſe ferens veſtigium. Addititiæ interna membrana eroſa variis in locis, atque ob inflammationem rubra, livida, nigra, gangrænæ proxima,

quæ mortis certiſſima, & inevitabilis cauſſa fuiſſe videtur. Vreteres lati, urina turgidi: ſiniſter inter ſacci tunicas gliſcebat profundius, uterque autem deſinebat in veſicam veram, paullo ſupra collum. Ren dexter totus purulentus, ſanus ſiniſter. Partes cæteræ ſanæ, exceptis pulmonibus, quos corruperat & denigraverat ſerina & perennis fluxio à capite, in ipſorum bronchia & ſubſtantiam continuo ſtillans, quam prodebat ordinaria tuſſicula, & in ultimo hoc morbo, conſueta raucedo ingeminata, etiam uſque ad aliquam difficultatem vocis edendæ.

Vitioſæ iſtius conformationis in numero, ſitu, & meatu monſtrum, quoniam doctorum animis exercendis ſatis eſt, atque amplum aperit campum diſquiſitioni

ſitioni medicæ; in hac lubet expatiari planitie, cum ut credant ἰητρῶν παῖδες quotidie nova occurrere, quæ ſub antiquorum ſpecie nobis imponere poſſunt, & conjecturæ acumen fallere, tum ut in obſervando ſeduli, in prædicendo & judicando cauti, in operando religioſi, atque à periculoſa feſtinatione alieniſſimi eſſe diſcant. Fatendum ignotam fuiſſe tot malorum cauſſam, & deceptos medicos omnes, quorum alii calculum prægrandem adeſſe, alii ulcus in veſica, quidam tumorem aquoſum, partim inter muſculos, & peritonæum exiſtentem, occupare autumabant. Rara non ſunt artis, & in conjecturis, quantumvis artificialibus, parum eſt fiduciæ. Errorem ſuum confiteri ingenui eſt. In rebus inauditis, & nulli viſis decipi non

turpe. Obſervata (licet prognoſi potius, quam therapeiæ idonea) poſteris pandere non inglorium.

Equidem ab ipſis conceptionis primordiis vim πλαστικὴν in hoc ſubjecto, inſolenti utique & gravi errore luſiſſe arbitror, dum concurrente nimia ad veſicam fingendam à parentibus decidua materia, eam cum ἐκφύσει & cum foramine in hoc additamentum ducente, formavit. Eodem plane modo, quo lienes, & teſticulos duos, & tres, ſextum quoque digitum non ſemel vidimus. Ita ſeminum confuſorum & ſanguinis materni affluentis ſuperflua quantitas, una cum vegeto calore, formas è poteſtate oblatæ materiæ educente monſtra gignit. Porro credibile eſt, iſtud additamentum, primis annis vel exile admodum fuiſſe, vel etiam ipſi

veſi-

vesicæ sic agglutinatum, ut vel nihil excipere, vel exceptum statim refundere in naturalem alveum valeret. Incrementi autem seu dilationis ipsius primordia tum cœpisse verisimile est, cum vir pius penso gravissimo nimium intentus, dies noctesque libris assidens, permultos menses transegit, tum siquidem lotii reddendi immemorem quotidie, imo quavis hora reddebat animi à naturalibus ad sublimia avocatio. Ita ut à corpore veluti abstracta mens, nec incommoda sentiret, neque muniis necessariis vacare, vel ad corporis vilia officia se demittere dignaretur. Si ii, quibus mens ægrotat, dolorem non sentiunt, quid ni vesicæ pondus negligetur? Quoties in ferventioribus studiis, calor & spiritus ad rationis arcem vi quadam rapti,

 cere-

cerebrum totum ſibi vendicant, neglectis, niſi quantum ad vitam ſat eſt, ut ita dicam, ignobilioribus partibus. Id videre eſt non tantum in melancholicorum, ſed in pia religioſorum, nec non in amantium ἐκστάσει. Iam verò motus principium quantumvis debile, ſat eſt ad incrementum. Indies aucta fuit iſta dilatatio, viresque acquiſivit eundo, & concavum iſtud corpus membranoſum ductile, & facilis extenſionis, repletione crevit, inter peritonæi tunicas deorſum verſus primo, ni fallor, ob contenti fœculenti pondus, deinde ſurſum ſuam nactum dimenſionem, ad lævam hypogaſtrii primo extuberavit levius, deinde inſigni erupit tumore, quod videlicet ad inferiora dilatatio obice oſſium ilium, & pubis impediretur. Quæ ad la-

terum mollitudinem erat facillima. Neque vero impune tulit istam extensionis libertatem ipsa naturalis vesica, cujus membranas cum additamenti tunicis continuas, his licentiosius expansis in se retrahi, & tandem corrugari necessum fuit. Sed quod gravius est, cum fibrarum transversarum & obliquarum beneficio, succedat quantitate gravius lotii expulsio; partis autem organicæ perfectio in legitima conformatione consistat, solutionem illam continui, actionum læsio, quæ inutilem vesicam reddit, consequuta est. Itaque per ureteres à calidissimis renibus ex toto corpore emulctum serum deducebatur quidem in vesicam: sed cum ea, nisi inæqualiter, in se comprimi non posset, ad expulsionem partim naturalem, partim

partim voluntariam, antequam mejendi inceſſerit voluntas, ſaccum ſeu ἔκφυσιν oportebat impleri, etiam uſque ad moleſtiæ importunum ſenſum, & conſequutione neceſſaria, indies paullatim magis ac magis dilatari. hinc factum eſt, ut intra paucos menſes à dilatationis principio in magnam excreverit amplitudinem, quum excrementi quantitas, & facultatis imbecillitas æquali paſſu quotidie invaleſcant. Interioris membranæ veſicæ corrugatio, urethram intro traxit, & collum ipſum corrugatum in formam podicis gallinæ expulit, quæ cauſſa una ex multis erat difficultatis in mejendo, unica autem, ni fallor, incurvationis virgæ in arrigendo, cum urethræ membrana nimis ſequax, cavernoſa corpora in arcum reflexa retineret. Idem ab

ab inflammatione tumorem abbreviantem procurante in gonorrhœa contingere ſolet. Calculos in veſicæ rugoſis cuniculis infinitos creavit urinæ tartareum ſedimentum. Ea ſiquidem & naturaliter in hoc ſubjecto, plurimo turgebat ſale, & iſtius terreæ portionis ſeparatio, ſive tartari coagulatio, promovebatur, imo perficiebatur mora, quam excrementum præ languore, imo impotentia expultricis ob organi vitium, in cavitate facere cogebatur, proinde ac ſui ipſius inſpiſſationem, & homogeneorum ab heterogeneis ſeparationem, vi caloris, nunquam feriantis experiri.

Cur vero in imo ſacci fundo nullus calculus, etiam prægrandis, cum ei generando plurima materia ſuppeteret, coagulationi etiam proxima? Nempe quod in

iſto

isto euripo intus lævi, non cuniculoso, perpetuus quasi esset urinæ meantis & remeantis æstus, cujus fluctibus pars eluebatur. At ut generetur per additionem partium calculus, quiete opus est. Adde quod defuit isti concretioni tempus; ei siquidem mors existentiam præripuit. Vlcus vesicæ qui statuerunt, decepti fuerunt excreto purulento, confisi quod à rene dextro putri inflammato, & calorem intolerandum lumborum excitante, profluebat. Vlceratus sane erat saccus, salsuginosi tartari & lotii putris & statione fœtidi, amurcæ acumine. Quæ materia cum in hujus additamenti declivi, atque infra foramen multum propendente & demisso fundo diutius stagnans hæreret, erosionem pariebat, à qua immunis erat vesica, per quam

quam momentaneus ſaltem dabatur, ob ejus anguſtiam tranſitus. Mucum autem, ſive mucilaginoſum phlegma, ſeu fœcem tartaream plurimam continebat ἔκφυσις, veluti iners actioniſque omnis expers quoddam additamentum. Quod præter eam ſeparationem, quæ ab ipſa urinæ ſubſtantia fiebat, etiam conditione ſuæ ſubſtantiæ membranoſæ, fundebat viſcidum excrementum, non minus quam ipſa veſica vel calculo irritata, vel urinæ mordaci ſale corroſa, eodem plane modo, quo puncti limaces, ſalivam ex proprio corpore in ſe contracto, expreſſione rejiciunt, viſcida eſſe ſolent ſpermaticarum partium, inprimis verò membranarum, excrementa. His poſitis, & diligenter perpenſis haud obſcurum eſt, quænam fuerint Sym-

ptoma-

promatum caussæ, quibus vir tantus ad acerbam, & crudelem necem excarnificatus fuit. Sed cur inter-mejendum oleti faciendi cupiditas, quæ ut plurimum, grandioris calculi vesicam occupantis est signum παθογνωμονικόν; Cur ano incumbens pondus, quod fallaci conjectura vel oculatissimis medicis imposuit? Nempe ab ingenti προστατῶν tumore, quarum corpus inter mejendum intestinum rectum premebat, & gravitate molestum naturam ad exonerandam alvum sollicitabat, idque eo violentius, quod pari nisu per musculorum abdominis introrsum factam contractionem comprimendo, urina & crassiores fœces exprimantur. Tumor autem istarum glandularum, an fuit naturalis in homine, cui vasa spermatica ampla, & qui plurimos

susce-

ſuſcepit liberos? An potius eum fecit urethræ contractio, colli veſicæ violenta ſurſum attractio, quæ latitudini addit, quod demit longitudini? An dolor, calorve, quorum proprium eſt, ad partem affectam trahere, multo magis ad glandulas, quæ laxæ, molles, ſpongioſæ, recipiendum pronæ, ad expellendum ſunt ineptiſſimæ? Tot tantorum malorum hydram non potuit non conſequi mors, quæ multorum accidentium populoſa caterva ſtipata, lento pede, virum felicius extingui digniſſimum, tandem jugulavit. Hæc habe, Clariſſime vir, à tuo Brovardo.

De

De eadem Vesica
RAPHAELIS THORII
EPISTOLA.

Vir Amplissime, nescio quo pacto sensim delabor in pigritiam, nec forsan adhuc arripuissem calamum, nisi dolor adegisset acerbissimus ab extincto magno literarum lumine Casaubono, quem tabido morbo liquefactum rapuit prima dies Iulii. Dysuria diuturna confecit florem Doctorum, ex causa abdita, vix antea visa, vel audita. Signa omnia calculum in vesica attestabantur & mentiebantur. Nam aperto abdomine pro calculo inventa est vesica monstrosæ conformationis ab utero matris. In sinistro latere vesicæ prominebat ἔκφυσις *vastæ capacitatis, sese attollens usque ad sinistrum os ilii, ejusdem substantiæ continuæ cum ipsa vesica, ut videri posset altera vesica na-*

turali adjuncta. In eodem sinistro veræ vesicæ latere foramen erat ejus magnitudinis, ut facile admitteret quatuor digitorum apices, pervium à vera vesica in adnatum saccum, quo refluebat lotium: ubi diutius retentum, putredinem, inflammationem, tabem & interitum tandem attulit. Accessit & renis dextri purulentia: unde aucta pernicies restagnante illis in locis fœdissima illuvie. Hinc orificium vesicæ interius tumefactum ex assiduo conatu: hinc viæ angustiores: hinc refluxus totidem fere in venas: hinc spirituum infectio, & postremo animæ purissimæ ab importunis fœtoribus profligatæ exitus placidissimus. Quæres? & bene, qui potuit vivere ad eam ætatem cum organo necessario tam male conformato? Accipe responsum. Illa ἔκφυσις in primo ortu toto ambitu contingebat vesicam proxime, & foramen illud pervium occludebat, ut loco naturali moram

faceret


faceret urina ad debitam emictionem. Progreſſu vero temporis continuo urinæ appulſu, & forte longiore retentione, (ut attentis ad ſeria quandoq; contingit) membrana illa adnata abſceſſit paulatim ab illo oſtio, inque diem magis ac magis in ventrem accrevit (ut videmus ſuperfluas partes incrementum facile ſuſcipere) donec ſex vel ſeptem poſtremis vitæ annis eſſet ſaccus ille pro urinæ alveo ſecundario: unde pars tantum urinæ aliqua regurgitabat in veſicam, & inde in ureterem, reſiduo ſemper aliquo fluctuante in illo marſupio. nam ab illo tempore conatu fuit opus ad exprimendum lotium: ejus rei magnum argumentum eſt, quod veræ veſicæ corpus contractum erat denſius quam pro naturæ modo, profundis rugis inæquale ex deſuetudine dilatationis. Ex ea partium ad excrementorum expulſionem perturbatione, omnis corporis œconomia collapſa eſt, & vir magnus inter

leti

leti cruciatus extinctus per dolores ad astra penetravit, ea constantia & alacritate, ut spectantibus omnem mortis metum expectoraret. Dab. Londini Anno MDCXIV. *Idibus Iulii.*

FINIS.





Rest of
index
to
'De Calculo'

N.

O.

P.

R. Re-

R.

S.

T.

V.

Vena-

FINIS.





